




2
6
243












2.6.24
PH..23687

XXXI

Epist. SCIOPPII.
Ecclesiasticae
1611.



GASP. SCIOPPII ECCLESIASTICVS

Auctoritati

SERENISSIMI D. IACOBI MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS OPPOSITVS.

In quo cùm Argumento magnam partem Nouo, tùm Exemplo nemini adhuc vsitato disputatur

De amplitudine potestatis & Iurisdictionis Ecclesiasticæ tàm in temporalibus quàm in spiritualibus.
De Regum ac Principum Christianorum erga Ecclesiam eiusque Antistites seu Prælatos officio.
De natura & ingenio Ecclesiæ Rebellium, siue Hæreticorum, variisq; eorundem ad Ecclesiæ obedientiam reducendorum modis.
De Charactere, siue signis ac Notis Ecclesiæ, ex quibus eam tam Ethnici, quàm Hæretici à quibuscumque Hæreticorum conuenticulis queant internoscere.





HARTBERGÆ
ANNO CIↃ. IↃCXI.

GASP. SCIOPPIUS *Librum hunc suum S. Romanæ Ecclesiæ iudicio & censuræ humillimè subycit, & quemadmodum de rebus ac sententiis Adiaphoris aliquid sibi à cæteris aliter existimantibus concedi fas arbitratur, ita si quid ei per imprudentiam præsertim properanti exciderit, quod eidem S. R. E. neque cum Catholicæ fidei, neque cum morum regula satis congruere videatur, id sese dictum scriptumue nolle, ac mutare, declarare, corrigere, inducere & detestari ex eiusdem Ecclesiæ præscripto paratissimum fore sine dolo & fraude profitetur.*



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
Sacri Romani Imperij Principi.

D. FRANCISCO GONZAGAE PRINCIPI CASTILIONI,

Marchioni

MANTVAE ET MEDVLARVM,
Sulpharini Dynastæ,

CÆSARIO APVD REGEM CATHOLICVM
Oratori.

AVREI VELLERIS EQVITI &c.

GASPAR SCIOPPIVS
S. D.



Ristotelem ferunt cùm ab aliis Auaritiæ, ab aliis verò Effusionis & prodigalitatis nomine accusari se accepisset, non medicriter ea re gauisum esse: quippe qui eam minimè fallacem virtutis illius, quæ in largiendi mediocritate consistit, Liberalitatis notam esse intelligeret. Medij namque argumẽtum est, alijs aliud extremorũ videri. Quem enim timidi audacẽ, audaces verò timidũ dicunt in medio eum versari vereq; Fortẽ esse iudices licebit. Itaq; Philosophus idem in Politicis, quo loco de paucorũ ac populari statu æquabiliter miscendo disputat, hanc iustæ temperaturę ac mistionis notam adfert, si ambiguum sit vtro nomine illa Reipub forma, Oligarchiæ ne an Democratiæ propriè sit appellanda, cùm alij eam aliter vocare soleant. Quapropter bona spe teneor, me hóc meo libro, quẽ nõ tam disputationi & argumẽtis, quàm Auctoritati Serenissimi Britanniæ Regis opposui, officio egregie functum esse, cùm alios nimiam meam in Ecclesiæ hostes lenitatem ac verborum moderationem accusaturos, alios vicissim de acerbitate mea, qua me vsum fuisse, neque humanitatis rationem habuisse existimabunt, conquesturos esse

minime dubia ſed certa perſpicuaq; coniectura ꝓſpiciam. Proteſtantes enim præcipueq; Principes ac proceres, quibus benè longam hoc libro diſputationẽ impendi, totumq; Lutheraniſmi vitium in mediũ ꝓtraxi, ex quo ſuam quiſq; poſsit partẽ agnoſcere, cùm ab animo ęgri ſint, & ꝙ ipſo morbo peius eſt, ægrotare ſe neſciant, nõ modò Medicinam, cuius eis offertur copia, infeſtis animis aſpernantur ac repudiant, ſed iis etiam, quos ad ſalutẽ ipſorum verba conferre ſentiunt, velut hoſtili erga ſe animo affectos, capitale odiũ indicũt. Atq; hoc grauiores & periculoſiores ſunt animi, quàm corporis, morbi, ꝙ vbi cui caput, manus, pes, latus aut quoduis aliud membrũ condoluit, ſtatim Medicus accerſitur, neq; ei vel moleſta imperanti parere graue eſt: ſed qui animo laborat, morbi ferè ſenſu caret, atque etiam belliſsimè & ex ſententia valere ſibi videtur, ac ꝓpterea Medicum, qui remediũ ipſi paret, nõ ſecus ac hoſtẽ infeſtiſsimum inſectatur. Eius verò mali ſpecimen etiam illi corporis morbi p̃bent, qui ſenſuum ſtuporẽ coniunctum habent, ꝙ genus eſt veternus, morbus comitialis, phreneſis, atra bilis & Febres, quæ ardoris magnitudine mentẽ alienant ac delirium inducũt. Illis enim morbis affecti nõ modo Medicinam nõ expetunt, ſed omnino neq; conſpectum Medici ſuſtinent, aut etiam verborum verberumq; contumeliis eum abigere conantur. Quàm porrò ancipiti ac periculoſo veſaniæ genere, ꝙ ad Religionis cauſam attinet, Proteſtantes teneantur (nam ceterarũ rerum neq; prudentiæ, neq; multiplicis virtutis laudem illis adimere poſtulo) ita meus hic liber aperit, nemini vt dubiũ fore putẽ, quin non in alios magis, quàm in illos hæc Pſalmi verba conferri poſsint: *Furor illis ſecundũ ſimilitudinẽ ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocẽ incantantiũ, & Venefici incantantis ſapienter.* Fortaſsis etiam erunt, qui mihi ſiue Phreneticorũ medicinam paranti, ſiue Serpentum incantationem alios docenti illud Eccleſiaſtici regerendum putent: *Quis miſerebitur incantatori à Serpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtiis?*

Sed profectò inſipienter facio, qui ſubdubitabundus illud affirmem, cùm neq; tu, Illuſtriſsime & Excellentiſsime Princeps, ignores, quàm nonnullis Catholicorum parùm omnis illa, quam Germanorum Proteſtantium ſaluti nauamus, opera probetur, quorum ſententia Sophoclæo illi hac in re locus ſit:

——ὀυ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ
Θροεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.
——*non Medici Sapientis eſt,*
Cantu mederi, cùm ſecari res iubet.

Itaque

Itaque fremunt ac ringuntur, cùm vlla Proteſtantibus humanitas tribuitur, adeoque vel Reges ac Principes illis honorum titulis vulgo conſuetis appellari, diſciplinæ Eccleſiaſticæ diſſolutionem clamitant, & ſi arbitrio ipſorum fiat, vt quemque Proteſtantium comprehendi poſſe contigerit, nullo nec ordinis, nec ætatis, nec ſexus, neque cuiuſquam rei diſcrimine habito recta in Tullianum abducatur, eique detur optio, vtrum Catholicam fidem, quamuis rationes eius nondum ſatis edoctus, amplecti & Hęreſin eiurare, an ad ſtipitem deligatus ſarmentis circumaccenſis Herculis Oetei fato conflagrare malit. Meminiſſe te adhuc arbitror, quī nonnullorum ex ea nota ſermones Romæ fuerint, cùm *Clemens* VIII. benedictæ memorię Pontifex, vt erat admirabilis illi viro prudentię & conſilij abundantia pari φιλανθρωπία & charitate iuncta, aſſenſit mihi, vt Proteſtantes Germani ſine fraude ac periculo Romam adire, inibique quæ viſu digna eſſent, perluſtrare poſſent: inſuper etiam Xenijs ac muneribus non modò Principes ac proceres, ſed cæterorum quoq; ordinum homines liberaliter affectos dimiſit. Non fuit ſcilicet, quod vel Pontificem illum, vel præcipuos Cardinalium aliosque primi nominis Antiſtites, qui Romæ morabantur, ſui Curiæque pœniteret. Nam vt non omnia ibi ex voto ſint, neque ſic ſe habeant, quemadmodum illo Eccleſiarū omnium apice dignum erat, multo tamen ea cōmodiora Proteſtantes inueniunt, quàm ſui eis Præcones ſiue Prædicantes perſuaſerant πᾶσι γὰρ οὗτος κήρυξι νόμος, δὶς τόσα πυργοῦν τῶν γινομένων: *Omnibus enim hic Præconibus mos eſt, bis tanto maiora facere & exaggerare, quæ facta ſunt*, ait Euripides. Illud quidē ſatis mihi exploratum eſt, neminem eſſe ex omnibus Proteſtantibus, qui quidē Romæ fuerit, quin hoc nobis largiatur & ingenuè tribuat, nihil Romæ eſſe vitij, quin idē alijs in ciuitatibus paulò celebrioribus vberrimo prouentu inueniatur, nullum verò cōmemorare ſe locū poſſe, vbi iuſtitię, temporantiæ, modeſtiæ, humanitatis, prudentiæ, pietatis, caſtitatis, liberalitatis, & magnificentiæ æquè multa & illuſtria exempla ac Romę inueniantur. Si qui verò Proteſtantes ſunt, qui aliter loquantur, aut ſe pleraq; iſtorū pro virtutibus non habere, aut plus cum ijs, qui ad tabernas, lupanaria, omninoque metuentia Ædilem loca viam noſſent, quàm à quibus aliquid libero nobiliq; viro dignū diſci poſſet, verſatos fuiſſe fateantur neceſſe eſt. Porrò ferendi non videntur, qui à virtutibus Romanorum propius deguſtandis Proteſtantes propterea excluſos cupiunt, quod ex ingenio ſuo ceteros æſtiment, cumq; maioris alicuius virtutis exemplū à

se peti posse diffidant, continuò ne aliorũ quidem vita penitùs inspecta existimationẽ Romanę Curiæ sustineri posse iudicent. Ex isto genere fuerunt, quibus bilẽ mouit liber meus, quẽ *Scaligerũ Hypobolimæũ* inscripsi, non quo hostẽ Ecclesię vnum omniũ, qui vmquam fuerint, insolentissimũ & audacissimũ à me iugulatũ concisumq; nollent, sed quia quę de Protestantibus ibi scripsi, rationi ipsorũ vehementer aduersantur, non esse eos scilicet vniuersè ac ꝑmiscuè vno omnes ordine habendos, neq; Hæreticos indiscriminatim appellandos, atq; adeò nec Hæresin eorũ, cuius laqueũ ignorantib⁹ ipsis vel parentũ vel magistrorũ auctoritas impegit, quẽ nec soluere suo Marte sciant, nec abrumpere, satis iustam, cur inclementius à nobis accipiantur, causam esse. Et quoniam per tristes istos ac directos Aristarchos non stetit, quominus liber ille Censoria Inquisitorũ notione ꝓscriberetur, eiusque lectio pœna sanciretur, aberit non longè, quin *Ecclesiasticum* hunc meũ, quàmuis multò liberiùs & apertiùs, q̃ pleriq; balbutientiũ Theologorũ solent, ꝓ Ecclesiæ Summiq; Pontificis auctoritate ac Iurisdictione ꝓpugnantẽ, Edicto notatũ, & Romani saltẽ territorij finibus ꝓhibitum velint. Hoccine vt feramus (inquient) istum sic Principibus Hæreticis apertè ac palàm patrocinari? sui eos Theologi ac Magistri *Sacrilegij* acerrimè postulant, eosq; *raptores, canes, porcos & serpentes* vocant, quibus non Religio, sed iniustũ lucrum religionis velo tectũ cordi sit: atq; ipsi libros illorũ, quibus ita describuntur, in ciuitatibus suis excudi ac vænũ exponi sinunt, partim etiam priuilegijs suis muniunt, eoque modo impacta ipsis crimina non obscurè agnoscunt & confitentur. Iste tamen iniuriam eis fieri hoc libro suo contendit, etiam ꝙ Ecclesiarum bona parentũ auorumq; sacrilegio rapta teneant, excusat, ac pręter Religionem, siue Hęresin, non ferè quicquam in ijs, saltem plerisq; reprehendit, quodq; in Hęresi manent ac pertendunt, non ipsorum magis, quàm Catholicorum culpam interpretatur: hos armis, si vel plus possimus & omnia secunda habeamus, ad officium redigendos negat: his datam ac sanctione pragmatica firmatam, q̃ vocant, *Religionis pacem*, sanctè integreq; à Catholicis seruandam esse pugnat: hos ab ingenio, à literis, ab humanitate, à prudentia, ab omnibus denique animi dotibus, quas in Principibus eius Nobilitatis requiras, tam plena manu laudat, ac tantùm non aut Catholicis Principibus præfert, aut certè, qui, Catholici sint, digniores esse prædicat. Et tamen isti sunt, qui cùm factiosis, perfidis ac rebellibus Catholicorũ subditis animos addunt, eisq; Consilia, vires ac viros sufficiũt & suppeditant, cùm Papam ipsissimum Antichristũ esse cõtendunt, Re-

ges principesque Catholicos, velut Antichristi mancipia, neque tolerabilius ipsis Turcis aduersus Christum insanientes & in membra eius sæuientes, omnibus exosos & inuisos reddunt, cum in Catholicorum bona inuadnnt, eosque solius Religionis Catholicæ causa patrimonijs suis exuunt. tum demum officio se functos putant, tum sibi rem pręclarè gestam gratulantur, tum sese habere, cur palàm gloriando & prædicatione magnificè efferantur, existimant. *Carolus* qnidem *Sueciæ* ille *Tyrannus* & alieni regni subsessor, in publicis literis, quas Cæsari omnibusq; Christianitatis ordinibus insctiptas & Stocolmi per Christophorum Reusnerum priore anno edidit, *regnum suecorum non optiuum, sed hæreditarium esse scribit, in quo Regi defuncto, qui sanguinis necessitudine ei sit proximus, succedere soleat. Sigismundum vero Poloniæ Regem iure suo propterea excidisse, quod à vera Euangelica doctrina defecerit, & Idololatricam* (ista sunt belluæ verba) *Iesuiticam Papisticamque Religionem amplexus fuerit: quod nisi fecisset, nullo iure neque ipsum, neque liberos eius ab hereditario suo regno excludi potuisse.*

Iam de Serenissimo Britanniæ Rege *Iacobo* maxima iisdem reprehensoribus meis historia nascetur. Enimuero hunc esse illum dicent, quo nullus Regum iam inde à Iuliani Apostatæ temporibus plus in Ecclesiam Catholicam qua dolo, qua vi apertaque Tyrannide grassatus fuisse videatur. Hic (inquient) libro palam edito iurare audet, se CatholicosReges, Principes ac Respub. pro Christianis non habere, quos & cornua Bestiæ, siue Antichristi membra appellat. Hic sanctarum reliquiarum cultum & Imaginum sacrarum adorationem *pro intolerabili Idololatria habere atque abominari se* testatur. Hic Reges Catholicos à Iesuitis ad prelium cum Deo conferendum congregari, horribiles lanienas eorundem impulsu perpetrare, & iisdem magistris peierare, æquiuocare & fidem datam violare discere insimulat. Hic Catholicorum Monasteria, in quibus tot Regum, Principum procerumque liberi, quà mares, qua feminę, Deo seruiunt, quibus nemo, nisi qui frontem perfricuerit, *Stuartum* istum siue nobilitate, siue doctrina, siue virtute ac pietate, parem dicere audeat, in libidinum ac fornicationis carnalis supicionem vocare non veretur. Hic quamuis Angliam sedi Apostolicæ multis sæculis vectigalem, & Hiberniam, Ecclesiæ Romanæ patrimonium, ab Hadriano Papa IV. Henrico Angliæ Regi pactis legibus primum datam fuisse, seque nisi Tyrannus, prædo, & vtriusque Regni mala fide possessor videri malit, sedis Apostolicæ beneficiarium clientem, seu Vasallum, esse sine apertissima

ſima impudentia negare nequeat, adeò tamen enixè facit omnia, quæ ad vniuerſi orbis Chriſtiani populos aduerſus Pontificem inflammandos, omnemque eius poteſtatem penitus perimendam facere putat, vt Cæſaris quoque ac reliquorum Catholicorum Regum atq; Principum ſubditos, modo Papæ ditio minuatur, ſuæ ſcriptionis claſſico incendi, & ad atrociſſimas nefariasque ſeditiones concitari nihil penſi ducat, hanc ille ſcilicet habens rationem: *Pereant amici, dum vnà inimici intercidant.* Hic ſanctiſſimos Martyres noſtros, quorum ſanguinem partim etiam ipſe crudeliſſimé effudit, *Proditores & paricidas* appellare nihil dubitat, atque adeò ipſum *Thomam Morum* non minori ſtoliliditate & amentia, quam iniuſtitia & impudentia, Martirij laude ſpoliat. *Magnus hic Martyr* (inquit) *non aliam necis cauſam habuit, quam quod refractarium ſeſe Regi Henrico in negotio nuptiarum & ſucceſsionis præbuiſſet, quæ meo iudicio valde carnalis cauſa martyrÿ fuit.* Itaque ſapientiſſimi huius Regis iudicio valde carnalis Martyrij cauſa fuit, cur Iohannes Baptiſta capite plecteretur, quia nimirum refractarius Herodi Regi fuit in nuptiarum negotio, & quemadmodum Morus Henrico, *Non licet tibi vxorem habere naturalem tuam filiam, ſuperſtite præſertim priore vxore, ſucceptisque ex ea liberis,* ſimiliter ipſe Herodi: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Et tamen eiuſmodi fuit illud Henrici Angli cum Anna Bolenia matrimonium, vt ipſe Lutherus, cum quo Legati Regis multum diuque fruſtrà egerant, quo minus id probaret, per ſcripturas ſacras vetari ſe diceret, velut apud Sleidanum legimus. Huius (ijdem ininquient) iudicio ſi quis Catholicus Sacerdos aut Clericus in Angliam venit, & ſi quis eum Laicus recipit, vel quocumque modo iuuat, vterque læſæ Maieſtatis reus cenſetur & pœna capitis *perinde ac fur, homicida, proditor & perduellis* afficitur. Iſta enim Edicti Parlamentaris verba ſunt, quorum iſte hodie ad ſtipulatorem, imo cuſtodem & executorem ſe præbet, neque crudelitatis & immanis ſęuitiæ, veteratoria calliditate iunctæ, priores *Iuliano Apoſtatæ* relinquit.

Hic denique quamuis magnificè in libris ſuis de ſe profiteatur, nihil ſe non modò editurum, ſed *neque in ſecretiſsimis penetralibus moliturum, quod ſi foras ſit prolatum, ruboris pudoris ſuæ neceſsitatem ipſi afferre poſsit*, multa tamen, quorum compertiſſima eſt falſitas, vel libro illo ſuo ad Imperatorem, Reges, Principes, Reſquepub. Chriſtianorum miſſo proferre audet, quorum nomine, niſi ſit impudentiſ-

pudentiſſimus, erubeſcere neceſſe habeat, ſiue autem erubeſcat, ſiue frontem perfricet, fidei palam datæ parum omninò memor fuiſſe rectè videatur. quid enim hoc falſius (inquient) commemorari poteſt, quod Proteſtantibus de fidei articulis ſatis conuenire, neque vlla niſi de apicibus, incertum, quibus, deque rebus adiaphoris, diſſidia eſſe ſcribit? quod apud Catholicos ſcripturę ſacræ libros non modò ſuppreſſos, ſed etiam ad ſilentium damnatos, & qui Biblia legere aut inſpicere auderent, pro Hęreticis combuſtos fuiſſe affirmat ac magnopere aliis perſuaſum cupit? quod ad conflandam ſedi Apoſtolicæ inuidiam, *Alexandrum* VI. Pontificem ducenta aureorum millia à *Baiazete* Turcarum Imp. accepiſſe ſcribit, vt ea mercede fratrem eius *Zemen*, quem tùm Romæ tenebat, necaret, cum tamen ipſi Pontificis & Eccleſiæ Romanę hoſtes omni eo ſcelere Alexandrum apertiſſimè abſoluant? Legat, qui volet, *Martini Cruſii*, Lutherani hominis *Turcogræciam*, in qua *Theodoſii Zygomalæ*, Protonotarii Patriarchalis, hominis Græci & ſchiſmatici *hiſtoria Politica Conſtantinopolitana* cōtinetur, cuius pag. 30. hęc de Zema Baiazetis fratre in Italiam delato perſcripta ſunt: *variis ibi peragratis locis, tandem Romam incidit. Vbi cum eſſet, cum Venetis pacem & amicitiam Sultanus habens miſſa Legatione ab eis petit, vt veneno illum de medio tollerent, quod & ab eis factum eſt. Nam hominem claro loco ortum* (ſiue Clariſſimum) *eius rei artificem, Turcicæ linguæ bene peritum, ad illum allegarunt. Salutare hic comiter, in amicitiam ſe inſinuare, vnà cibum capere. Hoc victu ita calente, extinctus iacuit miſer, haud obſcuris veneni ſignis apparentibus. Cadauer inde Pruſam miſſum. Inſequenti tempore munera Venetias miſſa, gratiæ ampliſsimis verbis actæ: beneuolentiæ & amicitiæ ſignificatio illuſtris, ſed latebat anguis in herba. Miſſus & à Venetis in conſtantini vrbem veneficus ille propinator, mortis ipſi Zemæ ſtructor. Qui vt venit, multis à Sultano muneribus affectus eſt, equis, aurea veſte, & id genus aliis. Venerat autem nomine & prætextu Legati, quod nihil malæ ſuſpicionis eſſet. Hoc modo ibi degens in honore & donis Regiis, cum pulchritudine corporis præcederet multos, die quadam en repertus eſt repentino mortuus nulla ante antegreſſa corporis infirmitate, ægritudine nulla. Biberat ſcilicet bon⁹ vir ex quo miſcuerat, eadē menſura, qua menſus fuerat, recepta vitæq; curriculo emenſo. Veneti ſublato fratre Sultani, honorē ſibi ſperabant ab Agarenis & amicitiā per omnes dies vitæ illius, neſcientis amicitias Regum eſſe fucatas & fraudulentas. Hinc ſegniter ipſi rebus prouidere &c.* Sic ergò habent omnino Veneti, cur Iacobo Regi, fœderato ſuo, multas hoc nomine gratias agant, qui om-

nem hanc veneficij culpam ab ipsis in Ponrificem transtulerit, sed & Rex habet, cur eum tam atrocis ac fœdi facinoris, Marte ipsius confic̃ti (cum haud vllum, pecuniæ saltem Pontifici à Turcis oblatæ aut numeratæ, laudare auctorem possit) magnopere pudeat ac pœniteat.

Ψεύδων γὰρ ὅταν τὶς ἐμφανῶς ἐφευρεθῇ,
Σιγᾷν ἀνάγκη κᾂν καλὸν φέρῃ στόμα.
Nam me ntiens cum quis palam prehenditur,
Taceat necesse est quamuis facundissimus.

Et tamen Scioppius (inquient) religioni ac verecundiæ non habet hominis eiusmodi causam hoc libro tuendam suscipere, ei viri boni, beneque erga Catholicos Principes affecti laudem asserere, omnibus, quæ tam virtutem eius candoremque, quàm amicitiam, & in Catholicos beneuolentiam, suspectam facere meritò possunt, occurrere & respondere, contumelias, quas ille Catholicis dicit & facit, eleuare & ignoscendas dicere, vnius denique Religionis, siue Hæresios, excusatione omnem iustam prætermissi aut migrati officij reprehensionem minuere, & eorum inuidiam quæ ille in Catholicos suos subditos crudelissime in alienos, quorum se tamen amicum & fratrem profitetur, contumeliose consulit, Zeli cæci ac scientia destituti commendatioe amoliri, quasi verò vt quisque Hæresin ex animi sententia probat veramque esse credit, ei quorumnis mendaciorum & quantacunque in Cathalicos sæuitiæ ἀνευθυνία debeatur, legitimaque mendaci & homicidæ excusatio sit, Hæreseos locupletandæ & conseruandæ causa id fecisse. Nam vt Sophocles ait scilicet,

Καλὸν μὲν οὖν οὐκ ἐστὶ τὰ ψευδῆ λέγειν
Ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἡ ἀλήθει' ἄγει
Συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστὶ καὶ τὸ μὴ καλόν.
Mendacium quidem haud honeste dicitur
Sed quando multum noxia cuiquam est veritas.
Veniam is meretur, falsa quamuis dixerit

Quis Hæreses à Cacodæmone, spiritu erroris, proficisci nescit? At enim ille *mendax erat, & pater mendacij, & homicida ab initio, & in veritate non stetit*. quis ergo miretur aut indignetur, *qui ex patre Diabolo suo*

ſunt, eos deſideria patris ſui velle facere, hoc eſt mentiri, & *quærere interficere eos, qui veritatem ipſis loquuntur?*

Hæc atque eiuſdem modi fore, quæ ad inuidiam mihi ac libro meo faciendam ab illo hominum genere diſputentur, non leui aliqua coniectura ductus auguror, ſed magnam partem re iam expertus loquor. Cùm enim abhinc paulò minùs biennio ROMÆ, quo me ſereniſſimus Archidux Ferdinandus patronus meus de rebus maximis Legatum miſerat, inter occupationes non exiguas ipſa LXXXVI. huius libri capita X. hebdomadarum ſpatio abſoluiſſem (quod quidem complures Cardinalium ac primi nominis Prælatorum teſtari poſſunt) & aliquot eorum exempla manibus librariorum tranſcripta cùm Romæ, tùm in aliis Italiæ & Germaniæ ciuitatibus ab amicis diuulgata, varios paſſim lectores inueniſſent, ſic factum eſt vt ex multorum præiudiciis, de quibus prorſus inter ipſos velut conueniſſe videri queat, cuiuſmodi cæterorum, ſi exiſſet liber, iudicia futura eſſent exploratiſsimè iudicare poſſem.

Verumtamen nimium eos fugit ratio, qui ex eo, quod poſtquam Legationem renunciaturus Roma Grætium reuerſus ſum, totum annum aliis curis deditus exegi, neque ſuperioribus illis LXXXVI. capitibus quicquam ſubtexui, metuere me ſuſpicantur, ne inuidiæ par non ſim futurus, qui quidem librum nondum etiam vulgatum, & cui extrema manus non acceſſerit, vel inter Catholicos non paucos parum propitios & æquos lectores inueniſſe ſciam. Nec enim is ego ſum, qui in iis, de quibus ſalua pietate & officii religione aliis aliter ſentire liberum ac ſolutum eſt, ad alieni potiùs ſenſus coniecturam, quàm ad meum iudicium, ſcribere aut velim, aut debeam: non quò quid reliqui de ſe ſentiant, viro bono negligendum, neque vllius reuerentiam adhibendam putem (id enim cùm αὐθάδους & arrogantis, tum omnino diſſoluti eſſe Tullio aſſentior) ſed quia me partim literæ, quas didici (ꝙ quidem perexiguũ quiddam eſſe ipſe agnoſco) partim non mediocris hominũ rerumq; vſus eorum quę rationẽ non habent improbabilẽ, ignarum & imperitũ eſſe non patitur. Itaq; hoc de me cuiuis recipere ac polliceri poſſum, ſi animo vacuo, neq; gratia aut inuidia impedito rem iudicandam velit recipere, nullo ei negotio me probaturum, nihil prorſus eſſe, cur vel Proteſtantibus

æquo inclementius in ipsos dixisse vel Catholicis molli nimis brachio hostes Ecclesiæ infestissimos agitasse, ac si minus Catholicæ fidei, veræ saltem ac directæ rigidæque disciplinæ præuaricatus esse videar.

Et protestantibus quidem merito satisfeeisse, opinor, debeo, si simpliciter non esse dicam, quod ea scribi à me postulent, quæ ipsis placeant, cum id ne à suis quidem Theologis, quos ditioni suæ habent tamen obnoxios impetrare potuerint: à quorum si eius calumnia defendo, plus certè facio quam ab eo, qni se ipsorum Hæresi hostem implacabilem profitetur, vel per somnium sibi polliceri posse videantur. Quo accedit, quod ipsi in suis Ecclesiis ac scholis omnes Catholicos Reges ac Principes, etiam sacratissimum Imperatorem nostrum, Antichtisti membra, & Babylonicæ meretricis amasios, Christum de gloriæ suę solio perturbare, eiusque loco Papam reponere molientes, palàm sermone, cantu, stilo & pictorum penicillo describi, hoc est tam ipsis, quam nobis interpretibus, peiorum & atrociorum criminum, quam mendacii, furti, adulterii, falsi, insimulari patiuntur, neque quicquam ea re aduersus Pacificatoriam Religionis sanctionem committi persuasum habent. Itaque Hunius sessione XIII. Ratisbonensis Colloquii interpellanti Sereoissimo & religiosissimo Boiorum Duci Maximiliauo: *Vos appellastis Romanum Pontificem Antichristum, quæ est iniuria insignis & clarissima, & hoc nunquam probabitis* velut Dei scilicet seruum ex Apostoli 2. Tim. 2. præscripto decuit, cum summa modestia respondit: *Serenissime Princeps, oportet scapham scapham, ligonem ligonem appellare præsertim in actu confessionis. Et in nostris Ecclesiis id non est iniuria* In quo nihil eum mentitum esse, neque in Protestantium Ecclesiis (*faciunt enim uos & vespæ, faciunt Ecclesias & Hæretici*, ait Tertullianus) vel atrocissima canuicia in Catholicos iacta pro iniuria haberi, silentium Principum Protestantium, qui ei Colloquio interfuere, satis declarauit: quos tacitè Hunio suo plaudere scires, qui quidem quod Papistas vrere ac malè habere posset, tam planè ac sine circuitione elatrare ausus fuerit, meritusque vt illis Pauli ad Timotheum verbis ei acclamaretur: *O homo Dei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus* Quid, quod etiam tot libri in dies à Protestanticus magistratuũ suorum permissu concessuq; vulgantur, quibus Catholici Imperatores, Reges ac Principes, tantum

quod

quòd ab Ecclesiæ Romaniq; Pontificis obedientia turpiter desciscere nolint, inauditis verborum contumelijs lacerantur, & subditis eorum rebellandi & ad arma eundi auctoritas datur, animusq; additur? Vno hic Lutheri exemplo contentus ero. Is anno 1531. librum edidit aduersus Decretum Comitiorum anno priore Augustæ habitorum, cui non tantùm Carolus Cæsar, sed etiam Electores Principes quinque, reliquorum Principum Ecclesiastici quidem triginta, sęculares verò XXIII. præterea XXII. Anristites seu Prælati minorum gentium, Comites ac Barones XXXII. liberæ Imperij ciuitates XXXIX. subscripserant. Hoc Decretum tanta cum auctoritate promulgatum Lutherus *Serenißimorum & Illustrißimorum Porcorum Edictum* appellat, ipsaque Comitia turpissima fuisse ait, quibus palàm aduersus ius fasque & aduersus Veritatem actum fuerit, cuius rei gratia sit, cur vnumquemque Germanum patriæ suæ merito pudeat pigeatque, cur etiam exteræ nationes Germanos dehinc neque metuere, neq; pro viris bonis habere debeant. Eodem anno Regulam suis præscripsit, ad quam omnia sua consilia, dicta ac facta dirigerent. Est autem huiusmodi: *Quoniam Papistas nostros hostes & aduersarios esse palàm est, propterea hoc meum verißimam est Iudicium in sacra scriptura fundatum & fructibus ipsorum declaratum, eos certißime in animo habere, diesque ac noctes id agere ac moliri, quomodo nos deleant & exstinguant. Hoc ipsum, neque melius quicquam, de illis quiuis sibi polliceri potest: neque vlla in eo dubitandi est ratio. quod si quam beneuolentiam aut pacem pro se ferant, proditorium id esse oportet ac Iudæ osculam: aut certe metu id faciunt, quia nondum tantum possunt, quantum vellent. Hoc iudicium nostris & orbi vniuerso latum volo, ad quod se, qui velit, conformare nouerit. Scio me nihil hic mentiri, nisi sacra Scripcura mentiatur.* Anno 1530. libellum idem Lutherus ediderat, in quo Cæsari Carolo, quod à Pontifice inauguratus & Imperiali Corona absentibus Germaniæ Principibus redimitus foret, criminis loco obijciebat. Id autem se pro ratione officij sui facere sic ibidem confirmabat: *Sanè non possum quin curam geram pro misera, calamitosa, deserta, contempta, prodita, venditaque Germania, cui certè optima quæque ex animo cupio, quemadmodum patriæ cupere debeo.* Nempe Carolum Cęsarem Germaniæ proditorem & fundi Germanici calamitatem esse non obscurè significat, quemadmodum & alijs locis eum fidei data immemorem esse, ac simul cnm fratre Ferdinando reuera ac præcipuè non Religionis causam agere, sed Principum Germanorum bonis inhiare, fratre quoque Romanorum Rege renunciando iusiurandum Imperio datum violare, siue, periu-

rum esse apertè scribere ac dicere ausus est. Electorem Moguntinum Albertum Brandenburgicum, Furem, degenerem filium, mendacem, effeminatum, timidumnebulonem, perfidum ac decies in patibulo suspendi meritum: Georgium Saxoniæ Ducem, impudentem & manifestè mendacem, furem, contumacem & seditiosum sicarium, plenum nequitia & dolo, incarnatum Diabolum, non modò spiritualiter, sed etiam corporaliter à Diabolo obsessum, totius Saxonici Stemmatis dedecus, proditorij fœderis socium appellat, ob aliam nullam quàm religionis causam, cùm alioquin ob varias virtutes satis eum laudari posse perspicuè neget. Duces Brunsuicenses natura & progenie feroces ac truculentos planeque indomitas bestias vocat: Bauariæ verò Principes iam à multis sæculis superbos & inflatos semper fuisse & esse censet. Alio loco cùm suam fraudulentam Noui Testamenti versionem à Catholicis Principibus iussu & auctoritate Cæsaris prohibitam accepisset, sic eos vlciscitur: *Tyranni in Misnia, Bauaria & Marchia* (hoc est, Misniæ, Bauariȩ & Brandenburgici Principis) *Edictum promulgarunt de Noui Testamenti exemplaribus Magistratui exhibendis. Hic subditi, nisi salutis æternæ iacturam facere eis libeat, ita se gerere debent, vt neque vnam pagellam, imò nec apicem vnum eis exhibeant. Isti enim Tyranni agunt, pro eo ac sæculares Mundi Principes agere debent. Sunt Principes Mundi. Mundus autem Dei inimicus est. Itaq; nomini tituloq; satis facere & respondere eos oportet. Plerumq; sunt omniũ, quos terra sustinet stolidissimi vel deploratissimi Nebulones, quibus Deus nõ aliter quam ad fungendum Carnificum Lictorumque munus vtitur: in quos conuenit illud Isai. 3.* Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. *Incipit iam plebs sapere, & pœna Principum* (*quæ vocatur Contemptus*) *incrementa in plebe sumit, cui ne resisti non possit, vereor, nisi Principes se gerant, quemadmodũ Principe dignum est, & prudenter ac moderatè præesse incipiant. Hoc sciatis, boni Principes, Deus non vult diutiùs conniuere. Vestrã Tyrannidem & insolentiam diutiùs subditi non ferent, sed nec ferre possunt aut debent. Oportet vos alios* (siue Lutheranos) *fieri, & Euangelio locum dare.* Ex quibus verbis Protestantes Catholicorum subditi discunt, suos Magistratus esse Tyrannos & deploratissimos nebulones, quibus ipsi diutiùs subesse nec possint, nec debeant. qua doctrina in Lutheri libris, Principũ Protestantium auctoritate editis magnificoq; verborum elogio prȩdicatis, quomodo non ad rebellandum saliua multis moueatur? Sed neque Cæsari Carolo omnibusque simul Germaniæ Principibus perfidiȩ publicȩ crimẽ Lutherus idem impingere dubitauit, cùm ita scri-

psit

pſit in eo libro, quem Proteſtantes ſimul cum ceteris ab interitu vindicandum ac ſubinde typis deſcribendũ curant: *Wormatiã veni, quamuis mihi fidem publicam, ſiue, ſaluũ conductum à Cæſare violatum ſcirem. Principes enim Germani ita nunc edocti ſunt, vt nõ iam, ſicut olim, fidei & integritatis rationem habeant, ſed in gratiam Idoli Romani eam contemnant, cum ſummo Germanicæ nationis dedecore & opprobrio.* Et quamuis Elector Saxo Lutherum cõmuni totius Imperij Edicto proſcriptum (id enim Cæſar in ipſo Edicto ter teſtatur) cùm eum Caduceator Cæſarius Wittembergam Wormatia reduceret, in via publica callidè intercipiendũ & omni periculo ſubducendũ curaſſet, quod hoc modo Sleidanus narrat: *Ab ea promulgatione* (Edicti Wormatienſis, quo Lutherus omnesq; fautores & receptatores proſcribebantur) *Fridericus Elector è nobilitate nonnullis, de quorũ fide compertum habebat negotium dabat, vt in locum quendã ſecretiorem & ab hominum frequentia remotũ deducerent Lutherum, vitandi cauſa periculi. quod quidẽ ſumma diligentia fuit & taciturnitate adminiſtratũ:* auſi nihilominus fuerunt Lutherani Cæſarem paſſim inuiolatæ fidei crimen inuidiamq; rapere, ita vt ipſe quoq; Saxo, cuius artificis totum illud erat argumentum, dolenter conqueri auditus fuerit, cùm Lutherum aduerſus datam fidem publicam ſic interceptum eſſe & in vinculis haberi, rem diceret iuri & æquo vehementer inimicam, tum à Maieſtate Imperij magnopere alienam. Neque minùs tamen ipſe Lutherus Cæſaris honorem eo ſugillauit, quòd complures libros ex illo receſſu ſuo emittens, *è Pathmo* ſcribere ſe profeſſus eſt, quaſi ad exemplum Iohannis Euangeliſtę à Tyranno in Pathmon inſulam deportati, ſimiliter ipſe Caroli Cæſaris Tyrannide in eum, quo heluabatur, locum relegatus fuiſſet. *Heluari* ibi ſolitum quàm verè dixerim, ex his Iohannis Matheſij verbis cognoſci poteſt, quibus quid Luthero factum fuerit, poſtquam eum prope Iſenacum Electoris Saxoniæ homines interceperunt, commemorat: *Circiter mediam ferè noctem* (inquit) *in arcem Wartbergenſem haud longè Iſenaco deueniunt, ibi Lutherus captiuus lautè honeſteque acceptus fuit, adeò vt is, qui apothecæ vinariæ condus promus erat, magnopere miraretur.* quid ni enim miraretur ille Magnum illum Germanorum Prophetam, Apoſtolum & Euangeliſtam cum diſcipulis ſuis Ventri Gulæque Dijs magnis tam religioſè ſacra facere & quotiescumque vellet, perlitare? de quo ſodalitio non minùs verè quàm de Sponſis illis Penelopes dici poterat:

> Βοῦς ἱερεύοντες καὶ ὄϊς καὶ πίονας αἶγας
> Οἶνον μὲν φθινύθουσιν ὑπέρβιον ἐξαφύοντες.

Mactantes-

Mactantesque boues & oues pinguesque capellas
Immodica ardentis educunt pocula Bacchi.

Porrò audire est operæpretium quanta pietate & religione hic noui generis Iohannes in Pathmo illa sua tempus exegerit, vt etiam de genere *Apocalypseos, quam dedit illi Deus suus palam facere Germanis*, exploratiùs iudicari iudicari possit. Sic igitur ipse scripsit tertiò ni fallor, exilij sui mense ad Collegam Philippum Melanchthonem: *Displicuerunt mihi literæ tuæ, quod me extollis nimis, & erras vehementer, dum tanta mihi tribuis, quasi pro causa Dei adeò sim solicitus, cùm ego insensatus & induratus sedeam in otio, proh dolor parùm orans, nihil gemens pro Ecclesia Dei: quin carnis meæ indomitæ vror magnis ignibus* (ardenti nempe mero accensis) *Summa, qui feruere Spiritu debeo, ferueo carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia, ac nescio an quia vos non oratis pro me, Deus à me auersus sit. Octo iam dies sunt quod NIHIL scribo, neque ORO, neque studeo, partim tentationibus carnis, partim alia molestia vexatus.* In eandem sententiam ante biennium ad Staupitium suum Confessarium scripserat: *Homo sum expositus & inuolutus societati, CRAPVLAE, titillationi, negligentiæ, aliisque molestiis præter ea, quæ ex officio me premunt.*] Hæc tertius ille Protestantium Elias.

Quamuis autem istiusmodi Lutheri Spiritus fuerit, tantasque & tam atroces Catholicis iniurias cùm ipse fecerit, tum nec hodiè libri eius facere desinant, verecundiæ tamen nõ habent Protestantium Electores, Principes atque ordines libros eius tanquam diuinitùs inspiratos in Canonem referre, eamque velut Regulam ac normam omnium fidei controuersiarum constituere. In suo enim Concordiæ libro totidem verbis de Luthero scribunt, quæ nos etiam Ecclesiastici capite 102. in medium protulimus: *Lutherus vir, imò Heros fuit præstantissimus summaque pietate præditus & singularibus excellentissimisque Spiritus sancti donis illuminatus, qui etiam futura in Spiritu præuideret: præcipuus haud dubie Ecclesiarum nostrarum Doctor, ex cuius Didacticis & Polemicis scriptis propria, vera & genuina Augustanæ Confessionis sententia hauriri potest. Itaque ne latum quidem vnguem vel à rebus ipsis, vel à phrasibus, quæ in doctrina eius habentur, discedere, sed summa concordia in ea perseuerare decreuimus, controuersias omnes ad hanc veram NORMAM & declarationem purioris doctrinæ examinaturi.*

Igitur nihil iam magnopere disputare & ambigere attinet, quem potissimùm omnes hodiernę perduelliones ac rebelliones, illę in primis, quę sacratissimum nostrum Imperatorem indignis modis exercent, auctorem & stimulatorem habeant, cùm pręsertim alijs quoq;

ad il-

ad illud Lutheri exemplum quà ſtilo, quà voce claſsicum aduerſus Catholicos canere, eorumque ſubditis ad rebellandum animos addere per Magiſtratus liceat, cuius generis eſt Anonymi libellus, *Kurzer bericht vvider die Spanier*, hoc eſt, *Breuis relatio aduerſus Hiſpanos*, inſcriptus anniſque ſuperioribus non ſemel typis excuſus. Hiſpanos autē vocat omnes Catholicos, præcipuè verò Auſtriaci ſanguinis Principes, qui ſe maioribus ſuis, Catholicis Hiſpaniæ Regibus dignos exhibent, propterea quod penes Hiſpanos hodie ſumma non minus fidei ac pietatis Catholicæ & erga Romanam Eccleſiam obſeruantiæ quàm noui ac feliciſsimi Imperij omniumq; bellicarũ laudium maximo ipſorum merito cōmoretur. Ex eo libello pauca quędam veluti guſtum, ad quem eius cetera reſpondent, hoc loco dare non ab re fore opinor. *Quoniam* (inquit) *ſine controuerſia de exſtinguendo Euangelij lumine agitur, idq; conſpirationis & ſanctæ Ligæ* (Catholicorũ fœderis) *fundamentũ eſt, velut triſte Aquisgranenſis ciuitatis exemplum, & Euangelicorũ Prædicãtium ex Auſtria relegatio ac proſcriptio ſatis planum faciunt ac tantum non oculis ingerunt: propterea quiuis bona fide Chriſtianus ingentem animum atq; interitũ capeſſet, ſeq; ad ſuam, vxorum, liberorum, patriæq; defenſionē aduerſum immanes iſtos Tyrannos, prædones ac prouinciarũ ſubactores comparabit, eiq; defenſioni corpus, ſanguinem, fortunaſq; omnes promptus ac volens impendet, pro ſua ipſius & publica ſalute ac libertate fortiter ad extremum vſq; Spiritũ propugnabit. potiuſq; honeſtè occumbet, quàm propter ignauiam hoſtibus iſtis perfidioſiſsimis ſe ſubijciat, & in poteſtatem eorum ditionemq; concedat.*] Iam quomodo ex eiuſmodi turbulentis ſeditioſiſq; aduerſus Imperatorē concionibus aliud, quàm ꝙ iam ante oculos eſt ac patet, oriri ac naſci potuerit, cui tandem in mentē veniat? Si Cæſarem immanē Tyrannum prædonem, hoſtemq; perfidum exiſtimare ius faſq; eſt, idq; propterea, quod Aquiſgrano atq; ex Auſtria Prædicantes Lutheranos eiecerit (hoc eſt, quemadmodum ipſi interpretantur, Lutheraniſmum exſtinguere moliatur, tamquam deterior eſſe debeat Imperatoris conditio, quàm cuiuſuis Lutherani Nobilis, qui liber ſit neq; Principum ditioni ſubiectus, cuiuſmodi nullus eſt, qui alium, quàm ſuæ Religionis Præconē toleret, tanquam etiam continuò de Lutheraniſmo actũ conclamatumq; ſit, niſi is Aquiſgrani quoque & in Auſtria receptum habeat) quomodo non pias iuſtaſq; ſeditionum ac perduellionum cauſas habeant, quibuſcumque ſic ſe gerere libet, tamquam nullum eis cum Cæſare obedientiæ vinculum, ſed ſummum diſcidium eſſet atque diſtractio?

Etſi autem omnium conceſſu vitio nobis Catholicis dari nequaquam poſſet, ſi eodem exemplo Proteſtantes, tractaremus, quæque in ipſos conuicia tamquam de plauſtro Prædicantes ſui iecerunt, velut exploratè vera ſimiliter in eoſdem intorqueremus (πάσχειν γὰρ κακῶς ἐχθρὸν ὑπ' ἐχθρῶν οὐδὲν ἀεικές Æeſchylus, hoc eſt, Liuio interprete, *Nemo iuſtè queritur, ſe hoſtilia ab hoſte paſſum. Sunt enim quædam, quæ iure belli vt facere, ita pati fas eſt*) tantum tamen ab eo abſum ego, vt vltrò etiam aduocationem Proteſtantibus commodare, quodque à Prædicantibus maxima cum inuidia ſæpius eis obijcitur *Sacrilegij* crimen, erroris excuſatione defendere conatus fuerim. De cetero, quæ mihi expediendæ ſalutis ipſorum erroriſq; diſcutiendi ratio in primis probetur, ex animi ſententia, ſeduloq; & minimè inſidioſè aperui, eaq; vſus ſum libertate, quæ non dedeceat eum, qui hominum potiùs vtilitati, quàm voluntati ſeruire ſtudeat. In quo etiam tacente me res ipſa, opinor, impetrare debet, vt quoniam magnus Principum Proteſtantium eſt numerus (nam inſtar cxxx. numerare viuos ac ſuperſtites in Imperio poſſe vide) quorũ alij Lutherana, alij Caluiniana ſecta cenſentur, neq; quominus Catholicam veritatẽ cognoſcant & amplectãtur, eadẽ omnibus impedimenta obſtant, ne quod vniuersè à me dicitur, ad ſe ſinguli pertinere, ſeq; à me deſcribi ſuſpicentur, ſed à quibus immunes ſe ſatis norunt, ea forſan apud alium quempiam participem ſuum inueniri poſſe cogitent.

Quod verò ad Britanniæ Regem attinet, cur acerbitate verborum, quatenus cauſæ propter Eccleſiam & patronorum meorum exiſtimationem ſuſceptæ defenſio id ferre viſa fuit, abſtinendum, & quædam inclementiùs in Catholicos ſcripta & facta, ei ignoſcenda cenſeam, ſatis hoc libro meo exſecutus fui, quæ quidem cuiuis æquo exiſtimatori probaturum me confido. nam illos nihil moror, qui omnia, quamuis nihil ad fidei Chriſtianæ ſummam pertinentia, neque bonis moribus aduerſaria, ex ſuo ſenſu ſcribi, prorſusque obnoxios habere amicos poſtulant.

Τούτῳ μὲν ἀνδρὶ μήτ' εἴην φίλος πότε,
Μήτε ξυνείην, ὅστις αὐτάρκη φρονεῖν
Πέποιθε, δούλους τοὺς φίλους ἡγούμενος.
Ne me vnquam amico illo contingat vtier,
Sed nec ſodali, qui ipſe ſe cenſet ſatis
Sapere, atque amicos eſſe ſeruos deputat.

Sed

Sed quamuis ob istam vtriusque generis reprehensionem Medium ferire, quemadmodum à principio demonstraui, rectè videor, rationemq; officij mei intelligentibus lectoribus persolutam confido: quia tamen non tam refert, quo animo quidq; dicatur, quàm quo accipiatur, magnaque hominum pars non quid, sed quis dixerit, cogitat, nisi omnem propemodum operam ludere ventisque profundere verba velim, adstipulatorem & auctorem mihi adoptandum esse intelligo, qui in sua me patiatur auctoritate delitescere, & reprehensoribus meis, tam Catholicis, quam Protestantibus, fidem integritatemque meam præstare, ac pro me spondere cùm velit, tùm possit. Ista videlicet longè certior ac veluti compendiaria fuerit plerisque satisfaciendi ratio, qua multo plus promouero, quàm si quantouis volumine exquisitissima argumenta & inuictissima complectar. Etsi autem quę mihi summi Principes qua viua voce, qua scriptis & consignatis tabulis eam in rem testimonia impertiti sunt (quēadmodum tu, pręstantissimè Princeps, præter ceteros testari potes) quæque ijdem deinceps quoque vbi res postulare visa fuerit, præbere non grauabuntur, eorum me nequaquam pœnitere debet: tamen qui Auctoritatem, quanta hic mihi est necessaria, parem ac tu præstare possit, omnium Principum esse neminem, ipsis non modò non inuitis, sed etiam volentibus ac propitijs, verè affirmare possum. Cùm enim Auctoritas opinionem notitiæ ac scientię eius, quæ agitur rei, tùm magnæ virtutis, postremò erga illos, quibus persuasum volumus, beneuolentiæ requirat: eaque re talis mihi apud vtriusq; generis reprehensotes meos Adstipulator opus sit, quem illi, quis ego sim, & quæ multis iam annis studia consiliaq; mea fuerint, probè scire, neque cuiusmodi sint Protestantium Principes, quos nonnulli à me sic laudatos & defensos nollent, ignorare credant: cuius etiam apud vtrosq; magna sit raræ ac singularis cuiusdam Virtutis opinio: quem deniq; vtriq; bene erga se affectum esse persuasum habeant: facilè mihi omnes, spero, assentiētur in te vno sic esse omnia, vt nullum quantumuis magnum Principem, sine perspicuæ fatuitatis nota, potiùs, quàm te Auctorem optare possim.

Primùm enim iam à multis annis, ex quo Romam Cæsarius Orator venisti, non modò in re pręsenti, quanta meà Protestantium commodis consulendi, non tam cupiditas, quàm contentio foret, cognouisti, sed etiam postea, quàm *Clemens Papa* diem suum obijt, libellum meum, quo Pōtifici hodierno, vt paternam Clementis

erga Proteſtantes benignitatem & hoſpitalitatem imitari vellet, mihique Romam accedentes, & modeſtè ibi agitantes, Inquiſitionis terrore liberandi poteſtatem faceret, perſuadere conabar, ipſe tam Cardinalibus Inquiſitoribus, quàm ſummo Pontifici obtuliſti & accuratè commendaſti: vt ita parùm humanitatis habere Proteſtantes meritò videantur, ſi verba quædam mea, quibus cuiuſmodi eos animi morbis affectos putem, quaque medicandi ratione ſanatum iri videantur, ſimpliciter diſputaui, in deteriorem partem rapientibus, & Proteſtantium iniuriam interpretantibus, quàm tibi de meo erga ipſos amore tot documenris cognito teſtanti, potiùs aſſentiant. *Meliora ſunt vulnera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici*, ait Salomo. Itaqua cùm de mea erga ipſos optima voluntate exploratum habeant, etiamſi mihi de genere morbi, quo medicinæ rectiùs faciendę cauſa teneri eos dico, aliter quàm ipſi velint, aut etiam ſecus, quàm in re ſit, videatur, non poſſunt certè, ſi quis eis reliquus eſt humanitatis ſenſus, meam illam cenſendi libertatem odio ipſorum legare, aut errorem morbique imperitiam (ſi quam in opinione mea hęrere iudicabunt) aſperiùs inſectari.

Sed etiam Catholici errore illo ſuo, quo promiſcuè omnes Proteſtantes quacumque laude indignos putant, eoque nomine mihi potiſsimùm ſuccenſent, per eundem te liberari poſſunt. Non paucos enim iam inde à primis adoleſcentiæ annis, cùm in Auguſto Cæſaris Pædagogio educabaris, familiariter tractaſti, ac poſteriùs matura magis ætate, (quod ita patriæ noſtrę rationes ferant) in Principum procerumque Proteſtantium familiaritatem veniſti. Igitur quod meis verbis alioquin multi minùs crediturі eſſent, facilè tua eis auctoritas perſuadebit, cùm quod hominum vſus te docuit, teſtatus apud eos fueris, homines ſcilicet in eo genere, præter vnius Catholicę fidei gratiam, nullius virtutis ac laudis, quæ vel maximum & conſummatiſsimum Regem ac Principem commendare queat, indigentes, & quibus Deus veritatis cognitionem largiatur, quantam quidem homini, expoſita modò & aperta intuenti, ducere coniecturam fas eſt, multo pleriſque, qui iam Catholici ſunt, digniores inueniri.

Deinde vetò, vt Principes tibi virtute pares reperiri non abnuam, qui tamen ęquè multos, ac tu, tam multiplicium virtutum cōſcios, teſtes & laudatores habeat, nō temerè quēquam ex omni Chri-

ſtianorum

ſtianorum Principum numero inuentum iri cenſeam. Atque id ad fidem minus difficile apud eos fuerit, qui quam varias magnarum rerum publicarum cauſa Legationes iam inde à X X I. tuæ ætatis anno obieris, dextrèque & cum maxima ſagaciſſimi ingenij commendatione confeceris, non ignorent. Prima Legatio tua fuit, quam Sacratiſſimi D. N. Imperatoris auctoritate, ſedandi motus cauſa, quem ſuſcepta *Admirantis Aragonij* in Imperij fines expeditio minabatur, in Belgica obijſti: qua quidem non modò Principibus Imperij egregiè te ac præclaras iſtas animi tui dotes Sereniſſima & Illuſtriſſima *Gonzagarum* familia dignas probaſti, ſed ipſius quoque Cæſaris de te exſpectationi ita cumulatè ſatisfeciſti, vt non multis poſt annis cùm extraordinarium Vngariæ aduerſus infidelium arma defendendæ auxilium à Clemente Pontifice petendum videretur, nemini rectiùs, quàm tibi tam nobilem Legationem mandaturum ſe iudicarit. Eam cùm ex Cæſaris voto & reipub. Chriſtianæ vſu confeciſſes, nihilque iam tibi tam arduum ac difficile committi poſſe videretur, quod non ſingularis illa tua ingenij ad excogitandũ ἀγχί-νοια & perſpicacia, pari comitate ceterorumq; beneuolentiam alliciendi gratia & venuſtate iuncta, feliciter expedire recteque curatum dare poſſet: ordinarij apud Summum Pontificem Oratoris munus tibi legandum Cæſar idem cenſuit. In quo qualem te toto quadriennio aduerſus omnes exhibueris, quam magnificè, ſuper priorum aliquod ſæculorum exempla, Legationis à Cæſare acceptæ amplitudinem ac dignitatem totius Aulæ ac familiæ tuæ ſplendore ſuſtinueris, quam ſummis Pontificibus, purpuratis patribus & ceterorum Regum Principumque Oratoribus, Romę frequentibus, vniuerſæ denique Curiæ, cùm gerendorum negotiorum dexteritatem tum animi magnitudinem, illum virtutum omnium, velut Ariſtoteles cenſet, apparatum, honeſtamentũ ac ſplendorem, probaueris, neque me multis commemorare opus eſt niſi περίεργος, atque in iis, quæ omnium ſermone celebrantur, exponendis putidus videri velim, & conſentiens Pontificis Cæſariſque de te iudicium, quod quidem mutuis ipſorum literis declaratum me videre memini, vt etiam ceteri taceant, ſatis loquitur. Cùm enim Cæſar ſuum de te ad Catholicum Regem legando Conſilium cum Pontifice per literas communicaſſet, propterea quod ſibi Oratore, qui auctoritate, prudentia & agendi dexteritate pollens, functionem ſimul cum dignitate ſuſtinere poſſet, opus eſſe diceret: reſcripſit ad eum Pontifex, ſeque

hoc eius consilium vehementer probare cum amplissima tua laude confirmauit. Quanti iam *Catholicus Rex*, Regum ille sine controuersia maximus, summarum virtutum tuarum nomine te faciat non vno iam perillustri argumento nobis declaratum est. Vt enim alia prætereeam ac relinquam, quod te in amplissimum aurei Velleris Equitum Collegium cooptauit, quod ipse per se suisque manibus eius Ordinis Insigne tibi imposuit, quod Hispaniæ Magnatem te renunciauit, nemo nisi rerum imperitissimus non esse eiusmodi intelligit, quibus Rex non magis beneficio augere, quàm iudicio suo honorare te voluerit.

Postremò nullum ego ex omnibus, quos probius nouerim Principibus adstipulatorem nancisci possem, de cuius erga se beneuolentia tam Protestantes, quàm Catholici iustiores, quàm de tua, bene sentiendi sperandique causas habeant. quem enim maxima quadam erga Deum charitate inflammatum esse ex omnibus eius cùm dictis, tum factis appareat, quin ei salus hominum curæ cordique sit, tutoque fides ab aliis habeatur, nullam apud sanos controuersiam habere potest. quis porrò est, cui quamuis plurima sui in Deum amoris documenta dederit, te si minus præferre, saltem parem facere, & ex æquo componere non audeamus? Si qui sciant quæ ego in præsenti re, cum summa animi mei voluptate & admiratione vidi, abs te Monasterium Capuccinorum Ordini Castilione tua ædificatum & instructum, tum Collegium Societati IESV fundatum, aream eius ære tuo emptam, fructus annuos perpetuos ei attributos, suppellectilem atque vtensilia donata, præterea Parthenonem seu Virginum Deo consecratarum collegium impensis tuis fundatum & exædificatum, statisque reditibus dotatum atque instructum, Ecclesiam denique Collegiatam itidem, instructam, vectigalibus locupletatam, pulcherrimoque sacræ supellectilis instrumento luculente ornatam: ista igitur qui tam breui tempore diuini honoris causa te perpetrasse sciant, quomodo tibi, testimonium de meo reip. Christianæ studio dicenti, non plurimum credant, quippe quem ingens ille gloriæ diuinæ Zelus, siue amoris exsuperantia, cum tanto aliarum virtutum, ista generis tui Nobilitate dignissimarum, instrumento & apparatu coniuncta, longe augustiorem reddat, quàm de cuius sincera propensaque voluntate, erga homines maxime ordine ac dignitate pares, à quoquam bono dubitari possit?

Accedit

Accedit, quod etiam ex paterna, quam populis tibi subiectis impendere soles cura, minimè fallax promptæ tuæ, aliis etiam bene consulendi, voluntatis argumentum duci potest. qui enim ne in illos quidem durior esse sustinet, quos sub sua tenet ditione, & in quos ferme ἀνεύθυνον habet imperium, reddundarum rationum necessitate solutum, ac propter Deum, quem veneratur, cuiusque loco se filiis eius patrem datum cogitat, omnia consilia, dicta ac facta sua ad eorum vtilitatem & salutem collineat: eum satis certe causæ est, cur quisque nec in se aliter, quàm beneuolo animo affectum esse credat, vtique cui *pietas*, & orta inde hominum charitas, quæ *promissionis habere vitæ quæ nunc est, & futuræ ad omniaque vtilis esse* ab apostolo dicitur, iam vsque eò fructuosa exstitit, vt ei vel emolumentum suum φιλανθρωπίαν, siue hominum amorem, suadere debeat.

Ac pietatis quidem tuę fructum iam tum simul ex ephebis excesseras, non pœnitendum cepisti, cùm te *incoctum generoso pectus honesto*, ne cui videlicet ab ingentis maiorum virtutis similitudine, naturæ malignitatis abreptus esse, atque à prodigiosa *Gonzagarum*, Herorm illorum semideûm, fortitudine degenerasse littereris, quo tempore Cesarianus miles *Caroli Comitis Mansfeldici* auspicio atque ductu Strigonium obsidebat, & ingens Turcarum exercitus, qui nostros soluere obsidionem cogeret, aduentare nunciabatur, vltro ei militiæ nomen dare velle perpulit. Cum enim magnis iam impensis, pro eo ac familiæ dignitas postulare videbatur, ad iter Vngaricum & ad militiam te comparasses, pleramque etiam Nobilitatem, quæ tum Aulam Cæsaris frequens obibat, cùm gratia, tùm æmulatione quadam, ad imitandum exemplum tuum, inflammasses, ecce tibi ex transuerso sacratissimus Imperator vitæ tuæ in castris ab inimicis tuis insidias iam comparatas esse, certò comperisse se significat, ac pro amore, quo te, Aulæ ac disciplinæ suæ alumnum, complectebatur, vt eo bello supersedeas & in Aula sua vitam tuam munias, edicit.

Sed non illa tantum vice, tua te pietas tutata est, & penitùs abstrusas pestium quarundam, alienis bonis auidiùs inhiantium, insidias elusit. in quo tamen non tam incolumitati tuæ, quàm quod odiũ eorundẽ, in summã beneuolentiã, tuiq; admirationẽ conuersum, per magnũ diuinæ erga te gratię argumentũ & indiciũ exhibet, gratulandũ videtur. Sic enim ex Prou. 16. discimꝰ: *Cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem.* Subditi certè tui, quorum

tanta

tanta quondam fuit insania, vt eorum odium erga te, pœnè adhuc puernm, vix etiam cæde tua satiari posse videretur, te iam non reuerentur, non amant, sed pœnè dicam adorant,

> Ε᾿χόμενον δ᾿ἀνὰ ἄςυ θεὸν ὣς εἰσορόωσιν
> *Vtque Deum adspectant, tibi cum licet ire per vrbem,*

In quo nihil eorum falli iudicium cum finitimorum populorum consensus, tum ipsa ratio planum facit & confirmat. quidni enim singulari Dei beneficio hunc sibi Principem obtigisse credant, ac velut diuinum colant, quem sic perpetuò pro salute & vtilitate ipsorum animo excubare ac vigilare videant, vt in illo habeat locum quod est apud poëtarum principem,

> Τόφρα δὲ οἱ κομιδή γε θεῷ ὣς ἔμπεδος ἦεν.
> *Perpes cura subinde erat illi numinis instar?*

Iusti & æqui tam te obseruantem cognouere, vt si omnino *Astræa* virgo ad superos, vt est in poëtarum fabulis, ex orbe reliquo subuolasse crederetur, tua tamen opera rursum è cœlis deuocata esse, & Castilioni tuæ domicilium collocasse videri queat. Pietatis verò & religionis tuæ adeò eos non pœnitet, vt *B. Aloysii* fratris tui natu maioris,

> (*Aurea nunc illumstellantis regia cœli*
> *Accipit & numerum Diuorum altaribus auget*)

non magis patrimonii, quàm sanctimoniæ hæreditatem creuisset te existiment, & quemadmodum illius in cœlis patrocinio, sic tuo in terris exemplo se iuuari & ad eiusdem pietatis ceterarumque virtutum studia perduci gaudeant. nam illa quamuis per se magna certissimumque animi cùm excelsi, tùm assiduè de repub. soliciti argumentum habentia, quod non tantùm Arcem Castilionæam iam loco & opere ac vel maximè fido Hispanorũ militũ præsidio munitã, validiori opere magis firmasti, sed etiã tàm ciuitatẽ ipsam, quàm cetera tuæ ditionis opida amplificasti, & multis rebus ornatiora reddidisti, omninoque quod subditorum incolumitati & ornamento inseruire queat, reliqui nihil fecisti: hæc igitur, ceterarum laudum tuarum cõparatione velut minuta, fortasse commemorari non debere videantur: vnum verò præterea tacitus præterire nullo genere nec possum, nec debeo, ex quo ingens ille tuus magnarum virtutum amor pariter, ac felicitas eorum, qui te principem talem nacti sunt, clarissimè perspicitur. *Dominicam Calubinam*, virginem Castilionensem, Amator suus, quem ipsa mutuè amabat, cum eoque in matrimonium conuenire

nire

nire auebat, quòd posthabita pudori libidine sui copiam sæpius appellanti constanter negasset, amoris impatientia victus occidit. Ibi tu sapientissimè non minùs reip. interesse iudicans tam raræ virtuti præmium, quam eius atrocitatis sceleri pœnam persolui, facinorosi quidem distentum corpus quaternis equis indiuersa concitatis discerpendum dedisti, Virgini verò insignem statuam, ne pudicitiæ eius memoria moreretur, in celeberrimo ciuitatis loco cum Elogio posuisti. quæ res haud facilè dixero, maiores ne in animis subditorum tuorum ad honestatis ac virtutis studia excitandis, quàm in augendis tuis laudibus, & amore omnium, qui rem gestam inaudissent, alliciendo vires habuerit.

Atque ista sunt magnanime ac Generose Princeps, quæ me, vt ex omnibus Principibus te potissimum auctorem & adscriptorem mihi meoque *Ecclesiastico* deligerem, impulerunt. Dedit nempe tibi Deus auctoritatem, quantam ad tenendam eorum gratiam bonamque opinionem sufficere demonstraui, apud quos bene me audire, mea fortasse non multum, ipsorum verò ac reipub. plurimum interest. Neque autem tu eam tibi Dei gratia atque dono obtigisse aut ignoras aut dissimulas. *quid enim habes, quod non accepisti?* Ac propterea iniuriam spectatissimæ illi pietati tuæ, summoque benè de rep. Christiana merendi studio facere meritò videar, si, vt libro huic meo ad gratiam & bonam opinionem hominum auctoritate tua suffragari velis, ambitiosiùs abs te petam. Potius igitur Deum, quod te quoque velle scio, supplex venerabor, vt quoniam *neque qui plantat, est aliquid neque qui rigat*, ipse *incrementum det*, vt & mihi laboris libro impensi, & tibi adstipulationis tuæ fructus constet. Tuam ac tuorum salutẽ precibus meis Deo commendare ne sit arrogantis subuereor, qui vobis non modo fratrem *B. Aloysium*, sed & filium tuum, quem vix à matre natum, & salutaribus baptismi aquis renatum, in ciuitatem cœlitum ac supernam Ierusalem Deus transcripsit, assiduè apud Deum patrocinari exploratum habeatis, tuque non tam orationis meæ meique similium, parum efficacis, indigere quàm verissima illa gratulatione, cuius verba nobis Propheta præit, prosequendus videaris: *Beatus qui semen habet in Sion, & domesticos in Ierusalem,* VALE. Prid. Kalend. Septemb. Anni CIↃ. IↃC. XI.

d SVM-

Summarium Ecclesiastici

Quo argumentum singulorum totius libri capitum comprehenditur.

QVoniam Serenifs. Britanniæ Rex cùm alios tùm præcipuè Austriacæ gentis Principes ab Ecclesiæ Catholicæ communione Summique Pontificis obedientia abducturus, non tantum argumentis, sed etiam Auctoritate vtendum sibi putauit, quod Aristotelem plus Auctoritati, quam Argumentis ad persuadendum momenti tribuisse sciret: ego eidem Augustæ genti fidelis consiliatij operam nauare cupiens, cùm abhinc biennio Legationem apud Sedem Apostolicam obirem, & Illustrissimi Card. Bellarmini librum, quo argumenta Regis refellerentur, sub prelo esse accepissem, has mihi partes sumpsi, vt Auctoritatem eiusdem Regis minuerem, & Austriacis potissimùm nihil esse, quod opinione de Regis doctrina, virtute, & erga ipsos beneuolentia vllam in partem moueantur, ostenderem, illis denique qui librum Regis ab Austriacis repudiatum spretumque esse minus vellent, causam eorum liquido probarem, & nihil nisi ex officio ab iis ea quidem in re factum fuisse vincerem. Cûm autem Auctoritas opinionem prudentiæ seu doctrinæ, tum virtutis & candoris, postremò amicitiæ seu beneuolentiæ complectatur, satis habui Regi alioquin eruditissimo & prudentissimo intelligentiæ ac scientiæ, quantum instituta res postulabat, opinionem derogare: ceterum quin eum Austriaci pro viro bono optimèque erga ipsos affecto habeant, adeò non sum conatus impedire, vt cùm haud pauca essent, quæ ipsum in hominis tecti minusque candidi, & alienioris ab Austriacis animi suspicionem vocare possent, ego Virtutem eius & Amicitiam, quam erga Austriacos profitetur, ex omni suspicione stilo meo vindicandam susceperim. Et ea quidem quæ virtutem eius suspectam & sermonibus oportunam facere possent, atque ex ordine à me diluuntur, hanc habent summam.

1 Lutherus, Caluinus, alijque primarij noui istius Euangel j Præcones siue Prædicantes seriò affirmant, vix vllum virum bonum inter Euangelicos siue protestantes inueniri. Cap. 1. Caput 1.

2 Primarius articulus & caput ac fundamentum fidei Protestantium non patitur quenquam esse virum bonum. Cap. 2 & 3. 2. 3.

3 Orator Anglicus apud Venetos palàm fatetur, se propterea à Rege missum esse, vt eius causa mentiatur. Cap. 4. 4.

4 Rex tectè nimis & ambiguè Fidem suam profitetur, vt varias

Hæreses verborum suorum amphibolia & æquiuocatione occulta-
re videatur. Cap. 5.

5 5 Idem doli suspicionem mouet, dum se quoties vllum sibi caput religionis, suæ nouum ac recens esse ostendatur, statim ab eo discessurum spondet, cum tamen Lutherus (magno wigandi Flacij aliorumque protestantium Theologorum assensu) testetur, TOTAM suam doctrinam nouam esse, & ab Apostolorum vsque ætate neminem vnum fuisse, qui, velut ipse doceat, crederet, eodemque modo sacras literas intelligeret ac propterea non ab hominibus, sed
6 à Diabolo se præcipua sui Euangelii capita didicisse glorietur. Cap. 6.

6 Idem apertissimam veritatem negat, cùm negat vlla inter Protestantes esse dissidia, nisi de rebus indifferentibus friuolis ac parui
Cap. momenti: quod longè aliter se habere non modo Prædicantes, sed
7. ipsi quoque Protestantium principes palàm testantur. Cap. 7.

7 Idem apud Catholicos sacram scripturam ignominiosè tracta-
8.9.10 11.12. ri, multosque, quod eam legere fuissent ausi, combustas fuisse insi-
13.14. mulat, id autem verè se dicere numquam probare potest. Cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. quibus etiam exequor, quæ Catholicorum erga S. Biblia sit reuerentia, & quanta Lutheri ac protestantium erga eadem impietas.

IAM quæ idem Rex acerbiùs & contumeliosius in Catholicos promiscuè omnes maximè verò in Reges ac principes, imprimisque Austriacos iacere, iisque animum alieniorem prodere videri queat, hæc sunt:

15. 1 Notat Catholicos fatuitatis, eosque se pro Christianis non habere iurat. cap 15.

2 Idololatras eosdem vocat minimè ferendos & abominabiles.

3 Eosdem Adoratores Bestiæ siue Antichristi vocat.

4 Eosdem siue stuporis, siue malitiæ insimulat qui Iesuitas foueant, pestes regnorum, cædium auctores, & perfidiæ magistros vbi & Iesuitas purgo, & quæ in illos Rex iacit, omnia de Luthero ac Lu-
16. 17. theranis verissima esse vinco. Cap. 15. 16. & 17.

5 Illicita matrimonia auctoritate Pontificis contracta libidines-
18. que Catholicis exprobrat, & vel Poloniæ, vel Galliæ Regem perstringere videtur, Cap. 18. Vbi etiam doceo, Regi non posse matrimonia illorum illicita videri, cum Lutherus, magister

eius

eius, etiam priuatis hominibus plures vxores, imò ſimul duas ſorores ducere permittat.

6. Hiſpaniç & Galliæ Reges Simoniæ inſimulat, qui pecunia Cardinalium ſuffragia mercentur ad deſignandum Pontificem, quem ipſi rationibus ſuis idoneum fore ſperent, Cap. 19. & 20. Vbi & Regem excuſo, ſimulque cur ſine acerbitate ac verborum contumelia aduerſus eum diſputandum putem aperio, quanta denique Lutheri in ſummos Reges ac Principes maledicentia fuerit, exemplis aliquot demonſtro. Cap. 19. 20.

ABSOLVTA Regis defenſione aut excuſatione, ad minuendam doctrinç ſiue ſcientiæ eius opinionem accedo, ſic tamen vt nihil de ingenij eius aut ſçcularis literaturæ prudentiæque laude detrahere, ſed cœcitatem ei in rebus diuinis obtigiſſe demonſtrare coner. Cap. 21. 21.

Etſi autem diſputationem Regis longè abſurdiſſimam eſſe prorſusque à communi ſenſu abhorrere, aliquibus viginti Parabolis, in ſacris literis ab ipſo Spiritu ſancto præmonſtratis, docere conſtitueram, tamen partim propter temporis anguſtiam, partim libri molem veritus, tribus Parabolis vt contentus eſſem animum induxi.

Parabola prima.

ECCLESIA comparatur cum corpore humano. Caput eſt ordo Eccleſiaſticus; anima eſt religio Catholica; Oculi ſunt, qui vident, ſiue ſacras literas intelligunt; Aures, qui rerũ occultarũ reuelationes habent: Nares, qui diſcernunt Spiritus, vtrũ ex Deo ſint. Vertex, qui ſupremus eſt in Eccleſia, nempe Pontifex, cui totum corpus Eccleſiæ ſubeſt. Is vertex binas coronas, ex auro & argento ſuſtinet, ad ſignificandam duplicem Eccleſia poteſtatem, ſpiritualem ſiue ſacerdotalem, & ſecularem, ſiue Regiam. Manus ſiue Brachia ſunt Reges ac Magiſtratus ſeculares, quia totũ corpus alere, veſtire, ſanare & tueri debent, gladiumque materialem ad capitis nutum & imperium ſtringere. Hanc parabolam exſequor à capite 22. vſque ad caput 55. & inde ſic argumentor. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

Rex Britanniæ negat manus ac brachia capiti subesse oportere, neque oculorum capitis opera vti, neque capiti siue ori cibum ingerere, neque id vestibus tegere & aduersus quamcumque iniuriam defendere: sed magnopere auctor est manibus ac brachiis, ne capiti subesse & ab eo dirigi velint, sed vt ipsa oculorum vsum sibi vindicent, & cibo caput prohibeant, omnique tegmine & vestitu spoliatum cœli ac tempestatum iniuriis exponant, & non modò aduersus sicarios & aggressores non propugnent, sed vltrò etiam gladium aduersus caput suum stringant.

Apparet ergò cœcitatem, væsaniam & furorem diuinitùs ipsi esse obiectum, neque quicquam est, cur quem opinione ingenii & doctrinæ suæ in sententiam suam traducat.

Cap. 28. 29. Ecclesiam semper habere Caput adspectabile in terris, ad quod consulendum omnes Christiani adscendere possint & debeant, Capp. 28. & 29.

30. 31. Petrum à Paulo neque seriò, neque simulatè reprehensum fuisse, atque adeò reprehendi nequaquam potuisse, & Paulum doctrinæ suę confirmationem à Petro & auctoritate eius petijsse, Cap. 30.

32. 33. 34. De titulis omnium regnorum & dominiorum, & cur Petrus ceteris Apostolis prælatus, Caputq; Ecclesię datus fuerit, Capp 32. 33. 34.

35. 36. 37. Christum duplicem potestatẽ, directiuam & coactiuam, siue Spiritualem & temporalem Ecclesię reliquisse, Capp. 35. & seqq.

38. 39. Barbaros noui orbis incolas & Insulanos terrore gladij sęcularis ab Hispanis Ecclesiæ subijci debuisse, Capp 38. 39.

40. 41. 42. 43. 44. 45. Christus, tamquam Homo, passione & morte demum potestatem sęcularem totius orbis acquisiuit & Ecclesiæ reliquit. Capp. 40. & quinque seqq.

46. 47. 48. 49. Varijs eorum argumentis respondetur, qui Christo & Ecclesię regnum sęculare sententia sua abiudicant Capp. 46. & seqq.

50. 51. 52. 53. 54. De donatione Constantini, eam falsam esse, neque Romam Ecclesiæ à Constantino donari potuisse, & Romæ dominium iure diuino Ecclesię competere, Cap. 50. & seqq.

Parabola secunda.

ECclesia est ciuitas, siue respub siue regnum Christi, cuius Prorex ac summus Vicarius est Pontifex, in Arce ciuitatis, siue Romæ habitans:

habitans: Duces & Principes sunt Episcopi. Subditi fideles & obedientes sunt Catholici, & ex his Milites, siue defensores, alij gladio Spiritus pugnant, vt Theologi, alij gladio materiali, vt sęculares magistratus. Subditi rebelles & factiosi, sunt Schismatici & Hæretici. Hanc Parabolam à capite 55. vsque ad caput 147. exsequor, & inde huiusmodi argumentum duco:

REX Britanniæ auctor est subditis, in primisque Militibus, ne iussui Proregis & Senatusconsulto pareant, neque Proregi & Optimatum consilio potestatem Leges declarandi, aut noua rerum emergente necessitate supplendi, corrigendi & relaxandi, neque psephisma aut Edictum vllum de ijs, quæ Lege dilucidis verbis sancita non sunt, faciendi relinquant, Sed potiùs ipsi Proregem & Proceres regnis ad suum nutum ac ditionem adigant, & Leges, quemadmodum ipsi velint iubeant, declarare cogant, aut nisi id faciant, in eos ipsos, quibus dicto audientes esse, quorumque potestatem & imperium tueri debebant, arma sua conuertant, & omni vi Arcem regni siue ciuitatis oppugnent.

Apparet igitur Regem quamuis ceterarum rerum sapientissimum, hac vna tamen in eo longè maxima non vulgariter insanire, neque esse, cur quis vllam consilio eius, tanquam ingeniosi & eruditi Regis, auctoritatem adiungat.

Gentiles qubus rebus moueant, vt Romanam Ecclesiam potiùs, quàm Hæreticorum Synagogas, pro ciuitate Dei habeant, & in ea ciues fieri velint, Capp. 55. 56 57. 58. Cap. 55. 56. 56. 58

In Ecclesia Catholica Dei OPVS ab omnibus, etiam Gentilibus videri posse, diuinam nempe potentiam, diuinam charitatem siue sanctitatem & diuinam sapientiam: in Hæreticorum Synagogis aliam rem esse, Capp. 59. & seqq. vsque ad finem Parabolæ.

Primum specimen diuinæ potentię in Ecclesia sunt miracula, maximè Antichristi tempore, cuius mendacia miracula, siue præstigiæ, veris Ecclesiæ miraculis superari debent, Cap. 59. & 60. 59. 60.

Aliud eiusdem potentiæ specimen est, magna vis, siue violentia illa: qua plurimi se ipsos castrant propter regnum cœlorum, siue, castitatis votum Deo persoluunt, Cap. 61. 61.

Aliud

Cap. Aliud, est multitudo eorum, qui obedientiam & paupertatem re-
62. ligiosè vouent & præstant, Cap. 62.

Aliud humilitas & integritas confeſsionis peccatorum & ſatisfa-
63. ctionis ſiue morrificationis ſui ipſius, Cap 63.

Cuiuſmodi potentiam apud Proteſtantes videre Gentiles queant,
64. Cap. 64.

Aliud ſpecimen eſt obedientia Catholicorum erga Pontificē & E-
piſcopos, quos non aliter, quàm cæci viæ Ducem ſecurè ſequuntur,
65. Cap 65.

Aliud, honorificentia & liberalitas erga Sacerdotes & Monachos, quæ illuſtrator contemptu Prædicantium inter ſuos Proteſtantes, à quibus eos vltrò etiam ſpoliari & infames exiſtimari, Lutherus &
66. Muſculus teſtantur, Cap. 66.

Apud Proteſtantes nihil eſſe, quod Gentiles diuinum exiſtimare poſſint, cùm Lutherus ipſe fateatur, ſuam doctrinam miraculis deſtitui, cumque friuola illa ſint, quæ Rex Angliæ Lutheraniſmi miracula commemorat, cum denique Lutheri prædictiones de doctrinæ ſuæ duratione & inuicem contra dicant & euentu ipſo mendacij conuin-
67. 68. 69. cantur, Capp. 67. vſque 73.
70. 71. 72. Charitatis diuinę ſpecimen in Eccleſia eſt Martyrium, quod multi Catholici Sacerdotes vltrò inter Gentiles ſuſcipiunt, quia nempe Deum & proximum perfeſtiſſimè amant: ſicut contrà Hæretici ſe ipſos, & ſuam ſiue libertatem, ſiue gloriam amant, ideoque ad Genti-
73. 74. 75. les non accedunt, neque Dei amore vitam amittunt, ſed velut blaſ-
76. 77. phemi iuſtè occiduntur, Cap. 73. & ſeqq.

Quid interſit inter Perſeuerantiam Catholicorum, etiam illorum, qui ſuam ſententiam argumentis tueri nequeunt, & inter Hęreticorum Pertinaciam: illos quippe in ſententia manere propter rationem & teſtimonium diuinum, hos partim propter voluptatem, ſiue, quod eis in ſentētia manere iucundū ſit, partim propter ſtuporē partim ꝓ-
78. 79. 80. pter vtrumque. Voluptatis nouē cauſæ exponuntur, Cap. 78. 79. & 80.

Proteſtantium præcipua Pertinaciæ cauſa eſt odium Catholicorum, cuius tres cauſas reddo. 1. quia ferè in omnibus fidei capitibus perſuaſum eis eſt Catholicos opinionem habere manifeſtè falſam & impiam, cuiuſmodi eſt, quod B. Virginem diuinis honoribus à Catholicis affici credunt. 2. quia ſuſpicantur Catholicos conſilia agitare de ipſis vi aut dolo ſub Pontificis iugum redigendis, neque fidem Hæreticis ſeruandam exiſtimare. 3. quia ſe aditu beneficiorum Eccle-
ſiaſticorum

ſiaſticorum prohiberi, ſuiſque familijs egeſtatem ex eo obtigiſſe aut imminere dolent. Vbi & exempla plura Principum Germaniæ Epiſcopatibus & Prælaturis præfectorũ ex hiſtoriis recenſeo, Cap. 81. 82. Cap. 81. 82.

Pertinaces ob ſtuporem, & obſtuporem ſimul ac voluptatem cuiuſmodi ſint, quantasq; ambitio ſeu gloriæ ſpes, & vindicta cupiditas ad animos in ſententia obſtinandos vires habeat: quodq; eiuſmodi pertinacia non niſi metu aut dolore expelli poſſit: apud ſtupidos verò etiam auctoritas contraria non parum valeat, Cap. 83. 84. & 85. 83. 84. 85.

Pertinaces diſputando non ſanari, omneſque Theologorum cum Hæreticis diſputationes fugiendas eſſe, cùm neq; quicquam proſint, & non parum etiam noceant. nam & Hæreſes inde ſerpunt, & lites generantur. Serpunt quidem Hęreſes 1. quia populum decipit auctoritas Hæretici diſputatoris vanis quibuſdam rebus parta, 2. quia Hæretici ad ſcripturas & ad populi iudicium prouocant & ſic auditorum animos ſolicitant. 3. quia hominum vitiis & ad vitia procliuitatibus blandiuntur. 4, quia nouitate opinionũ homines alliciunt. Vbi quantum Reip. noceat, nouis inuentionibus & veterum legũ atq; inſtitutorum reprehenſionibus aut mutationibus locum dari, ex philoſophia ſacra ac profana, & ex ipſius Lutheri verbis doceo. Cap. 86. 87. 88. 86. 87. 88.

Lites generantur ex Diſputationibus de religione, quia vel ipſe Diſputator Catholicus eſt Dyſcolus & iracundior, vel ei materia diſputationis, vel Aduerſarius denique Dyſcoliæ cauſam præbet. Ipſe Diſputator Dyſcolię cauſa eſt, ſi vel natura ſit moroſior & irę paratioris, vel Dialecticam non ſatis didicerit adeoque propter ſuam imperitiam victoria ſeſe excidere ſentiat, Cap. 89. 89.

Ipſa res ſeu materia, de qua diſputatur, Dyſcolię cauſam præbet, ſi quęſtio vel ſit ſtulta, vel ſine diſciplina. Stulta quæſtio eſt, vbi ſcriptum eſt in ſacris literis? cùm ſæpe non ex verbo, ſed ex opere Dei fides probari debeat. Cap. 90. 90.

Quæſtiones ſine diſciplina ſunt, cùm quis Scripturas opponit falsò intellectas, ex quibus apparet, opponenti defuiſſe diſciplinam boni magiſtri. Ex vtroque Quæſtionum genere iram, Zelum & Dyſcoliam exſiſtere, ac propterea Diſputationibus cum Hęreticis ſuperſedendum eſſe Tertulliani argumentis doceo, Cap. 91. & 92. 91. 92.

Ipſe denique Aduerſarius ſiue Hęreticus Dyſcolię & irę cauſam prębet. 1. ſi ſit ſtupidior & ea operosè probet, quę vltrò ei conceduntur. 2. ſi conuictum ſe ſentiens à propoſito in aliam materiam deflectat. (Cap. 39.) 3. ſi Catholicorum dicta aut facta manifeſtè calumnie- 93.

tur, omnique vi ſententiam eis affingere velit, de qua ipſi numquam ſumniarunt, quod quidem Lutherani faciunt in Sanctorum Inuoca-
Cap. 94. tiōe exagitanda (cap. 94.) 4. ſi taceat, vel ne victus videatur, vel ꝙ Ca-
95. tholicum multò ſe doctiorem contemnat (cap. 95.) 5. ſi vel verbis,
96. vel factis in Catholicos ſit contumelioſus, Cap 96.

Cùm quare à Diſputationibus de religione ſuperſedendum ſit, docuerim, quo ergo modo cum Hæreticis agi, & ab ijs in errorem abducti reduci debeant diſputo, cuius diſputationis tria ſunt capita 1. quis, 2. Cui 3. Quid de religionis cauſa proponere, aut non proponere debeat. Ad primum reſpondeo, eum debere, cui Deus ſiue officium paſtoris, ſiue ſufficientem Auctoritatem tribuit, hoc eſt, qui & negotij bene intelligens, & vir bonus, & bene erga illos quibuscũ agit affectus videatur. Intelligens videri poterit 1. ſi ſacras literas multum triuerit. 2. ſi libros Hęreticorũ legerit: 3. ſi multũ cum Hęreticis conuerſatus fuerit. 4. ſi & ipſe aliquando in Hæreſi heſerit. 5. ſi naturam & ingenium Hæreticorum verbis probè depingere ſciat, Cap. 97.

97. Vir bonus vt videatur, omnino neceſſe eſt, vt omnem ambitionis & auaritię ſuſpicionem ab ſe ſegreget, neque Prælatorum vitijs adu-
letur, ſed ea ingenuè fateatur ac deteſtetur, nihil malam eorum gra-
98. tiam veritus, Cap. 98.

Beneuolus erga illos, quibuſcũ aget, videbitur 1. ſi eis ſit ſimilis aut æqualis 2. ſi ſeriò cum eis agat & magnam pro ſalute illorum ſolicitu-
96. dinem præſeferat. (Cap. 99.) 3. ſi eis, cum poteſt, aſſentiatur & obſecundet in ſententijs ſcilicet indifferentibus, aut cùm ſententiam, quam Catholicorũ eſſe falsò credunt, oppugnant, aut cùm imprudentes ſuorum magiſtrorum opiniones inſectantur, quod ſæpe fieri neceſſe eſt ob propriam Hæreticis, in primis Luthero & Auguſtanæ Confeſſioni, mutabilitatem & inconſtantiam. 4. ſi commotis
100. 101. 102. non contradicat & diſputationem ſubterfugiat, Capp. 100. 101 & 102.

Vt ſciri queat, cui in religionis cauſa nauari opera debeat diſtinctè eorum, qui Hæreſin docent, tum eorum, quos illi docent, præcipuè Principum ac magiſtratuum mores, naturam & ingenium è ſacris literis deſcribo: tum in ſpeciè quales ſint Proteſtantium Principes, priùs ex Lutheri aliorumq; Prędicantum, deinde ex meam ſententiam expono, eoſque à Prædicantibus ſuis iniuſtè & minis contumelioſè

Cap.

meliosè tractari contendo, cùm fures, raptores, sacrilegi, canes & porci appellantur, Capp. 103. 104. 105. 103. 104. 105.

Quid Episcopi aduersus Hæreticos suscipere debeant, vitæ nempe innocentia potiùs, quàm verborũ disputatione eos refellere, suos verò subditos ad bonorum operum studium excitare, & fidelem sermonem, qui maximè secundum doctrinam est, docere, qualis sermo est is, qui auctoritatem Pastorum ex sacris literis confirmat. Episcoporum enim auctoritas propter diuini tum verbi, tum operis testimonium fidei nostrę fundamentum esse debet, Cap. 106. 106.

Hęretici omnino disputare volentes ad disputationem admitti nõ debent, sed sapienter eludi, cùm abest potestas sęcularis gladij, quę illos coërceat, Cap. 107. 107.

Thuanus, Parisiensis præses, quem in Historię suę prefatione Hæreticis patrocinari, & Austriacorum subditis rebellandi auctoritatem dare non puduit, proinde vt improba eius pręuaricatio merita est, à me accipitur, atque Ecclesię & Hispanorum erga Hæreticos censoria seueritas defenditur, Cap. 108. 109. 110. 108. 109. 110.

Qnia idem Thuanus ad euentum prouocat, & propterea Hęreticis Autonomiam, siue Hæresion libertatem, negandam non esse contendit quod eam negasse ingens Austriacorum rebus damnum attulerit: propterea alias causas plures enumero, propter quas Austriaci minùs feliciter rem gerant, quarum præcipua est familiamque ducit, quod minùs Hæreticos oderint, nimiumque eis crediderint, & indulserint. Cap. 111. & seq. 111. 112. 113. 114. 115.

Diui Caroli V. Cæsaris honorem aduersus eundem Thuanum tueor, qui optimum maximum Imp. non modò imprudentiæ seu stoliditatis notat, sed etiam periurij insimulat, quasi qui Imperium sibi ac familiæ suæ hereditarium facere conatus fuerit, Cap. 116. 116.

Pacem Religionis Protestantibus datam à Catholicis seruari oportere, neque eos armis, etiamsi multo plus possint Catholici, ad Ecclesiam redigendos esse doceo, cùm magis nunc, quàm alias vnquam, ad conuersionem accommodati videantur, cuius opinionis causas ex Synagogæ Iudaicæ exemplo reddo. Cap. 117. 118. 117. 118.

Sicut Philistæus Goliath à Dauide, sic Hæretici à Laicis Catholicis gloriosiùs & certiùs vincuntur, si faciant ea, quæ Dauidis illa pugna mysticè, ac velut ipse Spiritus sanctus docet, alligoricè declarata continet. qua occasione plurima moneo, quę vtiliter obseruent

seruent

Cap. ſeruent ij, qui cum Hæreticis habent negotium, quorum etiam ignoratio magnum Hæreſibus incrementum afferre ſolet, *Capp.* 119.
119.120.121. vſque ad 127.
122.123.124. Abſoluta Charitate, quam Gentiles in Eccleſia Catholica & apud
125127. Proreſtantes videre poſſunt, ad Sapiētiam accedo, quę ijſdem Gentilibus admirationem excitare queat. Vbi & Moralem & Politicam Proteſtantium ſapientiam examino, & Melanchthonem de Tyrannide intolerabili ex ſublata iuriſdictione Epiſcoporum oritura, vera pręnunciaſſe demonſtro exemplo Auguſtanę Confeſſionis toties deprauatæ, & Saxoniæ atq; Electoralis Palatinatus, vbi religio non multis annis ex Principum nutu ſexies aut ſepties mutata, *Cap.*127. vſque
128.129.130. ad 121.

Singularis lucet in Eccleſia Catholica Prudentia 1. quod attinet ad ipſam Reipub. formam, ex tribus rectis formis ita miſtam & temperatam, vt eam ſeruari incolumem omnium ordinum interſit, *Cap.*131.
131. II. quod attinet ad iuris legumq; deſcriptionem, quę probabilis, imò admirabilis eſt primùm iudicio eorum, qui politicarū rerum habent ſcientiam, cùm & rectè ſint latæ leges, & vt rectè obſeruētur cautum ac prouiſum: deinde etiam illorum iudicio, qui non niſi ex effectis atque euentis iudicare ſciunt.

Rectè latas eſſe Leges hinc patet 1. quia ſunt ad Reip. formam accōmodatæ. 2. quia pleraq; maioris momenti ipſæ definiunt, ſic tamen vt
132. Magiſtratuū ac Iudicum prudentiæ quædam relinquant. Vbi diſputo
133. de Æqui ac boni (cap.132.) deq; Pſephiſmatis ſiue ſenatusconſulti aut decreti vſu ac neceſſitate in Eccleſia (cap.133.) quodq; Leges non ſcriptæ ſiue Traditæ parem ac ſcriptæ auctoritatem habeant exemplo
134. Reipub. & iurisprudentię Romanæ (cap134.) quodq; Ius nō ſcriptū ſit iuris ſcripti interpres, certiusq; ac durabilius, magiſq; neceſſariū ſcri-
135. pto (cap 135.) 3. quia ꝙ ad publicum ius attinet, Magiſtratuū, maximè maiorū creationē ita ordinant, vt magis ex vſu publico nequeat. Vbi in ſpecie de Papatu diſputo, & cur ad eum Itali præter ceteros idonei
136. (cap.136) 4. quia ius priuatum ita deſcribunt, vt & facile diſci ac reti-
137. neri, neq; quenquam temerè effugere aut latere poſſit, *Cap.* 137.

Vt rectè obſeruentur Leges, cautum ac prouiſum eſt 1. per Pædian ſiue diſciplinam & inſtitutionem iuuentutis priuatam ac publicam. 2. per Tribunalia priuata ſeu conſcientiæ, & publica quod ad fidem ac mores attinet. Vbi Epiſcopos doceo habere Notionem & Condemnationem noxiorum ad pœnam ignis æter-

ni &

ni & temporalis, esseque simul partem & iudices, ac posse de rebus temporalibus subditorum suorum ad ædificationem eorum disponere, Cap.138. 138.

Etiam rerum politicarum imperitioribus admirabilem Prudentiam Ecclesiæ videri oportet propter vim & effectum Legum eius nam 1. omnibus toto orbe populis quamuis alioqui mirificè ingenio, more ac natura dissimilibus, ex æquo conueniunt. 2. tot iam sæcula ius priuatum ac publicum perdurauit, inprimisque Papæ Romani potestas, quod ipsorummet Hæreticorum & Schismaticorum Lutheri, Tertuliani & Nicephori testimonijs probo Cap.139. 139.

Breuis & summaria de Notis Ecclesiæ repetitio, quid nimirum sit illud, quod Gentiles in Ecclesia admiratione dignum videre, eamque Dei ciuitatem seu regnum esse colligere inde queant, ac propterea in ea potius, quam in Hæreticorum Synagogis ciues fieri velint, Cap.140. 140.

Argumentis eorum, qui sæcularem potestarem & vsum materialis gladij huic ciuitati Dei siue Ecclesiæ abiudicant, respondeo, nihil Regibus Papæ potestatem periculi aut præiudicij afferre, sed vsui potiùs lucroque esse vinco, Cap.141. vsque ad 146. 142.

Regna infidelium & Gentilium ante Christi aduentum non bene se habebant, & à Christo reformari merebantur. Regis eligendi quæ fuerint conditiones, siue requisita, lege Dei Israëlitis præscripta. Vbi doceo Sacerdotale Tribunal fuisse omnium supremum, à quo nulla esset prouocatio, cui etiam Regem subesse oporteret, Cap.142.

Cuiusmodi & quantum fuerit Israëlitarum peccatum, Regem sibi à Samuele dari postulantium, aduersus nouitios quosdam scriptores Monarchiæ iniquiores disputo. 1. Deo faciebant iniuriam, cuius ipsi erant peculiaris populus, qui gloriæ suæ causa eos Sacerdotale regnum esse, & miraculosè potius per Sacerdotum preces, quàm Regum ductu atque auspicio aduersus hostes defendi volebat. 2. iniuriam faciebant Samueli optimè de ipsis meritò, ita vt vel pessimum & iniquissimum Regem habere, quàm ipsi diutius subesse mallent. Vbi & de vitiis Magistratuum patienter ferendis, deque ratione, quam Pontifices nostri in medicandis Regum Principumque peccatis sequuntur, nonnulla adspergo. 3. faciebant posteris suis iniuriam non quidem quod Regno, sed quod particulosissimæ ac deterrimæ formæ regni, vbi Rex omnia manu regia ex sui libidine administrat, libertatem eorum subiicere vellent: quam tamen regni

143. formam eis non dedit Deus, sed Regem Sacerdotis Ephoriæ subiecit Cap. 143.

Nullam fieri Gentilibus Regibus iniuriam, cùm fide Christi recepta imperio Papæ tanquam supremi vicarii Christi subiiciuntur, cui etiam quamdiu adhuc infideles sunt, ipso iure subiecti sunt,
Cap. 144. Cap. 144.

Quomodo spiritualis potestas Soli, sæcularis Lunæ sit similis: φq; Papa quà Papa est & totius regni Christi in terris Prorex, minoris momenti res id est sæculares, non æquè in Regum principumque prouinciis, atque in Episcopatus sui peculiari territorio curare possit: quia id scilicet amplitudinem & maiestatem Imperii sui non satis deceat, tametsi ad omnes Episcopos, testantibus & lege sancientibus constantino & Carolo magnis Impp. ac proinde multò magis ad Episcoporum Episcopum in omnibus litibus & causis sæcularibus appellari possit, Cap. 145.

145. Quam ridiculè faciat Rex Angliæ, qui putet Catholicos Reges ac Principes potius sibi, quàm Carolo & Constantino Magnis credituros, quique felicitatem Elisabethæ Anglæ satis idoneum argumentum existimet, ex quo Caluinismum Anglum Deo gratum esse
146. appareat, Cap. 146.

Parabola tertia.

Ecclesia est Mandra, siue Grex aut multitudo Iumentorum siue Asinorũ clitellariorũ, aut Sagmariorum sed intellectu præditorũ, onꝰ Christi siue gazã & thesauros eius ferentiũ. Magistratꝰ sęculares sunt Iumenta cũ tintinnabulis ceteros Asinos antecedẽtia. Agasones siue Muliones sunt Episcopi & pastores, qui etiam ipsi sarcinam humeris suis vehunt, ac iumenta frenant, agunt stimulant, alligant, onerant. Hæretici & Schismatici sunt Asini sine intellectu, effreni & indomiti, qui aduersus Muliones siue Episcopos calcitrant, frenos discutiunt lorum abrumpunt, iugo collum eripiunt, sarcinam ab-
147. iiciunt, & à Mulionibus profugiunt. Hanc parabolam à capite 147. ad finem vsque libri persequor, & ex ea sic disputo:

REX Britanniæ auctor est Asinis, iis maximè, qui ceteros præcedunt sonituque tintinnabulorum ducunt, vt nequaquam eam ingrediantur viam, qua illos sui Muliones agunt, neque se ab illis frenari, alligari, onerari aut stimulari patiantur, sed potius calcibus in eos velitati abiectaque sarcina procul ab illis fugiant, quemadmodum & se ipsum fecisse gloriatur.

Apparet

Apparet ergò eum non esse intelligens & bona frugi iumentum, sed factum esse sicut equum & mulum, quibus non est intellectus, ac propterea non esse, cur quis auctoritatem eius, tanquam magna scientia & intelligentia præditi, quicquam moretur.

Episcopi & Pontfices charitate quidem excidere possunt, sed non æquè Fide siue vera doctrina: qua in re multum illi Leuiticis Sacerdotibus præstant, cum Ecclesia in multò melioribus repromissionibus sancita sit, quàm Synagoga Iudaica. Quomodo nos erga Episcopos improbos & scandalosos exhibere debeamus, & quantopere Regibus ac Principibus ab Aulicorum Ecclesiasticis iniquiorum assentarione cauendum sit. Cap. 148. & 149. *148. 149.*

Quantum ad pariendam Hæresin & Atheian momenti habeat scandalosa Prælatorum vita, quoque modo bonus & frugi Christianus erga Prælatos improbos gerere se debeat, Cap. 150. *150.*

IMPE-

IMPERATOR AVGVSTE,
CATHOLICE HISPANIARVM INDIARVMQVE REX:

Itemque cæteri

SERENISSIMI ET CATHOLICI AVSTRIAE ARCHIDVCES.


ON patitur mea erga Maiestates & Serenitates vestras deuotio ac fides, vt neglectui habeam, quicquid ad Augustæ Domus vestræ rationes quoquo modo videtur attinere. Itaque cùm ROMAM superioribus hebdomadibus reuersus fama & auditione accepissem de quodam Serenissimi ac Potentissimi Angliæ Regis libro, quem ille *Apologiam pro Iuramento fidelitatis* inscripserit, & cum *Monitoria Præfatione* cùm ad alios, tum præcipuè ad vos Austriacæ familiæ Principes ediderit, magnum me subitò eius videndi desiderium incessit, vt scilicet, si quid rectè in rem vestram consultum ab eo vidissem, de tanti, tamque eruditi & diserti Regis amicitia vobis ex animo gratularer. Heri demum, hoc est, a. d. VIII. Octobris, eius copiam nactus sum, statimque eum translegi, & quod non nisi ad paucas horas eius vsuram petiissem, nonnullis quæ notatu digniora, atque alicubi mihi vsui futura viderentur, cursim excerptis, ei, vnde acceperam, hodie remisi. Et consilium quidem, quod Monitoria eius Præfatio complectitur, hanc habere summam perspexi.

Occasio huius commentationis.

Anni 1609.

Tria summa capita Præfationis Regiæ.

I.

Primùm omnium vos hortatur, ut tam docti, tamque sacrarum literarum intelligentes ac periti, quàm ipse est, euadere adnitamini: quam quidem rem non desperare se ostendit, si eàdem via incedere, & iisdem, vt ita dicam, Mediis siue adiumentis, quibus ipse vsus est, vti vobis libeat, hoc est, si & sacras literas diligenter volutetis, & verum earum sensum vestropte Marte inuenire, eique quod vobis verum esse persuaseritis, velut exploratissimæ firmitatis fundamento omnem fidem vestram imponere velitis, neque eorum, quos DEVS

in Ecclesia Pastores ac Doctores constituit, & *pascere oues suas scientia ac doctrina* iussit, interpretationes quicquam moremini, sed procul in malam rem facessere iubeatis.

Ierem. 3.

II. Deinde autem suo aliorumque sui similium Principum exemplo vos monet, vt Pontificem strenuè contemnatis, & non solùm vos ipsos nulla ex parte inferiores illo ducatis, sed etiam nullam prorsus auctoritatis vllius partem in vestris prouinciis ei relinquatis.

III. Postremò magnopere vobis auctor est, vt quicquid temporalium bonorum Ecclesia Romana possidet, ab ea eripiatis, seque ritu Sabinorum (qui quod volunt, somniant) nihil dubitare ostendit, quin velut *cornua Bestiæ* (nam Reges ac Principes Christianos ita appellat, seque ipse cornibus eiusmodi & membris Bestiæ annumerat, vobis, opinor, non inuitis, nisi quod vos ab eo admisceri nolle scio) propediem facturi sitis, vt Babylonicam illam Meretricem, hoc est, Ecclesiam Romanam odio habeatis, desertam relinquatis ac nudam, denique carnem eius comedatis, ipsamque igne comburatis.

Reges Christianos Rex Anglus Cornua Bestiæ siue Antichristi membra appellat.

Atque hoc suum Consilium (quod ipse *pium ac prudens* vocat) non tantùm argumentis, sed etiam, & vel maximè, concilianda sibi Morum opinione probare vobis nititur, quippe qui non sit nescius, Aristotelem plus virium ad persuadendum *Auctoritati*, siue opinioni Morum tribuere, quàm ipsis rationum & argumentorum momentis, ex eiusque auditore & in cathedra Successore Theophrasto haustum videri peruulgatum illum Menandri versiculum:

Quot modis Rex fidem sibi facere conetur.

Auctoritas magis persuadet, quàm argumenta.

Τρόπος ἐσθ᾽ ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.

Mores loquentis cogunt, non Oratio.

Et quoniam illa Morum opinio, siue Auctoritas, hæc tria complectitur, primùm vt quis ab eo, cui persuasum cupit, habeatur rei, quam persuadendam suscipit, gnarus, peritus ac prudens: tum vt vir bonus minimeque tectus, qui scilicet non aliter dicat, quàm sentiat: denique vt ipsi amicus, deque commodis eius cogitans (si enim imprudens sit, qui suadet, *ait Philosophus*, ipse falsus alios porrò in errorem inducet: aut si prudens sit, sed idem malitiosus, quæ recta & vtilia existimat, non proponet: aut si vtrumque sit, & prudens & vir bonus, non tamen etiam amicus, consilium ille quidem dabit bonum & fidele, hoc est, sine fraude & dolo, sed minùs cogitatè tamen, quàm si amicus simul foret: Vnde necessario efficitur, vt qui hæc tria simul habet, dignus iudicetur, cui credatur) propterea Serenissimus Rex, vt talis à vobis habeatur, non minimùm laborat.

Auctoritas in quibus consistat.

Opinio Prudentiæ.

Opinio integritatis ac Virtutis.

Opinio beneuolentiæ siue amicitiæ.

Ec

Et primùm quidem vt Prudens capitumque Fidei controuersorum benè gnarus videatur, non modò *Bellarminum* ex professo confutandum, & multiplicis inscitiæ conuincendum suscipit, sed ipso etiam summo Pontifice nulla ex parte, atque adeò nec in sacrarum literarum intellectu & interpretatione, inferiorem se profitetur. quid? quod ipsis etiam Prophetis & Apostolis propemodum parem se facere nihil dubitat. Hæc enim ipsius sunt verba: *Vobis, fratres & consanguinei dilectissimi, quorum mentes Deus Opt. Max. Veritatis suæ fulgore nondum illustrauit, cum Elizæo precor, vt oculos aperiat, quò cernatis, quàm multi, quamque inuicti Angelorum exercitus ad propugnandum pro Veritate accincti paratique aduigilent: imò cum Paulo opto, vos omnes fieri tales hac vna in re, qualis & ego sum.* Sic itaque vos modò pro pueris, modò pro Ethnicis aut Iudæis habet. Pro pueris quidem, quà se Elizæi instar orare dicit, vt vobis oculos Deus aperiat, & Angelos perinde ac sibi clarè conspiciendos præbeat. Sic enim narrat scriptura 4. Reg 6. *Cum orasset Elisæus, ait: Domine aperi oculos pueri huius, vt videat.* Itaque nihil iam mirum videri debet, quod vestrum se Pædagogum facit, & velut Cathedrarius aliquis passim vobiscum loquitur. Verbi gratia, in Frontispicio libri sui: *Intelligite Reges: erudimini, qui iudicatis terram,* nempe à me Pædagogo vestro, qui vos non aliter, quàm *custos angustæ vernula capsæ,* in maioris Magistri scholam plus erudiendos induco. Pag. 67. *Ad hunc modum docuimus, Romam esse sedem Antichristi.* Pag. 102. *Pseudopropheta, quem Apostaticam Ecclesiam interpretor.* Pro Ethnicis verò aut Iudæis vos habere se ostendit, quà Pauli Apostoli verba Act. 26. ad circumstantes Iudæos & Gentiles facta, sua facit: *Opto apud Deum, omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum.* Postquam autem semel ad hoc exemplum in Paulum transiit, suo sibi iure facere visus est, si Paulinum illum loquendi modum (1. Cor. 7.) potissimùm adamaret: *Existimo hoc bonum esse. Beatior erit vidua, si cælebs permanserit, secundum meum consilium: puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.* Nam ita loquitur pag. 56. *Mea quidem sententia S. Paulus id planiùs explicat.* Pag. 59. *Iam, vt mea fert opinio, Spiritus oris Domini non aliud est, quàm verbum Dei:* Pag. 89. *Antichristus meo quidem iudicio quater à Iohanne depingitur.* Pag. 78. *Duobus modis Mysterium hoc mea, quidem sententia. probabiliter potest exponi.* Putat scilicet Rex, non minùs, quàm Paulus Apostolus, quod & ipse spiritum Dei habeat, *qui docet omnia*, vt Christus ait, Ioh. 14, vt Regem meritò pro doctissimo & scripturarum intelligentissimo habendum esse, neque vos sine grandi piaculo ab eius sententia discedere posse intelligatis. Alioquin etiam in hoc Paulizabit:

Quomodo Rex Anglus Prudentiæ opinionem aucupetur.

Regi Anglo ipsi Angeli se conspiciendos præbent.

Rex Anglus Catholicos Reges pro pueris habet eisq; Præceptoris operam vltrò nauat.

Rex Paulo Apostolo similem se facit.

Si Rex sit Paulo similis, sine dubio scripturas sacras optime intelligit.

Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. 1. Thess. 4.

Quomodo Rex candoris & virtutis opinionem conciliare sibi studeat.

Deinde, vt Virum bonum se vobis probet, non semel accuratè testatur, se ijs, quæ narrat, ingenuum candorem & sinceritatem adhibere, adeoque grauiter ijs succenset, qui in Apologia ipsius, quamuis nomen Regis præscriptum non haberet, siue Mendacium, siue Falsum notare ausi sunt.

Quomodo idem in Beneuolentiæ erga Catholicos opinionem irrepat.

Tandem Amicum & beneuolentem vestrum se declarare studet, tantam pro commodis vestris solicitudinem profitendo, tamq; facilem & expeditam vobis rationem præmonstrando, quâ rem facere, & lacunam, si fortè, fisci vestri explere possitis, Clero nempe opibus suis spoliato, & omnibus Ecclesiarum bonis in fiscum redactis.

Regis Angli cōsilio Catholici Reges ac Principes vti sine scelere nequeunt.

Hunc Regis animum hesterna libri eius lectione statim sum odoratus, simulque deprehendi, Consilium illius esse eiusmodi, quo vobis vti nullo modo fas sit, si modò maiorum vestrorum Augustissimorum virtuti respondere, si gloriam apud Deum ac homines Ecclesiæ Catholicæ tuendæ Zelo collectam retinere ac tueri, si vobismetipsis constare, nec multorum hodie leuitatem turpissimam imitari, si vestræ populorumque vestræ curæ commissorum saluti consulere velitis.

Mihi dissuasio Consilij illius ex officio incumbit.

Itaque cùm omnem meæ mediocritatis operam, inprimisque in dandis consiliis fidem ac religionem, Augustæ vestræ familiæ obstrinxerim, omninò ex officio facturus videor, si horas aliquas, quas mihi negotiorum summa vestra & Reip. Christianæ commoda attingentium, fideique & industriæ meæ commissorum procuratio vacuas ac subseciuas relinquit, dissuadendo tam pestifero Regis consilio impertiar.

Non quod periculum sit, ne Rex Austriacis persuadeat.

Nam tametsi vestra pietas & constans sedis Apostolicæ reuerentia, penitus mihi perspecta, nihil omninò me dubitare sinit, quin aliorum verè Catholicorum Principum exemplo feceritis, qui allatum ad se sacrum & horribilem Regis librū vel accipere recusarunt, vel statim, intellecto eius ex priuatis ipsius Regis virulentissimis literis argumento, flammis expiatricibus dederunt, vt ita nullum sit periculum, ne quid animorum vestrorum constantiam Regis eloquentia labefactet:

Sed vt ne Rex Austriacos Pertinaciæ vitio laborare putet.

non tamen omninò lusisse operam videbor, si perficiam, vt ne habeat Rex, quod vestram pertinaciam accuset, qui fidele suum, amici & confœderati Principis, imò fratris & consanguinei consilium non modò ad cognitionem non admittere, sed etiam nondum lectis, nec intellectis, multò autem minùs examinatis rationibus, inhumano scilicet præiudicio occupati, reijcere & condemnare volueritis.

Consiliū meum

Quam quidem ad rem nihil attinet,

tinet, sigillatim eius argumentis contra Catholicæ fidei veritatem in medium allatis respondere, cùm *verba sint plurima, multamque in disputando habentia vanitatem* (vt ait Salomon Eccl. 6.) quibus tamen *Illustrissimi Bellarmini* liber, qui nunc sub prelo est, ita respondebit, vt ij, quibus huic disputationi operam dare libuerit, nihil ampliùs desideraturi videantur. Mihi satis erit illam *Morum opinionem* in animis vestris minuisse, quod Regem ceu magnum Oratorem plus in ea, quàm in omnibus suis argumentis, ad vos permouendos spei habuisse intelligam. Neque tamen ea in re sic versabor, vt Regiæ Maiestatis virtutem & sinceritatem seu candorem in suspicionem vocem, quasi qui consilium minùs fidele vobis dare, aliterque, quàm cum animo suo censeat, rei vestræ consulere voluerit: quemadmodum neque Amicitiam & beneuolentiam, quam erga vos profitetur, vobis vlla ex parte suspectam reddere studeo. Quin etiam tantum ab eiusmodi consilio absum, vt cùm haud pauca esse sciam, quæ scrupulum vobis inijcere, & de Regis tam virtute, quàm amicitia suspicionem mouere queant, vltrò etiam Regis causam agere, hancque Anglis eius operam præripere cogitem.

non est disputare contra Regis argumenta.

Sed auctoritatē eius apud Catholicos, minuere.

Non tamen opinionem Virtutis seu Candoris.

Neque opinionem beneuolētia erga Austriacos.

Sereniss. Regem Angliæ esse Virum bonum, hoc est, ex animo loqui, nihilque in consilio illo suo simulare.

CAPVT I.

PRIMùM omnium virtuti Regis & Candori controuersiam mouere potest, quod eius sectæ participem atque adeò *Propagatorem ac Defensorem* se profitetur, in qua vix vllum virum bonum reperiri, non Papistæ affirmant (quibus nempe ea de re parum fidei meritò haberetur) sed ipsi eius Inuentores, Conditores ac primarij quiq; propugnatores grauiter & seriò testatur. Sunt enim ista Lutheri ipsius verba in Postilla domestica Ienæ impressa concione secunda primæ Dominicæ Aduentus: *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis Diabolis obsidentur, cùm antea* (quando adhuc Papistæ fuerunt) *vnico tantum Diabolo obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendida Euangelij luce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multò denique deteriores,*

Inter Protestātes vix vllū virum bonum inueniri, ipsi eorū Doctores affirmant.

Euangelica Lutheri doctrina cuiusmodi faciat discipulos.

Cuiusmodi sit hodie Euangelicorum status.

riores, quàm prius in Papatu fuerant. Et hæc Tomo 6. Germanico Ienensi in explanatione Psalmi 101. fol. 162. *Apud nos in Germania statum rerum maximè EVANGELICVM videre licet. Exeunte enim vno Diabolo, septem peiores in locum eius succedunt, fiuntque nouissima deteriora prioribus.* In eandem sententiam scribit in Commentario Iohan. 15. Tomo 4. German. wittemb. fol. 220. b. §. 6. & 221. b. §. 1. siue Tom. 7. Ger. Ienensi fol: 162. b. §. 3. & 163. Tam Diabolica malitia & odium in nullis vel ethnicorum historiis inuenitur, quanta apud eos exoritur, quibus Christi verbum prædicatur: neque verò non ipsi etiam Nobiles, Ciues & Agricolæ nostri tanta malitia affecti sunt, qui cum priùs (*in Papatu*) hominum multò modestiorum speciem gessissent, iam furore & vesania præcipites rapiuntur, non aliter, quam si toti Diabolis pleni forent.] His similia legimus in eiusdem Domestica Postilla Noribergæ edita in concione octauæ Dominicæ S. Trinitatis fol. 79. a. §. 2. aut 87. a. §. 3. Vellet nos Deus veros & germanos Christianos fieri, qui non verbo tantùm de Fide & Euangelio gloriarentur, sicut homines iam faciunt, qui EVANGELICI esse postulant, multaque de Christo iactare sciunt. Si tamen intus excutias, nihil in re inueneris. Itaque maiorem partem ipsi se frustrantur ac decipiunt, etiam illi, qui Euangeliũ habent & audiunt, & cum FALSA illa sua FIDE vadunt ad Diabolum.] Iam etiam *Caluinum* ad testimonij dictionem admittamus, qui in commentario Daniel. XI. versic. 34. totidem verbis scribit: *In exiguo illorum numero, qui se ab Idololatriis Papatus subduxerunt,* MAIOR PARS *plena est perfidia & dolo. Præclarum quidem Zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus.* Quod de Maiore parte dicit, id sic accipiendum est, quod ex decem Euangelicis vix vnus, qui non fraude, dolo ac perfidia plenus sit, inueniri queat. Sic enim ipse se Caluinus interpretatur in Commentario 2. Petri 1, 2. *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quàm vt solutiùs in omnem lasciuiam difflueret.* Nunc tertius accedat testis *Andræas Musculus*, Brandenburgensium ille Apostolus, cuius liber *de Nouissima die*, Erfurdiæ in 8. anno 1560. apud Georgium Baumannum impressus fol. 78. b. hæc continet verba: Quod si, quemadmodum COGIMVR, fateri veritatem velimus, tum hoc de nobis Euangelicis testari cogimur, magis, quàm nos, gulosos, scortationibus, vsuris, circumuentionibus, fraudibusq; deditos in toto iam mundo nusquam inueniri. *Et fol 81. b.* Res ipsa loquitur, & nobis licet inuitis confessionem Veritas extorquet, quod iam peiores, irreligiosiores, ingratiores, infideliores, petulantiores homines, maioraque scelera & peccata in vniuerso

Diabolica & omnibus seculis inaudita. Protestantiũ malitia.

Euangelici non sunt veri Christiani.

Fides Euangelicorum.

Protestantes ferè omnes perfidi ac fraudulenti.

Nemo in toto orbe Euangelicos sceleribus superat.

vniuerso Orbe, ne inter Turcas quidem, aut Iudæos, aut paganos inueniantur, quàm in ijs locis, vbi verbum Dei quàm diligentissimè prædicatur] *Sed non prætermittenda est adhuc luculentior eiusdem confeßio, quam in libro de Prophetia Christi ibidem loci eodemque tempore typis impresso fol. 44. b. legimus:* Iterum Cogor dicere, quia verum est, contumaciores homines, in quorum animis omnes omnis virtutis & honestatis scintillæ sunt exstinctæ, & apud quos nihil iam pro peccato habetur, nusquam nec apud Ethnicos, Iudæos, Turcas, inueniri, quàm inter Euangelicos, apud quos omninò vinculis solutus ac liber viget Diabolus: vtque paucis rem omnem eloquar, illud nunc est, eoque nostra Lutheranorum res redijt, vt siquis videre cupiat magnam turbam nebulonū, atheorum, circumscriptorum, vsurariorum & deceptorum, ei adeunda sit Ciuitas aliqua, in qua Euangelium prædicatur: ibi cater uatim id genus hominum inuenerit.

Protestantes nihilo meliores Turcis, Iudæis, Ethnicis.

Qui Nebulones quærit, apud Protestantes inuenit.

Quid ergò iam dicemus? an ignorasse hos Noui Euangelij Triumuiros, qui discipulorum suorum mores forent? Atqui *cognouit bonus Pastor oues suas, & vocat eas nominatim*, ait Christus Ioh. 10. Neque etiam mentiti videri possunt, cùm id dedecori ipsis magistris necessariò futurum minimè ignorarent: quæ causa est, cur sibi inuito Musculus confessionem eiusmodi extorqueri testetur. *Nemo enim*, ait Tertullianus, *in dedecus suum mentitur, sed potiùs in honorem*. Quæ igitur res Regem optimum suspicione hominū liberabit, & ne itidem, vt ceteri Euangelicorum, moratus videatur, intercedet? Hæc scilicet responsio: Cum ijdem Euangelistæ non impediant, quo minus aliquos saltem viros bonos in suorum discipulorum numero inueniri credamus, & Caluinus propemodum eos *Edecumari* permittat, iure suo cum vniuersè Regale fastigium, tum propriè ipsius Angliæ Regis vitam, cum magna virtutis commendatione adhuc actam, hoc ab omnibus, in primisque à vobis æqualibus suis postulare, vt *Edecumatis Euangelicis* annumeretur, nihilque ad eum inficiendum contagio morum, quibus ceteri eius participes morati conspiciuntur, habuisse virium credatur.

Quantum istis testibus credendum.

Defensio Regis, qua melior nec Oxoniæ, nec Cātabrigiæ excogitari queat.

CAPVT II.

Dicat fortasse quispiam: At enim ne intelligi quidem potest, quo pacto quis Euangelio Lutheri nomen dare, & idem vir bonus manere possit, cùm princeps eius Euangelij articulus omnia prorsus viri boni officia perimat, funditusque tollat. Sic enim verbi gratia

Fundamentum fidei Protestantium non patitur quemquā esse virū bonū.

gratia docet Lutherus in Epistola ad Philippum *Tomo 1. Epist. Ienæ edit. fol.345.* Si vera est gratia (*per quam à Deo iustificari cupis*) verum, non fictum peccatum ferto. Deus non facit saluos fictos peccatores. Esto peccator, & pecca fortiter: Sed fortius fide & gaude in Christo. Sufficit, quod agnouimus Agnum, qui tollit peccata mundi: ab hoc non auellet nos peccatum, etiamsi millies millies vno die fornicemur aut occidamus.] Atque hanc suam doctrinam explanat, suique Magistri & Confessarij Staupitij verbis cõfirmat *in Colloquiis conuiualibus Islebiæ editis, sub titulo de Peccato fol. 130.b.* Christus, *inquit*, est remissio verorum & legitimorum peccatorum, cuiusmodi sunt, parricidium, blasphemia aperta, Dei contemptus, adulterium &c. Hæc huiusmodi vera sunt peccata, quibus plenum Catalogum habere te oportet, si modò à Christo iuuari seu saluari cupias: neque debes quicquam de nugis & puerilibus peccatis curare, neque ex vno quoque crepitu ventris peccatum facere. *Similiter in colloquiis Francofurti editis sub titulo de Tentationibus fol. 217.* Oportet vt adsint vera peccata, non ficta (quæ quis nempe ipse sibi multum meditando confingit) si modò velimus, vt Deus remittat peccata. *His consentaneum est, quod in Comment. Ioh. 17. scribit Tomo 4. Ger. Witt. fol. 305.a.§.5.* Nos ita dicimus, quod veri & germani sancti debeant esse fortibus & atrocibus peccatis obnoxij (*nempe blasphemiæ, parricidio, adulterio &c.*) ac tales etiam manere, quos non pudeat orare: *Dimitte nobis debita nostra.*] Nam qui, verbi gratia, furatus aut fornicatus est, eum puderet remissionem peccati sui orare, cùm Deus non remittat, nisi vera, atrocia & legitima peccata, furtum verò & fornicatio sint peccata ficta & puerilia, nec in censum eorum peccatorum, quæ Deus remittit, veniant. Itaque talia peccata Lutherus confiteri non solebat. Sic enim loquitur *in colloquiis Islebiensibus sub titulo de Tentationibus fol. 291.b.§.3.* Doctori Staupitio SÆPE confessus sum, non de Mulieribus, sed verò atrocia & solida facinora.] Ac ne quem Papistæ moueant, quouis mortali peccato Dei gratiam amitti docentes, hoc suum oraculum ijs opposuit in libro *de captiuitate Babylonica Tomo 2. latino Witt. fol. 74.§.4.* Vides, quàm diues sit homo Christianus, vel baptizatus, vt etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscumque peccatis: nisi nolit credere. nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas.] Si opponas ei: Tamen in ijs, qui iustificari & saluari cupiunt, Fides requiritur cum dilectione, hoc est, cum obseruatione mandatorum DEI, vt Apostolus interpretatur, siue cum obseruatione Legis, omnia peccata prohibentis. Gal. 5, 6. Gal. 6, 15. 1. Cor. 7, 19. Rom. 13, 8. & 10. Respondet ipse

Protestantes fortiter peccare oportet.

Cuiusmodi peccata Protestantes facere oporteat.

Protestantes pro quibus peccatis orent.

Lutherus cuiusmodi peccata confiteri fuerit solitus.

Protestantes nõ possunt dãnari, etiam si velint.

Tomo

Tomo 1.lat.witt.in Disputatione, *vtrum bona opera faciant ad iustificationem* fol.361.b & Tomo 1.lat.Ien.fol. 488. Fides nisi sit sine vllis etiam minimis Operibus, non iustificat, imò non est fides.] *Et Tomo 1.Ger.witt.in comment. Galat.2.fol.47.b* Sola fides iustificat, & non Fides, quæ dilectionem includit, *siue*, coniunctam habet.] *Et fol.92.§.3.* Sola fides necessaria est, vt iusti simus: cetera omnia libera, neque præcepta amplius, neque prohibita] Dices: quid igitur est, quod Paulus Tit. 2. docet, Christum ideò pro nobis passum esse, *vt à peccatis mundati, essemus sectatores bonorum operum*, quodque scriptura passim opera bona à fidelibus requirit, ita vt Lutherus ipse eodem Tomo 1. Ger.witt.*in comment.* Gal.3.fol.144.b.§.2.vel 152.b.§.3.fateatur, *numerari non posse loca scripturæ, in quibus opera requirantur?* Huic obiectioni duobus modis respondet Lutherus, quorum vnus est, vt neque flocci facias, sed strenuè contemnas, quicquid scripturæ garriant. Sic enim Papistas confutare docet eodem *Tomo 1.Ger.witt.comm.Galat.3.fol.147.vel 155.* Tametsi Papistæ ingentem cumulum locorum scripturæ afferant, in quibus bona opera præcipiuntur: ego tamen nihil curo omnia dicta scripturæ, si etiam ijs adhuc plura afferrentur. Tu Papista valde quidem fastidis & ferocem te facis cum scriptura, quæ tamen Christo vt Domino subest. Itaque nihil ea re moueor. Age sanè Famulo nitere, quantum voles. At ego nitor Christo, vero Magistro, domino & Imperatore scripturæ. Huic ego assentiar, & scio, eum nihil mihi mentiturum, neque me in errorem inducturum esse. Illi honorem habere & credere malo, quàm vt omnibus Dictis scripturæ vel vnguem latum à sententia me patiar dimoueri.] Alter respondendi modus hic ab eo accuratè inculcatur, vt omnia scripturæ loca, quæ de operibus agunt, *Ironicè & contra ac verba sonant*, interpreteris. Sic enim scribit in comm.Psal.5.*Tomo 3.lat..witt.fol.171.b.§.5.& Tom.3.Ger.witt.fol.143.a.§.5.* Hæc tibi norma & regula esto, quam in scripturis sacris intelligendis sequaris: vbicumque scriptura iubet bona opera facere, tu id sic intelliges, quod scriptura prohibeat bona opera facere.] Ita Christi verba, *Hoc fac & viues*, ait esse quandam Ironiam siue irrisionem, quasi diceret Christus: *Fac modo, si potes. Si feceris, eris mihi magnus Apollo. Ad Calendas Græcas facies.* In cōment.Gal.3.Tomo 4.lat.Ien.fol.89.a.& Tomo 1.Ger.witt.fol.149.b.aut 158.a. Ad hanc eandē doctrinam pertinet, quod passim contendit, vniuersam Mosis legem, etiam Decalogi præcepta, nihil prorsus ad Euangelicos pertinere. *Tomo 5. Germ. witt.in comment. Exodi 20.fol.212.* Principio notandum est, quod ad

Fides Protestantium iustificat sine charitate.

Lutherus fatetur passim in scripturis bona opera simul cū Fide requiri.

Papistas ait Lutherus niti scripturarum auctoritate.

Sed Lutherus honorem illum scripturis habendum negat.

Clauis David, qua Protestantes aperiunt scripturas.

Protestantes nō curant Decalogum.

nos Ethnicos & Christianos Decem præcepta non pertineant, sed tantùm ad Iudæos. Hoc testatur & cogit ipse Textus, cum ita loquitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis.* Hoc sanè verum & satis manifestum est, quòd nos Ethnici non fuerimus ex Ægypto educti. Ita omninò manifestum est, Iudæis tantùm, non nobis data esse decem Præcepta.] *Tomo 1. Ger. witt. in comment. Galat. 5. fol. 273.* Nos prorsus nec debemus, nec volumus pati, vel vnicam Mosis legem aut vnicum præceptulum ceruicibus nostris imponi.] *Et comment. Galat. 4. fol. 215. a.* Vide vt sis prudens & Mosen cum sua Lege quam longissimè amoliri & in malam rem abire iubeas. neq; quicquam illius terrore ac minis mouearis, sed suspectum eum habeto, vt pessimum Hæreticum, anathematizatum & condemnatum hominem, multoque deteriorem Papa, ipsoque Diabolo.

Protestantes omnino Exleges.

Protestantes Moysen habent pro Diabolo.

At enim ipse quoque Lutherus confitetur, cùm Christum per hanc doctrinam reijci, tum latissimam omnibus vitijs & sceleribus fenestram aperiri, neque veros Christianos aut viros bonos esse posse, qui doctrinæ eiusmodi aures præbent, fidemque & auctoritatem adiungunt. *Tomo 2. Ger. Ien. in libro de abusu Missæ fol. 39. §. 3.* Repudiato Mose, simul repudiatus est Christus.] *In Colloquiis Islebiensibus de Lege & Euangelio fol. 165. b.* Ea nunc sunt tempora ijque hominum mores, vt neque fulmine legis Mosaicæ terreri, humiliari aut frangi queant. Iam tonato & fulgurato opus est legi Mosis, propter magnam illam securitatem, in qua totus mundus est demersus. Sanè aureo amiculo vestiri, summisque honoribus affici mereretur, si quis facere posset, vt Moses omninò per Christum abrogatus foret. Næ nos insignem rerum omnium faciem visuri essemus. O quàm pulchra res spectatu foret? Sed hoc Deus funestissimum omen auertat, nosque ab errore tam fœdo seruet.] *Tomo 4. Ger. witt. in comment. Ioh. 15. fol. 206. b.* Vbi SOLA fides docetur, fiunt falsi Christiani, qui de Fide quidem gloriantur & baptizati sunt, inque Christianorum numero censentur, nullum tamen neque succum habent, neq; fructum edunt.] hoc est, reuera neque pilum hominis Christiani, aut viri boni habent.

Οὐκ ἔτυμος ὁ λόγος.

Repudiato Mose repudiatur Christus.

Quid consequatur ex contemptu Mosis.

Doctrinæ de Sola fide effectus.

CAPVT III.

VIDEAMVS nunc, quo potissimùm pacto Regis honos custodiri debeat, ne iusta cuiusquam suspicione maculari possit. Si

Regem negare velim modò commemoratam Lutheri doctrinam amplecti, nullo negotio honorem eius ab omni suspicione vindicaro. At enim ipse Rex in Apologia pag. 62. Lutherum nominatim SVVM scriptorem vocat, eiusque *præferuidum & paulò liberius scribendi genus* S. Ioannis Baptistæ seueritate excusat, vt verisimile non sit, eum in fundamento & capite doctrinæ à Luthero discessisse. Præterea non semel Rex testatur (v.g. Epist. Monitor. pag. 138.) sibi cum ceteris Protestantibus in Fidei negotio conuenire. Recusare igitur non potest, quin Lutheri discipulus habeatur, de quo omnes Imperij Electores, Principes, Proceres, Ciuitates cum octo millibus Prædicantium, Ludimagistrorum & Æditnorum, in suæ Fidei regula, hoc est, in *Concordiæ libro* latino Lipsiæ anno 1580. impresso fol. 702. ita scribunt: *Cum D. Lutherus haud dubiè præcipuus earum Ecclesiarum, quæ Augustanam Confessionem amplexæ sunt, Doctor fuerit (cuius quippe* TOTA *doctrina, tanquam compendio, summatim in Augustana Confessione comprehensa & Imp. Carolo V. exhibita est) profectò eius confessionis propria, vera & germana sententia ex nullius hominis libellis rectius & certius, quàm ex D. Lutheri didacticis & polemicis scriptis hauriri potest.*] Si omnes Euangelici sunt Lutheri discipuli, & TOTAM eius doctrinam amplecti se profitentur, profectò negare nequeunt, se credere ea, quæ modò bonis moribus tam inimica, tamque omnes honestatis scintillas exstinguentia ex ipsius Lutheri libris optima fide excerpsi, &, si opus sit, multò pluribus eiusdem Lutheri locis confirmare possim. Atque hoc minùs id negare eis integrum est, quod Lutherus Articulum de Iustificatione per SOLAM fidem, sine vllis etiam minimis operibus, fundamentum, siue vt Caluinus de eodem loquitur, Instit. lib. 3. cap. 11. Sect. 1. *Euangelicæ religionis sustinendæ cardinem* esse testetur, seque perpetuò sibi constitisse, nec vnquam, ex quo scribere contra Papam cœperit, sententiam ea de re mutasse seriò affirmet. *In argumento Epistolæ ad Galatas Tom. 1. Ger.* witt. fol. 2. Summa ars & sapientia Christiana est, nescire legem, ignorare opera & totam iustitiam actiuam] *Tomo eodem comment. Gal 2. fol. 95. b. §. 2.* Sæpè & crebrò hoc dico, non esse consilium hoc præstantius, neque modum præstabiliorem Hæresibus & sectis obuiandi, quàm vt solus hic articulus de Iustificatione, rectè doceatur. Hoc articulo semel amisso impossibile est, vt vel vni errori aut Hæresi resistatur aut obuietur] *Ibid. comment. Galat. 6. fol 315. b.* Ego certè hodierna quoque die (*anno nempe 1539.*) nihil aliud credo & doceo, quàm illud ipsum, quod tum credidi & docui, cùm hanc causam

Rex Angliæ se profitetur Lutheranum.

Regum ac Principum Protestantium de Luthero iudicium.

Augustana Cõfessio est doctrina Lutheri.

Fundamentum & præcipuus Cardo Fidei Protestantium.

Summa ars Protestantium, nescire officium viri boni.

cœpissem. Sicut enim initio de articulo Christianæ iustitiæ, de Sacramentis, ceterisque OMNIBVS Christianæ nostræ fidei articulis docui, in ea sententia hodie quoque perseuero] *Tomo 5. Ger. Ien. in Admonitione ad suos Germanos fol 288. b. §. 5. & Tom. 7. Ger. wit.. fol. 478. b. §. 2.* Hunc articulum de Iustificatione Papistæ nullo modo tolerare volunt, nos autem eo nullo modo carere possumus. Nam si actum sit de hoc articulo, simul actum est de Ecclesia, ac nulli dehinc errori resisti potest, cùm sine hoc articulo Spiritus Sanctus nobiscum esse nec velit, nec posit.] Igitur vix videor vllo modo facere posse, quin Regem etiam in scelerata illa doctrina, quam modò proposui, cum Luthero scriptore suo sentire fatear: in quo tamen faciliorem tuendi honoris eius rationem video, quàm si quis eum cum Luthero sentire neget. Fingamus enim aliquem exulum illorum, quos *suos* Rex *fugitiuos* vocat, tam inuidioso Dilemmate Regis honorem tangere:

Articuli de Sola fide necessitas.

Vtrū Rex Anglus in eo Articulo Lutherum sequatur.

Aut assentitur Rex Luthero, aut non assentitur.

Si assentitur, non potest esse vir bonus. qui enim credit, se saluari non posse, quàm si omni bono opere careat, & atrocissima quæque peccata perpetret (velut Lutheri primarius articulus docet) is sine dubio cauebit omnia viri boni officia, potiùsque sceleratissimus esse volet, cùm omnes scilicet saluos se velint.

Si non assentitur, rursum non potest esse vir bonus, quippe qui se profiteatur cum Luthero & Lutheranis sentire, & reuera tamen in ipso capite & primario fidei articulo ab ijs dissentiat.

Non poterit profectò vlli bono Regis factum probare, qui eum de capite fidei aliter, quàm profitetur, sentire affirmat. At mihi, qui eum Lutheri sententiæ fauere concedo, in promptu est eius excusatio, qua ante hos quinque annos in præfatione libri mei *de Antichristo* Protestantium Germaniæ honorem tutatus sum, cùm eos *naturæ bonitate vinci*, & ipsa vita Fidei suæ dogmata refellere dixi, eaque in re Philosophis Epicuræis similes feci, qui cùm summum bonum in voluptate corporis situm esse statuerent, plerumque tamen ita viuebant, vt ceteros Philosophorum, Felicitatem in Virtute collocantium, morum commendatione multùm superarent, eaq; re quod de illis Cicero scripsit, in hos ætatis nostræ Epicuræos accommodaui: *Ita viuunt quidam, vt eorum vita probetur, refellatur oratio: atque vt ceteri existi-*

Reges ac Principes Protestantium melius viuunt, quàm credunt.

Protestantes Epicuræis similes.

existimantur dicere melius, quàm facere, sic hi mihi videntur facere melius, quam dicere.

CAPVT. IV.

ALIUD porrò Telum minimè contemnendum famæ & existimationi Regis ex eo intentari posse video, quòd eius Orator apud Venetos, se propterea, *vt Regis causâ mentiatur*, peregrè missum esse adeò non dissimulat, vt id vltrò etiam passim iactitet. Augustæ quidem cùm esset, in familiaris sui libro, cui ad consuetudinem Germanorum, nomina sua cum memorabili aliqua sententia in peculiari libro memoriæ causa inscribentium (ex quo *Album amicorum* vocant) hæc verba perscripsit:

Legatus Regis Angliæ profitetur se à Rege missum mentiendi causa.

Legatus est Vir bonus, peregrè missus ad mentiendum Reipub causa.

D. Iohanni Christophoro Fleckamero in amicitiæ perpetuæ pignus hæc posuit Henricus Wotonius, Serenissimi Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Regis Orator primus ad Venetos Augustæ Vindelicorum XVI. *Augusti Mensis Anno Christiano* CIↃ. IↃ. CIIII.

Hæc multi primarij viri Augustæ non sine admiratione viderunt, quorum est Illustris MARCUS VELSERUS, reipub. Augustanæ Præfectus, vir acrimonia iudicij, literarum elegantia & morum suauitate nemini secundus. Quod si nunc Legato isti Regio quicquam credimus, (sicut Regem ipsum in suo Diplomate, quod Legato dedit, hoc velle credibile est) abesse certè non potest, quin rectè *viris illis Illusoribus* annumeretur Rex, *qui dominabantur super populum in Ierusalem, qui dicebant: Flagellum non veniet super nos, quia posuimus Mendacium spem nostram, & Mendacio protecti sumus*, Isai. 28. Neque etiam vitiosè colligere videbitur, si quis eum Regem, qui Legatos, vt sui causa mentiantur, ad Reges Resquepub. mittit, ne in illo quidem libro, quem Regibus, ac Rebuspublicis inscribit, magnam veritatis antiquitatem habere censeat. Sed nempe Legatus iste Mandati Regij fines excessit, & in eo, velut *vir bonus* (eius scilicet generis, quod supra Caluini verbis descripsimus) mentitus est, cùm ideò sese à Rege suo, vt eius causa mentiatur, missum dixit, qua quidem re non tam Regem

Caluinistarum malitia & stultitia.

ſuum nobis ſuſpectum reddidit, quam ſtultitiam & ſororem eius malitiam (nam Menander has ſorores eſſe prodidit) palam profeſſus eſt. *Quaſi per riſum, ſtultus operatur ſcelus*, ait Salomon Prou. 10. qui etiam in genere de hominibus *peruerſa loquentibus, & relicto recto itinere per vias tenebroſas ambulantibus*; hoc eſt, de Hæreticis Eccleſiæ deſertoribus affirmat Prou. 2. *Lætantur, cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Id quod etiam Iſaias teſtatur: *Peccatum ſuum, quaſi Sodoma, prædicauerunt, nec abſconderunt.* Iſai. 3.

Eurip.

Ανὴρ γὰρ αἰσχρὸς αἰδεῖσθ' ου φιλεῖ πότε.
Pudere turpem namque non ſolet virum.

CAPVT V.

Regis ambigua & captioſa Fidei confeſſio.

SED neque non in eo tecti duplicisque animi ſuſpicionem Rex mouet, quòd ad hoc, vt iniuria Hæreticum ſe vocari probet, Symbolis Apoſtolico, Nicæno & Athanaſiano credere & ſubſcribere ſe profitetur, ſed de ſenſu aliud non dicit, quàm quod ita interpretetur Symbola illa, *Sicut Patres & Concilia, à quibus ſunt condita, intellexerint.* Atqui neſcire non poteſt, omnia in hoc eſſe, quomodo Patres ea intellexerint. nam etiam ſi quis ſanguinis effuſione vera eſſe teſtetur Symboli Apoſtolorum verba, ſi tamen idem vnum modò eius ſymboli verbum perperam intelligat, non Dei, ſed Diaboli Martyr, veruſq; erit Hæreticus. Vt enim Salomon ait Prou. 19. *Qui tantùm Verba ſectatur, nihil habebit: qui autem poſſeſſor eſt Mentis* (ſiue, *Prudentiæ*, vt habent 70.) *diligit animam ſuam.* Ex quo diſcimus, eum, qui Mentem ſeu prudentiam, ſiue verum verborum ſenſum non tenet, etiamſi verba ſectetur, nihil habere, & animam ſuam odiſſe, ſiue, peccare in animam ſuam. Itaque ſi Rex articulum hunc, *Deſcendit ad inferos*, perinde accipiat ac Lutherus, Caluinus & Beza interpretantur, quod ſcilicet Chriſtus extremam hominum in inferno damnatorum pœnam, hoc eſt, deſperationem ſenſerit; malam conſcientiam habuerit; de ſalute animæ ſuæ timuerit; ne ab æterna morte vt peccator abſorberetur, metuerit; inter tentationum fluctus alternis votis quaſi vacillarit; inter laudem Dei & blaſphemiam fluctuarit; *vtrum ſibi Deus an Diabolus pater eſſet, penè neſcierit*; præ metu Diaboli ſanguinem ſudarit; ſe humani generis mediatorem eſſe oblitus fuerit; præ inuidia pænè Deum blaſphemauerit; blaſphemiam iam iam erupturam vix in ſemetipſo abſorpſerit, immò verò, vt Caluinus ait, *deſperationis vocē elabi ſibi*

Hæretici ſunt, qui verba Symboli apoſtolici, ſed malè intellecta credunt.

Articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos quomodo Lutherus & Caluinus intelligant.

bi sibi fuerit : quæ omnia, & ijs magis etiam horrenda, inuenient, qui volet inquirere apud Lutherum *in commentario Psal. 22.* Tom. 3. lat. Ien. fol. 329. & seqq. Tomo. 3. lat. witt fol. 29. & seqq. Tomo. 3. Ger. Wit. fol. 213. & seqq. *In colloquiis Isllebiens. de Tentationibus* fol. 290. & 302. b. *de Coniugio*, fol. 396. b *de Diabolo*, fol. 279. Apud Caluinum *in Harmonia Matth. 26. & 27. Comment. Ioh. 12. vers. 27. Institut. lib. 2. cap. 16. Sect 10. & 12. In Catechismi parte prima de Fide, Dominica decima.* Apud Bezam *in Annot. Noui Testamenti*, Matth. 26, 37. & Hebr. 5, 7. Si ergò Rex verba Symboli similiter intelligat, nec verum eorum sensum ab Ecclesia discere paratus sit, hoc saltem nomine erit Hæreticus, neque ei in Symboli verba iurasse quicquam proderit. Ita si verba Symboli *Venturus est iudicare viuos & mortuos*, perinde intelligat, ac Lutherus, qui tantùm infideles & hæreticos iudicatum iri, eos autem qui veram religionem amplexi fuerunt, nullam omninò vllius facti sui rationem reddituros esse docet *in Postilla domestica Noribergæ* anno 1546. *edita*, in Dominica XVI. Trinitatis fol. 129. Papistæ, *inquit*, Christum non nisi pro iudice habent. Hoc Christiani *siue Lutherani* non faciunt, cùm sciant Infideles tantùm, qui Euangelium nolunt recipere, à Christo in nouissima die iudicatum iri. Hoc discamus & bene notemus, ne mortem & extremum iudicium metuamus. nec enim venturus est Christus, vt nos iudicet: Sed qui non credunt, illos iudicabit.] Hoc nimirum illud est, quod Paulus præcipit Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Et Petrus 1. Pet. 1. *In Timore incolatus vestri tempore conuersamini.* Et Salomo Prou. 28. *Beatus vir, qui semper est pauidus.* Prou. 14. *Sapiens timet & declinat à malo: Stultus transilit & confidit.* Sed Protestantes æquius est Luthero suo credere, qui hoc amplius ita scribit, *Tomo 1. Ger. witt. comment. Galat. 5. fol. 273. a. §. 3.* Cùm tibi in mentem venit Christus, velut Iudicis, qui te *villicationis*, *siue* actæ vitæ rationes reddere iussurus sit, tum pro certo & explorato habeas, eum non Christum, sed ipsissimum esse Diabolum] Si, inquam, Rex eodem sensu Symboli verba accipiat, quin Hæreticus à nobis habeatur, recusare nullo iure poterit. Eodem modo cùm dicit: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicã*, quomodo verba intelligat, aperire debuit. Si Ecclesiam vocat *cætum hominũ baptizatorum, in quo verbũ Dei purè prædicatur, & Sacramẽta ritè administrãtur*, rectè omninò sentit. Sed si putat, tam verbi, quàm Sacramentorum administrationem ab ijs posse præstari, qui non fuerint *per impositionem manuum*, non hominum laicorum, sed *Presbyterij* missi, & gratia Spiritus sancti donati, iam

Articulum de Christo ad iudicium venturo quomodo Lutherus intelligat.

Protestantes nõ metuunt extremum iudicium, suntque de salute sua securi.

Articulus de Ecclesia quomodo intelligendus.

Catholica Ecclesia quæ?

iam Hæreticus est. Similiter si *Catholicam* esse putat Ecclesiam, quæ non semper verbi ac Sacramentorum vsum, neq; fidem suam per totum orbem diffusam habuit, sed certo, eoq; breui tempore durauit seq; intra fines vnius alicuius siue regni, siue imperij continuit, Hæreticus meritò reputabitur. Si etiam *sanctam* dici putat posse Ecclesiam, quæ siue doctrinam, siue Sacramenta erroribus contaminata habet, erit sine controuersia Hæreticus. quomodo enim homines sanctificabit, quod ipsum sanctitate caret? quomodo mundabit alios, quod immundum est? Igitur necesse habet, ne hujus articuli malè intellecti caussa in Hæreticorum sit numero, quatuor illa verba sic intelligere: *Credo cætum illum hominum baptizatorum, apud quos Ministri, per impositionem manuum presbyterij ad id vocati, Dei verbum & Sacramenta sine errore administrant, semper in terris esse, & nunquam simul in omnibus locis deficere.* Vel breuius hoc modo, *Credo semper inueniri cætum hominum sanctorum, hoc est, eorum quos Christus per Ministros legitime missos suo verbo ac Sacramentis sanctificat.* Etiam quomodo *Communione sanctorū* intelligat, explanatū ab eo oportuit. Si enim neget sanctos cùm illos qui adhuc in terris militant, tum qui iam post rem aduersus diabolum, carnem & mundum fortiter gestam in cælis triumphant, tum deniq; qui victoriam quidem, sed minùs gloriosam & cruentam reportarunt, prælioque languidi & viribus defecti excesserunt, & tam diu in Purgatorio, velut in Medicina, curantur, donec videantur cum decore & specie quadam ceteris Triumphum agentibus adjungi posse: Si hos, inquam, sanctos omnes eam neget inter se communionem habere, quam vnius ejusdem corporis habent membra, vt scilicet inter se diligant & quibuscumq; possunt modis, alij alios adiuuent, non immeritò habebitur Hæreticus. Mirum verò est, quod idem Rex Pag. 97. de *Purgatorio*, an scilicet in eo campus sit patens & amænus, in quo ipse, si fortè illuc deueniat, aucupio operam dare otiumq; oblectare possit, quod inquam, hoc ex Bellarmino potissimum exquirat. quanto enim faciliùs ex *scriptore suo Luthero* id resciscere potuit? cuius hæc sunt verba in *Informatione ad quosdam articulos* Tom. 1. Ger. Ien. fol. 165. et Tom. 7. Ger. VVitt. fol. 7. De Purgatorio firmiter credendum est, & ego verum esse SCIO, miseras animas ibi intolerabiliter cruciari, nosq; obligatos teneri ad opem eis ferendam] Quibus verbis etiam communionem, quam illi cum viuentibus habent, interpretatur, quod hi nimirum illos precibus, ieiuniis, eleemosynis & sacrificiis adiuuent, & hoc modo eos, *qui defe-*

Sancta quæ sit Ecclesia.

Communio sanctorum quomodo intelligenda.

Lutherus ait se scire, quod sit Purgatorium.

cere

cere, velut Christus loquitur, *in æterna tabernacula recipiant.* Sed etiam in articulo de *resurrectione mortuorum*, quid de mortuis sentiat Rex, aperire debuit. Hæreticus enim nobis erit, si Lutheri sententiam probat, quam eius ad Ambsdorfium epistola continet Tomo 2. epist. lat. Isleb. edit. fol. 44. De animabus nõ satis habeo, quod tibi respondeã, Procliue mihi est concedere tecum in eam sententiam, Iustorum animas dormire, ac vsq; ad iudicij diem nescire vbi sint. In quam sententiam me trahit verbum scripturæ: *Dormiuit cum patribus suis.* Idem de Damnatis sentio, posse aliquas sentire pœnas statim à morte, aliquas verò separari, vsq; in illam diem. Verisimile est, exceptis paucis omnes dormire insensibiles.] *Tomo 6. lat. witt. Comment. Genes. 25. fol. 351, & Genes. 43. vers. 32. & Tomo 4. latino wittib. in Commentario Ionæ 15.* Ego puto mortuos sic ineffabili & miro somno consopitos, vt minus sentiant aut videant, quàm hi, qui aliàs dormiunt. Animæ mortuorum ingrediuntur, nec in Purgatorium, nec in infernum, &c. Deus facit nos similes bestijs dormiendo, vigilando, comedẽdo. Anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis &c. Ita nec mortuorũ locus cruciatus vllos habet.] Etiam *Remißionem peccatorũ* frustra credere se Rex testatur, si Deũ iam siue immediatè per se ipsum, siue per alios quàm per Sacerdotes manuũ impositione cõstitutos hominibus peccata remittere existimat. Nec enim euadet, quin Hæreticus nobis sit, nisi totũ illum articulũ sic intellexerit: Credo in Ecclesia esse potestatẽ Sacerdotibus datã hominibus contritis, confessis & satis facientibus seu satisfacere paratis peccata sua remittendi. Postremò Hęreticus quoq; habebitur, nisi articulũ de *vita æterna* aliter, quàm Lutherus intellexerit. Nam in ea nullũ nobis cibi ac potus vsum fore dicit, non quia Apocalyps. 7. scriptũ est: *Non esurient, neque sitient ampliùs, quoniã Agnus, qui in medio throni est, deducet eos ad vitæ fontes aquarũ:* Sed propterea quia *alioquin vno solo quadriennio totũ cœlũ cacando impleturi essemus.* Ita enim purissimus ille Euangelista loquitur *in colloquiis Islebiensibus de vita æterna* fol. 454. b. quo loco hoc amplius dicit: In vita æterna folia, gramen, & flores erunt instar smaragdi, cumq; lateri dixero, vt in smaragdum conuertatur, simul cum dicto smaragdus erit. Ibi erunt oues, boues, pecora, pisces, aurũ, canes, lupi, vrsi, bubones, serpẽtes, sed omnes insigni specie& innoxij, ita vt cum eis collusuri simus. Ibi formicæ, Cimices, omnesq; turpes & fœtidæ bestiolæ optimum odorem reddent nobisque delectationi erunt: creabitque Deus nouos canes melitæos, pelle aurea, pilis gemmeis.] *His consenta-*

De mortuis quid sentiat Lutherus.

Animæ dormiunt, nihilque prorsus sentiunt aut sciunt, id est, omninò non sunt.

Animæ Lutheranorum similes bestiis: neutra enim sentiunt Purgatorium.

Articulus de Remissione peccatorum quomodo intelligendus.

Articulum de Vita Æterna quomodo Lutherus intelligat.

Mahumedismus Lutheri.

Quomodo Rex Anglus otium suum in altera vita sit oblectaturus, hinc disce.

nea scribit Tom. 1. Ger. VVitt. *parte 2. Commentar.* 1. Cor. 15. fol. 47. b. 47. §. 1. & fol. 55. a. §. 2. & b. §. 1. Et *Tom. 6. Ger. Ien.* fol. 235. b. §. 1. et 243. b. §. 2. & 244. a. §. 2. Gramen & herbas, aquas & fontes, & omninò omnes creaturas, nouumq; cœlum & nouam terram corporali modo in æterna vita fore, tantùm ad oblectationem hominum] *Iohannes* quoq; *Mathesius in XII. concione de vita Lutheri fol. 142. b. hæc de eius sententia scribit:* In illo tempore caniculâ Lutheri ante mensam pruriente, fuit, qui quæstionem moueret, vtrum post resurrectionem in altera vita etiam animantes rationis expertes futuræ forent? Omninò, inquit Lutherus nec enim nouum cælum & terra noua vacua erunt, sed pulcherrimis creaturis plena. Vnaquæq; canicula collare aureum habebit margaritis exornatum, & de singulis pilis vnio pendebit.] Hæc si credit Rex, habet certè satis causæ, cur Lutheranam suam Religionem Catholicā mutare nolit, quippe cui Lutherus non modò ex Aucupio (quod frustrà in Catholicorum Purgatorio speret) sed ex ipso etiam cimicum, pulicum ac pediculorum, veluti iucundissimorum collusorum, odore tam incredibilem oblectationem promittat. Verum tamen mihi nullum prorsùs est dubium, quin tantum de Symboli Apostolici vero sensu Luthero & nobis dissidium esse Rex partim nescierit (quod tamen cum Maiestatis suæ venia dixerim, quam quicquam harum rerum nescire pænè absurdum videtur) partim etiam animo in alias res intento, & fortasse penitus in explanandis Apocalypseos mysterijs immerso oblitus fuerit. Hoc sanè magis ei honorificū dictu fuerit, quàm eum hominis tecti, suæq; sententiæ inuidiam occultando effugere cupientis suspicione onerari, vtique cùm ipse pag. 99. hinc potissimum inuidiam in Iesuitas quærat, quia *Aequiuocare*, siue verborum ambiguitate, quod sentiunt, occultare soleant: cumq; scriptor ej⁹ Lutherus in *Admonitione ad Francofortenses contra Zuinglianos Tomo 6. Ger. Ien. fol. 108. b.* eos vocet *Præstigiatores*, qui rogati, quid in Cæna Domini detur, non palam & apertè sententiam proferunt, sed circumrodentes & velut pulte in ore circumacta sic blaterant: Satis est, si credas corpus illud, quod Christus intelligit. Id verò scilicet est egregiè respondere, *ait Lutherus*, & rationem reddere ejus quæ in nobis est spei, quemadmodum D. Petrus jubet] De quo hominum genere Salomon loquitur Prou. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.*

Animi tecti ac dissimulatoris suspicione Rex Angliæ liberatur.

Rex odit homines Aequiuocationibus vtentes

CAPVT

VENIO nunc ad aliam ſuſpicionem, qua Regis exiſtimationem non nemo forſan in periculum vocauerit. Scribit nimirum Rex Pag. 55. *Ego id ingenuè ſpondeo, quoties Religionis illius, quam profiteor, vllum caput oſtendetur non antiquum, Catholicum & Apoſtolicum, ſed nouitium eſſe ac recens (in rebus ſcilicet ſpectantibus ad Fidem) me ſtatim ab eo diſceſſurum.*] At enim fatetur Lutherus totam ſuam doctrinam NOVAM eſſe ac recentem, quippe quæ ſtatim poſt Apoſtolorum ætatem obſcurata, ſuppreſſa & tantùm non penitus exſtincta fuerit, ita vt ipſe ex nullius hominis neq; libris, neq; viua voce eam didicerit, ſed immediatè ſiue ex Chriſti, ſiue ex Diaboli concubini & conuictoris ſui perpetui reuelatione acceperit. *Tomo 8. Germ. Ien. in breui confeßione de ſanctißimo Sacramento, fol. 181. b. §. 4.* Quoniam eo tempore, *hoc eſt, circa annum 1520, ac proximè ſecutis,* Doctrina hæc noſtra NOVA & ſupra modum ſcandaloſa erat per vniuerſum Orbem, pedetentim progredi cogebar, & propter infirmos multa concedebam, quod poſteriùs non feci.] *Tom. 5. Germ. Ien. in libello ad ſuos Germanos fol. 285. a. & 288. Et Tom. 7 Ger. VVitt. fol. 475. & 478.* In omnibus Papiſtarum libris & Doctoribus nulla litera, imò nullus apex de Fide in Chriſtum (*hoc eſt, de noſtra Fide Lutherana*) inuenitur, nemo etiam in Papatu in Chriſto fiduciam habuit. Nemo ſciuit, quid eſſet Euangelium, quid Chriſtus, quid baptiſmus, quid confeſſio, quid Sacramentum, quid Fides, quid Spiritus, quid Caro, quid bona opera, quid decem præcepta, quid Pater noſter, quid orare, quid Magiſtratus ſęcularis, quid Matrimoniũ, quid Parentes, quid liberi, quid domini, quid ſerui, quid heræ, quid ancillæ, quid Diabolus, quid Angelus, quid Deus, quid Epiſcopus, quid Parochus, quid Eccleſia, quid Chriſtianus, quid Crux: Summa, nihil penitùs ſciebatur, quod Chriſtianum hominem ſcire oportet.] Itaq; non potuit Lutherus doctrinam ſuam ex Pontificiorum libris haurire, & ridiculè facit Rex, cum toties Veritatem, quam putat, Religionis ſuæ ex Pontificiis ſcriptoribus probare nititur. Etiam Sanctorum Patrum libris, qui abhinc mille ampliùs annis vixere, nihil acceptum Lutherus refert, quippe qui & ipſi iam Pontificiorum erroribus obnoxij fuerint. *Tomo 1. Germ. Ien. in præfat. fol. 4. b. §. 2.* Nullus Doctor iam inde ab Apoſtolicis temporibus præcipuos Fidei (*eius ſcilicet, quam nos Lutherani profitemur*) articulos, tam perſpicuè ex ſacris literis probauit, confirmauit & fundauit, quàm ego feci.

Regis Angli pollicitatio fraudis ſuſpecta.

Lutherus Proteſtantium Religionem fatetur eſſe nouam.

De Fide Proteſtantium ante Lutherum nemo mortalium quicquam ſciuit.

Ridiculus Regis Angliæ conatus.

Nullus ex omnibus Sanctis Patribus Proteſtantium Fidem habuit.

feci.] *Tomo 2. Ger. Ien. de Scholis instituendis fol. 459. vel 464. b.* Totus mundus hoc fateri cogitur, nos Euangelium ferè tam purum putum habere, quàm Apostoli habuerunt, Immo etiam, Euangelium iam omni ex parte in suam in pristinam & natiuam puritatem redactum multoq; iam purius esse, quàm Hieronymi & Augustini temporibus fuerit.] *Eodem Tomo de Præcipua summa mandatorum Dei* fol. 480. Ego NEMINEM scio, qui de fide & operibus rectè iudicare potuerit, exceptis Apostolis ad id ipsum electis, vt eam rem purè docerent, & doctrinæ fundamenta iacerent. In ceteris libris, quotquot sunt nequaquam id inuenitur, vt ita mirum non sit, eam doctrinam nostris temporibus adeò perijsse & exstinctam fuisse.] Hic apertissimè testatur, doctrinam *de sola fide*, hoc est, præcipuum Religionis Lutheranœ caput, prorsùs NOVVM esse, nec in ullo alio libro, qnàm in Biblijs, (Sed nempe ipsius solius modo & arbitratu interpretatis) inveniri posse, quod ipsum magni inter Protestantes nominis Theologus *Iohannes wigandus* in libello, quem *Admonitionem de bonis & malis Germaniæ* inscripsit, & Anno 1566. edidit, totidem verbis affirmat Pag. 14. Alterum beneficium, quod Deus Germaniæ in primis exhibuit, est præcipuorum articulorum fidei illustratio, qualis ab Apostolorum temporibus huc vsq; in hoc mundo non est cognita] Item Pag. 20. in confesso est, totum corpus doctrinæ cælestis simpliciter, dilucidè, propriè, dextrè erutum & traditum esse à Theologis Germaniæ, quale in OMNIVM Patrum scriptis post Apostolos nullum inuenitur. Corpus autem doctrinæ appello, singulorum articulorũ accuratam & ex fundamentis scripturæ haustam explicationem, qualis in Lutheri libris continetur] Hic idem Vuigandus cum *Matthia Flacio*, ceterisq; Collegis Ecclesiasticam historiam XIII. Centurijs complexus est, vt Rex nihil habeat, quod indignè ferat, si Vuigandum in Ecclesiasticæ historiæ peritia ei præferamus. Fatetur autem Vuigandus, in articulo *de libero arbitrio*, (quem Lutherus in Assertione articulorum à Leone damnatorum artic. 36. *articulum optimum & rerum suarum summam* vocat) itemq; de *Iustificatione* omnes secundi sæculi Patres ac Doctores, hoc est, qui ab anno Christi nati centesimo ad ducentesimum vixerunt, Papisticè, non Lutheranè sensisse, siue, sacra Biblia, non sicut Lutherus, sed sicut Pontifitij hodie interpretantur, intellexisse. *Sic enim loquitur Centuria 2, cap. 4. columna 59.* Eodem modo Clemens liberum arbitrium vbiq; asserit, vt appareat in ejusmodi

In omnium Sãctorum Patrum libris nihil de Protestant'um Fide legitur.

Omnes sancti Patres à Protestantiũ doctrina dissentiunt.

Omnes sancti Patres in fundamento Fidei Papistæ fuerunt

modi TENEBRIS non tantum fuisse OMNES eius sæculi Doctores, verùm etiam in posterioribus eas subinde creuisse & auctas esse.] *Et mox colum. 60.* Doctrina de Iustificatione negligentius & obscurius ab his Doctoribus tradita est.] Sed etiam priùs colum. 55. in genere dixerant, *Doctrinam Christi & Apostolorum hac ætate non parùm cœpisse obscurari.* Cùm igitur omnes Ecclesiæ Doctores ab Apostolorum tempore vsque ad Lutherum in Tenebris errorum fuerint, hoc est, scripturas non rectè intellexerint, fieri certè non potuit, vt Lutherus ab vllo homine sui Euangelij lucem acceperit. Itaque se pro *Euangelista* haberi postulauit. *Tomo 2. Germ. Ien. in Epistola ad Electorem Saxoniæ fol. 79. & Tom. 9. Germ. VVitteb. fol. 147.* Quod ad causam meam attinet, Clementissime Domine, siue id sciat Celsitudo vestra, siue nesciat, hoc ei affirmo & notum esse volo, quòd Euangelium non ab hominibus, sed tantùm ex cœlo per D. N. Iesum Christum habeam, adeò vt iure potuerim (sicut etiam posthac faciam) gloriari ac scribere me Dei ministrum & Euangelistam.] Nihilominus in hoc non sibi satis constat. Nam aliàs quicquid in suo Euangelio sit boni, ab hominibus sibi traditum, aliàs omnes veras scripturæ Interpretationes à Diabolo singulis noctibus secum disputante & in corde suo colloquente inspiratas fuisse dicit. De *hominibus* quidem extat eius confessio in libro *ad binos Parochos de Anabaptismo, anno 1528. Tom. 4. Germ. Ien. fol. 320. & Tomo 2. Germ. VVitt. fol. 279. b.* Nos fatemur sub Papatu multa esse bona Christiana, immò omne bonum Christianum, atque inde etiam ad nos Lutheranos peruenisse. Nempe fatemur in Papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remittenda peccata, verum Prædicandi officium verum Catechismum. Imò dico, in Papatu veram esse Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis, multosque magnos Sanctos.] *Et anno 1538. in Comment. Ioh. 16. Tomo 4. Germ. VVitt. fol. 227. b. & seq. Tomo 7. Germ. Ien. fol. 169. b. §. 2.* Est argumentum, quod omnino difficulter Papistis eripi potest, imò mihi ipsi perquam difficile est ad soluendum & refutandum, cùm præsertim COGAMVR ipsis tam multa largiri & concedere, quæ vera sunt, in Papatu scilicet esse Dei verbum, Apostolatum, nosque sacram scripturam, baptismum, Sacramenta & Prædicandi officium ab ipsis sumpsisse. Alioquin quid de istis omnibus nos sciremus? &c. Cogimur ita dicere: Credo & certus sum etiam in Papatu Ecclesiam

Tenebræ Papistica quam sint antiqua.

Lutherus gloriatur se nō ab hominibus, sed ex cœlo Euangelium suum accepisse.

Hic contrà fatetur, se quicquid boni habeat, à Papistis sumpsisse.

Christi permansisse] De *Diabolo* verò non vno in loco fatetur *In Colloquijs Islebiensibus de Verbo Dei fol. 23. in Francofort. fol. 18.* Meam Theologiam non totam simul & semel didici, sed necesse habui quotidie magis ac magis in ejus profunda me demergere: quam ad rem tentationes meæ me adegerunt &c. Quod Sacramentarij *siue Caluinistæ* sacram scripturam non intelligunt, hæc causa est, quia verum Opponentem, nempe Diabolum, non habent, qui demum benè docere eas solet. Ita Diabolus S. Paulum coëgit diligenter in sacra scriptura studere. Ita & ego Diabolum collo meo affixum habui, qui me coëgit ad Biblia recurrere. Ita factum est, vt Biblia diligenter legerem, & verum earum sensum tandem assequerer. Quando Diabolum eiusmodi non habemus, nihil nisi speculatiui Theologi sumus] Hoc ipsum multis verbis persequitur in præfatione *Tom. 1. Ger. VVitt. A. 2. b.* vbi se fatetur Diaboli tentationibus acceptum referre, *quod tantus Doctor euaserit, qui in conscribendis egregijs libris nulli neq; Patrum, neq; Conciliorum quicquam concedat.* In concione Dominicæ Reminiscere, quæ exstat inter 27. conciones Anno 1523. VVittembergæ & Argentinæ in 4. vt vocant, impressas fol. 19, a. ita gloriatur: Ego Diabolum intus & in cute noui, quippe quî cum plus vno salis modio comederim, meq; vicissim Diabolus probe pernouit.] *Rursum in Colloquijs de Lege & Euangelio fol. 124. vel. 158.* Diabolus multò propior mihi in lecto accubare solet, quàm vxor mea] *Et in Colloquijs de Tentationibus fol. 199. vel 255. b.* Singulis noctibus cùm euigilo, præsto mihi est Diabolus, meq; conatur disputando fatigare] *Et fol. 214. vel 274.* Mihi quidem sic vsu venit: noctu cùm euigilo, confestim adest Diabolus, mecumq; disputat, & varias mihi cogitationes facit, donec somno prorsùs deterso alacrior factus ei dico: Osculare mihi culũ] *Et fol. 216. vel 275. b.* Diabolus mecum in Dormitorio deambulare solet: habeo vnum atq; alterum, qui valde me obseruant, suntq; mirè ridiculi & festiui Diaboli] *Tom. 3. Ger. Ien. in libro de firmitate verborum, Hoc est corpus meum fol. 388. a. §. 3. & Tom. 2. Germ. VVitt. fol. 122. a. §. 3.* Væ atq; iterum Væ omnibus nostris Doctoribus & Librorum scriptoribus (*in quorum iam censu Serenissimus Rex noster nomen suum profitetur*) qui tam securi incedunt, & quicquid in buccam eis venit, euomunt, nec prius decies de commento suo in consilium eunt, vt sit ne id commentum ex Deo, an à Diabolo inspiratũ, certò scire possint: qui Diabolum interea otiosum cessare, aut in Babylone alias res agere putant

Lutherus hic ait, se Theologiã suam Diabolo Magistro didicisse.

Lutherus Diaboli conuictor et concubinus.

Lutherana Diabolo respondendi formula,

Lutherus cuiusmodi Angelos custodes habuerit.

Lutheranorum in scribendo securitas.

tant, neq; cogitant miseri, Diabolum vndiq; venenata tela ignea ipsis immittere, quæ tela nihil sunt aliud, quàm cogitationes multò pulcherrimæ scripturarum testimonijs obductæ & exornatæ, ita vt latentem sub eis fraudem veneni animaduertere nequeant. Quod si quis id nescit, experimento facto id discat licet: Ego quidem aliquid eo in genere expertus videor: Sed nemo mihi credet, donec similiter experiatur.] Quod hic in genere de cogitationibus à Diabolo sibi immissis & inspiratis ait, id narratione cuiusdam nocturni sui cum Diabolo colloquij confirmat in libro *de Missa angulari Tomo 6. Ger. Ien. fol. 82. & Tom. 7. Ger. witt. fol. 480. Tomo 7. lat. VVit. fol. 228.* Scribit enim, eo tempore, quo adhuc Papista erat, & Missas quotidie deuotè celebrabat, panemq; in corpus Christi transubstantiari credebat, adfuisse sibi quadam nocte Diabolum, secumq; contra sacrificium Missæ tam *terribili voce disputasse, vt sibi sudor eruperit, cor totum contremuerit, ipse denique præ timore* (quod & aliàs PERSÆPE sibi contigisse ait) *animam pæne efflauerit.* Disputationis deniq; illius euentus hic fuit, vt Diaboli quinq; argumentis victum se Lutherus fateretur, & in ipsius sententiam, scripturæ verbis obductam, concederet. Ea porrò hos duodecim Articulos complectitur, quos Lutherani & Caluinistæ hodie, velut Symboli Apostolici articulos, profiteri nequaquam sibi religioni ducerent.

Cuiusmodi Lutheranis tela Diabolus immittat.

Lutherus à Diabolo de vera Religione institutus.

Symbolum fidei Protestantium, quam Diabolus vna nocte Lutherum docuit.

I. Credo Papistarum religionem nihilo Turcica meliorem esse.
II. Credo nihil credendum esse, quod non disertim in sacris Bibliis sit expressum.
III. Credo Christi corpus & sanguinem non adesse in Sacramento Eucharistiæ, sed nudum panem & vinum.
IV. Credo Papistas nullam in Christo fiduciam habere, sed Christum velut iudicem metuere, ideoque ad alios adiutores confugere.
V. Credo Sanctos non esse inuocandos.
VI. Credo sacrificium Missæ esse horrendam Idololatriam.
VII. Credo chrisma & vnctionem Sacerdotum nihil esse.
VIII. Credo omnes Christianos esse Sacerdotes.

IX. Credo Sacramentum Eucharistiæ non esse adorandum.
X. Credo Sacerdotes Papisticos non consecrare,
XI. Credo Missam non esse celebrandam, nisi præmissa concione & si adsint communicaturi.
XII. Credo Fidem indiuidualem, qua sibi quis gratiam Dei & vitam æternam certissimè pollicetur, ad salutem omnibus esse necessariam.

Hos duodecim articulos non credidit Lutherus priusquam illam nocturnam Diabolus disputationem secum habuit. nam loca scripturæ, quibus ad eos probandos vsus est Diabolus, numquam intellexisset Lutherus (quippe quæ nullus hominum iam inde ab Apostolicis temporibus sic interpretatus fuit) nisi à Diabolo de media nocte sic illuminatus fuisset. Dices: Atqui suprà in epistola ad Electorem Saxoniæ gloriatus fuit, se immediatè de cælo per Iesum Christum, suum Euangelium accepisse: quomodo igitur hic se Diaboli in corde suo secum colloquentis magisterio doctum ait? Respondeo cum ipso Luthero *Tomo 1. Ger. VVitt. in commentario Galat. 1 fol.* 28. a. §. 1. & 3. In spiritualibus peccatis (in quibus Satan non ater, neq; terribilis apparet, sed *candidus & talos à vertice pulcher ad imos* obrepit, in Angelum lucis, imò in Deum se transfigurans) ibi demum tam artificiosè vafritiem occultare potest, seque ipsum dolis architectum superat, vt letale ac pestiferum suum venenum pro mera gratia, pro verbo Dei, & pro ipsissimo Christi Euangelio venditet.] Nempe Diabolus modò in gloriosa Christi forma, modò in sua specie, *qualisq; videri cœlicolis quantusq; solet, non visu facilis, nec dictu affabilis vlli* Luthero apparuit, eiq; sensum apperuit, vt intelligeret scripturas eo modo, quo nemo totis quindecim sæculis in vniuerso Orbe intellexit. Dices: Quomodo igitur Rex, quem tu hic tuendum purgandumq; suscipis, *ingenuè*, nedum Regiè loqui credendus est, qui *se ingenuè spondere dicat, si quod ei Religionis suæ caput ostendatur nouitium esse ac recens, non antiquum, Catholicum & Apostolicum se statim ab eo discesserum?* Cum Lutherus non vnum modò caput, sed totam suam doctrinam NOVAM esse, neq; ullam ejus partem in vllius Patris ac Doctoris libro inueniri, cum se propterea in discenda Theologia nocturno Diaboli magisterio vsum esse dicat, & nouitatis testimonium Doctrinæ

Lutherus modo à Christo modo à Diabolo didicisse se iactat.

Quia Diabolus in Christum sæpe se transformauit.

Quomodo Regis Angli Protestatio fraudis suspicione liberetur.

Lutheri ipsi etiam Magdeburgenses Centuriatores prolixe præbeant: qua fronte Rex eandem doctrinam *antiquam*, *Catholicam & Apostolicam* videri postulat? Respondeo, cùm Rex sit *Dei Vicarius* velut non semel ipse de se prædicat, certè non videtur saluo officio aliam, quam Dominus eius, in subducendis rationibus Arithmeticam sequi posse. Iam verò *vnus dies apud Dominum sunt mille anni, & mille anni sicut dies vnus*, vel ipso S. Petro teste 2. Petri 3. quare cum Papistarum Religio iam mille & quingentos annos habeat, rectè NOVA reputabitur, tanquam quę non nisi altero die ad meridiem durauerit. Lutherana vicissim nonaginta iam annos nata, rectè quouis Tithono antiquior, prorsusq; vetustate Edentula & Capularis meritò dicetur. *Noua* quidem certè dici nequit, cùm perspicuè & disertim testetur Salomon Ecclesiastæ 1. *Nihil est sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: præcessit enim in sæculis, quæ fuerunt ante nos.*] Et hoc quidem propriè de Lutheranæ fidei articulis verum esse, ipse etiam Bellarminus *de notis Ecclesiæ capite nono* accuratè docet, nullumq; ferè Lutheranis articulum esse, quem non priscorum Hęreticorũ aliqui crediderint, luculentè probat. Præterea cùm Diabolus sit *antiquus serpens*, sit *Angelus* siue *Apostolus* (nam vtraq; vox *Missum* siue *Nuncium* significat) & iam inde ab Adami & Euæ temporibus, quibus primam concionem de Suggestu arboris contra Ieiunium siue Abstinentiam habuit, perpetuò aliquos habuerit, qui de nõnullis articulis idem, quod hodie Lutherani sentirent: nihil peccasse Regem puto, cùm Diaboli doctrinam Luthero inspiratam rectè censuit *Antiquam*, *Apostolicam & Catholicam* vocari. Omnia nempe in eo sunt, vt quo sensu Rex vocabulis vtatur, etiam atque etiam cogitetur. Atque hoc modo ne illorum quidem quisquam, de quorum immodestia, quod scilicet Mendacij se insimulare fuerint ausi, pagina 16. & 18. Rex conqueritur, vsq; eò insaniæ progredietur, vt Regem in eo mentitũ velit dicere, quod *Inuocationem Sanctorum nouitium ac nuperum fidei articulum vocat, recenter in Romanæ Ecclesiæ officina cusum, & ante quingentesimum Christi annum in Ecclesia non visum, non auditum.* Sine dubio enim Rex ibi de cœcis & surdis verba facit. Nam de ijs, qui oculis & auribus capti non fuerunt, aliter Magdeburgenses Centuriatores credere nos iubent. Nam *Centuria 2. columna 63.* fatentur, quamuis inuiti, B. Virginem à S. Irenæo iam ante 1400. annos *virginis Euæ aduocatam* dictam fuisse. *Centur. 3. col. 83.* Videas, *inquiunt*, in Doctorũ huius sęculi scriptis non obscura (*ergò clara & illustria*) vestigia Inuocationis Sanctorũ. Habes eius for-

Quomodo Protestantium Religio sit Antiqua.

Quomodo eadẽ sit Catholica & Apostolica.

Rex Inuocationem Sanctorũ ait esse nouitiam.

Sed contrarium testantur Lutherani Theologi.

Formula inuocationis Sanctorum circa annum Christi 300.

mulam apud Origenem sub finem libri secundi super librum Iob: O beate Iob, ora pro nobis miseris, vt in tribulationibus nostris terribilis Dei misericordia nos protegat] Sed etiam quarta Centuria omnes eius sęculi Doctores Inuocationē Sanctorū probasse, adductis ipsorum patrū verbis probant. Et columna quidem 295. sequentia eorum verba legimus: *Athanasius*: Si adoras hominem Christum, eò quod ibi inhabitet Dei verbum, vna opera adora quoq; Sanctos ob Deum, qui in illis domicilium habet.] Mirum autem est, tantum Doctorem sic scripsisse, cùm sit diuersa ratio. Nam de Christo mandatū Dei exstat, de sanctis verò non. *Et in Euangelio de Sanctissima Deipara Inuocationis Mariæ exemplum recitat*: Audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurē tuam, in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui. Ad te clamamus, recordare nostri Sanctissima Virgo, & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es. Et: Aue gratia plena, Dominus tecum: intercede hera & Domina, & Regina, & mater Dei pro nobis] Ista prorsus Idololatriam spirant.] *Hæc illi*, cum quibus Regē congruere qui non videt, nihil videt.

Lutherani fatentur, Athanasium docuisse Sanctorum inuocationem.

S. Athanasij oratio ad B. Virginem.

CAPVT VII.

Rex Angliæ copertissimā veritatem negare audet.

SED quo tandem modo illud excusabo, quod Rex ea, quæ in confesso sunt, atque apud omnes peruulgata, nihilominus negare audet: Scribit enim Pag 138. *Arbitror, quotquot iam veræ illi fidei, cui adhereo, nomen dedistis (quamquam inter vos nec dum de Apicibus nescio quibus conuenerit) facilè ad pium hoc ac prudens consilium erigi ac adduci posse.*] Et mox: *Ne patiamini fanatico Concionatorum feruore atque manibus super rebus Adiaphoris altercationibus discerpi ac dissipari mysticum illud corpus, cuius partes ipsi estis*] Ain'tandem, Rex Serenissime, Apices tibi resque adiaphorę videntur, de quibus inter Protestantes, nec inter Lutheranos tantùm & Caluinistas, sed inter illos ipsos quoque, qui Augustanæ Confessioni pariter subscribunt, dirisq; Caluinistas deuouent, hodie quoque litigatur? Atqui longè aliter ipsi credere nos iubent, quorum res præcipuè agitur. Lutherus quidem Caluinistarum Religionem Diabolo auctore introductam ait, neq; ea vllam Hæresin magis nefariam adhuc exortam. Sicut ipsi me Diabolo plenum putant, inquit, ita dico ego, Diabolum per illos loqui. Pacem à nobis petunt, sed eiusmodi pax & concordia sit maledicta. Alterutrū, aut me, aut Zuingliū Diaboli proprium esse oportet: nullum est tertium. Melius est Papi

Lutheri de Caluinistis iudicia.

stam

ſtam eſſe, quàm Zuinglianum, cùm Zuinglius ſepties tantò deterior euaſerit, quàm prius fuerat, cùm adhuc Papiſta eſſet. Nullus Princeps ſalua conſcientia in prouincijs ſuis tolerare Zuinglianos poteſt, & ipſius Spiritus Sancti conſilium eſt, quod eos expelli iubet.] Hæc & alia eiuſdem verba annotatis ſimul Lutheri libris in libro meo, quem *Humiliationem Proteſtantium* inſcripſi, pag. 56. b. lector inueniet, vbi ſimul Caluini Luthero gratiam referentis verba leguntur, in quibus Lutherum cum ſuis *craſſos comeſtores vocat*, *monſtraque in cerebris ſuis fabricari, veritatis lucem exſtinguere*, *faſtuosè moroſos eſſe, terrena ſapere, & præpoſtero feruore temerè abripi*, *& ſine dubio Diaboli faſcinatione occæcatos* dicit. Eiuſdem in ſecunda defenſione aduerſus weſtphalum hęc de Lutheranis verba legimus pag. 155. *Tam virulento odio in nos crepant, vt citius illis pax cum Turcis futura ſit, & cum Papiſtis fraternitas, quàm nobiſcum induciæ* Iohannes quoque wigandus in libro, cuius ſupra mentionem feci, de bonis ac malis Germaniæ pag. 60 diſſidiorum inter Lutheranos ita meminit: Neque verò de rebus friuolis & ineptis diſputatio eſt, ſed de ſummis capitibus doctrinæ cœleſtis : ac verè poſſumus cum Dauide conqueri, quod ipſum Fundamentum præſtigiatores nonnulli pelle ouilla contecti nefariè euertant.] Idem Nicolaus Gallus Ratisbonenſium Apoſtolus in fine Theſion & Hypotheſion ſuarum complorat, *negatque diſsidia inter Auguſtanæ Confeſsioni addictos de ſummis fidei capitibus nata vllo modo componi poſſe*, *cùm meræ ſint contradictiones.* Hoc ipſum Nicolaus Selneccerus explanatione Pſalmi 131. dolenter queritur: hoc Iacobus Andreæ, hoc alij. Ac ne Regi illuc confugere liceat, vt nihil iſtis fanaticis Concionatoribus fidei habendum dicat, ipſi Germaniæ Electores atque Principes, qui Concordiæ libro ſubſcripſerunt. fol. 255. b. Dreſdenſis editionis, quo loco ſuas Eccleſias grauiſſimis & pernicioſiſſimis diſsidiis agitari fatentur, diſertim affirmant, *lites non eſſe*, *quod quidam putare poſſent, de vocabulis, quia ſcilicet alij alios minùs intellexerint*, *ſed de arduis grauiſsimiſque rebus*, *quæ tales ſint, vt alterius & errantis partis ſententia in Eccleſia Dei nequeat tolerari, multò autem minus excuſari aut defendi.* Neque eſt, quod Rex iſta Proteſtantium diſsidia illo ipſo Concordiæ libro ſublata aut compoſita fuiſſe dicat. Præterquam enim quòd adhuc cum Caluiniſtis diſsident Lutherani, tum verò eorum quoque, qui Concordię libro nomina dederant, alij alios de Hęreſi publicis ſcriptis poſtulare minimè dubitarũt, id quod Regi ex lectione *Colloquij Quedlinburgenſis* obſcurum eſſe nequit: quemadmodum neq; Chemni-

Caluini de Lutheranis iudicium.

Inter Lutheranos ipſos quanta ſit Concordia.

Ipſi Lutherani Principes contra Regem Angliæ teſtantur.

Concordia liber Lutheranos nõdum redegit in Concordiam.

Chemnitij & Smidlini Concordiæ auctorū concordia.

tio & Iacobo Andreæ, duobus libri Concordiæ Architectis de hac sententia conuenit: *Mariæ filius est Deus, non secundum assumptam, sed secundum æternam naturam.* Hanc enim Chemnitius probat, alter autem *Hæreticissimam esse* clamat, omniq; vi contendit, vt dicatur: *Caro est Deus,* velut in Relatione *colloquij Herzbergēsis* fol. 150. & seq. videre licet.

Regi turpe est nescire statum Ecclesiæ Protestantium.

Quæ Colloquia si Rex minus legit, *historiam* certè *Ecclesiasticam Lucæ Osiandri* abhinc septem annis editam videre debuit, *cùm ad Consiliū de Reepub. dādum caput sit nosse Rempub.* nisi quidem videri velit de maximi momenti rebus, quas ipse neque cognitas habuerit, neque adeò cognoscere laborarit, Protestantium Principibus consilium suppeditare voluisse: quod haud scio ego an minùs turpe illi sit, quàm scientem prudentemq; aliquid falsi affirmasse. Claudius quidem Imperator apud Senecam cum cædes aliorum se nesciente factas excusasset, à D. Augusto meritò audijt: *Nescio, inquis? Dij tibi malefaciant: adeò istud turpius est, quod nescis, quàm quod occidisti?* Et M. Tullius pro Balbo, cùm accusator Cn. Pompeium inscientem quiddam fecisse dixisset, quod per leges & instituta Romanorum minùs liceret, nihil ea excusatione Pompeij culpam minui rectè refellit. *Quasi verò leuius sit* (inquit) *cùm in tanta Repub. versere, & maximis negotijs præsis, facere aliquid, quod scias non licere, quàm omnino nescire quid liceat.*

Osiandri testimonium de dissidijs Luheranorum, qui Cōcordiæ subscripserant.

Scribit autem Osiander inter anni 1583. gesta: *Sed & Theologi quidam, qui libro Concordiæ subscripserant, eumque approbauerant, mutata animi sententia eum reprehendere cœperunt, inter hos erant præcipui Theologi Brunsuicenses.* De euentu porrò Quedlinburgensis Colloquij, Principum Augustanæ Confessioni deditorum auctoritate componendi dissidij causa instituti, *sine vllo fructu disputatum fuisse, neque in hodiernum vsq; diem hoc Schisma ad concordiam reduci potuisse* narrat. Herzbergense quoque Colloquium anno 1585. *sine fructu solutum fuisse* refert: quę omnia cùm mecum recogito, nō possum quin de

Propheta de variis sectis sub Augustanæ Cōfessionis nomine se occultantibus.

isto tot sectarum tam confidenter sub Augustanæ Confessionis velo latitantium dissidio hæc *Isai.* 4. prædicta fuisse credam: *In die illa apprehendent septem mulieres virum vnum, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos* (siue, à te denominemur, nomine tuo appellemur) *aufer opprobrium nostrum.* Sicut enim Ecclesia Christi Mulier & Christi Sponsa dicitur, cuius vestimenta dicuntur populi ei adherentes, Isai. 49. *Leua in circuitu oculos tuos & vide: Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut vestimento vestieris & circumdabis tibi eos quasi Sponsa.* Similiter Sectæ siue Hæreses etiam ipsæ

Mulie-

Mulieres dicuntur, de quibus paulò ante Isaias priore capite ita locutus fuerat: *Populum meum exactores sui spoliauerunt, mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant,* id est, religionum dissenssionem inter vos inducunt. Quæ de Pseudoprophetis ac falsis verbi diuini interpretibus accipienda esse, hic Isai. 9. locus docet: *Disperdet Dominus ab Israel caput & caudam. Longæuus & honorabilis* (siue Magistratus) *ipse est caput: & Propheta docens mendacium, ipse est cauda. Et erunt, qui beatificant populũ istum seducentes, & qui beatificantur, præcipitati.* Earundem mulierum Isai 27. mentionem facit: *Mulieres venientes* (sine legitima vocatione) *& docenteseos. non est enim populus sapiens.* Et Ezech. 13. *Pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo* (libitu suo verbum Dei interpretantur) *quæ cõsuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, mentiẽtes populo meo credenti mendaciis.* hoc est magistratibus sæcularibus blandiuntur, eorumque cupiditatibus indulgent. Hos enim dici *Capita* non tantùm ex modo laudato *Isai. 9.* Sed etiam ex hoc *Amos 6.* loco discimus: *Optimates capita populorum, qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Eosdem porrò sæculares Magistratus etiam *Brachia* ac *manus* appellari, non vno scripturæ loco doceri posset. Itaque mulieres istæ siue Hæreses capitibus ac brachiis puluillos molles subiiciunt, ad capiendas mendaciis suis eredulorum populorum animas, siue sæcularibus magistratibus assentantur, eisque qiucquid ipsi velint loquunrur, & caput suum eos constituunt, ex quo Isai. 3: sic eis cõminatur: *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion,* id est, Magistratus, quos Hæreses pro capite ac vertice suo habent, implebit ignominia simulque *Caput & caudam,* hoc est magistratum cum Hæresios doctore *disperdet.* De eodem mulierum genere Prou. 2. ita scriptum legimus: *Si scientia* seuvera religio *animæ tuæ placuerit,* ita vt eam voces amicam tuam ac veluti vxorem ducas (*Prou. 7, 4.*) *tunc seruabit te, vt eruaris à muliere aliena,* siue â filia Dei alieni, id est Hæresi *& ab extranea, qua mollit sermones suos,* id est, *à via mala, & ab homine qui peruersa loquitur, vt abducat discipulos post se,* Act. 20. Septem igitur eiusmodi mulieres, hoc est, plures diuersæ Hæreses apprehendunt virum vnum & auferendi opprobrii causa, siue, ad vitandam infamiam, denominari volunt, eo tamen pacto ac lege, vt suum quæqne panem comedat, & suo vestimento operiatur, hoc est, vt verbum Dei aliter, atque ceteris placet, interpretari (nam verbum Dei rectè declaratum est

Caput & Cauda Hæresion.

Magistratus sæculares sunt Capita Hæresum.

Vide infra cap. 25.

Infra cap. 103.

Hæreses mulieres alienæ & extraneæ.

panis vitæ, ſed idem falſa interpretatione deprauatum eſt panis mendacii, quem qui comedunt, non plus habent, quam qui dormiens comedere ſe ſomniat, *Iſai. 29.*) ſuos etiam diſcipulos proprios ac peculiares habere poſſit. Quis iam ætatis noſtræ Hæreſes, Vbiquitiſtarũ, Adiaphoriſtarum, Flaccianorum, Synergiſtarum, atque adeo ipſorum Caluiniſtarum, ad Auguſtanam confeſſionem confugientium & ab ea denominari contendentium, non intelligat illo *Iſaiæ* loco deſcribi? Ac de ceteris quidem Oſiandri ipſorumque Principum Concordiæ libro ſubſcriptorum teſtimonia iam audiuimus. De Caluiniſtis, quam & ipſi Auguſtanæ Confeſſioni addicti videri cupiant, vel Caluini in vltima admonitione ad weſtphalum prouocatio ad Philippi tum adhuc viuentis ſententiam ſatis declarat.

Rex teſtimonio Primarii Principis Lutherani conuincitur.

Sed ne idem Rex defendere queat, non ſe neſcire quanta ſint fanaticorum Concionatorum inter ipſos diſſidia, cùm tamen ipſi Principes ac Magiſtratus amicè conſpirent, eũdemq; de omnib. Fidei articulis ſenſum habeāt: libet mihi hoc loco Principis cuiuſdam Germani ea de re teſtimonium referre, cuius neq; regiā generis nobilitatē, neq; ingenium, literas & hominum rerumq; vſum, ſingularem quoque animi magnitudinem & candorem, omnibus iam quà Catholicis, quà Proteſtantibus Imperii ordinibus perſpectiſſimum, non modò Britanniæ Rex, ſed neque qui ſit illo maior, prę ſuis ornamentis contemnere queat. Is non ita pridem in ſuaſoria ad Saxones de rebus Iuliacenſibus miſſa hoc argumento ſcripſit.

Principes Auguſtanæ confeſſioni dediti.

Quoniam præter familias Saxonicam, Brunſuicenſem & Lunæburgenſem, Pomeranam, Mechelburgicam, aliasq; paucas, quæ adhuc Auguſtanæ Confeſſioni adheſerunt atq; etiamnum adherent, & ſententiis in religionis cauſa conſpirant, EXCEPTIS ALIQVOT de Vbiquitate ALIISQVE controuerſiis, reliquæ Electorum Principumque & primariorum Comitum familiæ atque ciuitates, tanquam Electorales Palatina & Brandēburgica, VVirtenbergica, Onolſbacenſis, Badenſis, Haſsica Caſſellenſsis, Anhaltina, Naſſouia aliæque plures Caluinianam, ſiue reformatam, quam dicunt, Religionem amplectuntur: non poſſum equidem decernere, ipſos (Caluiniſtas *) propterea à beneficio Pacis religioni datæ ſubmotos omninoq; excluſos eſſe, id quod Catholici vnicè ſpectant.*

Plures habent de religione controuerſias. Caluinizantes Germaniæ Principes.

In quo

In quibus verbis duo quædam sunt, quæ nos Catholici vltrò nobis à tanto Principe dari gaudemus. Vnum; nostros Catholicos Fœdere suo, in cuius societatem Saxoniæ Electorem nõnulli pertractum volebant, id vnicè spectare, vt pax religionis integrè ac bona fide seruetur: Nam Augustanæ Confessionis articulus Decimus *alter docentes*, hoc est, Zuinglianos siue Caluinistas perspicuè cõdemnat. Iã verò lippi ac tõsores norũt, Pacẽ publico Imperii Decreto anno 1555. Augustæ Vindelicorum non nisi Catholicis & Augustanã Confessionẽ amplectentib. datã esse. Itaq; vel confessionem Princeps hic nnnquã legit, cui tamen subscribere se profitetur: quod ipsum plerisq; omnibus Lutheranis vsuuenire scio, apudquos adeò locũ habet illud Christi verbum: *Vos adoratis quod nescitis*: vel conditiones, quibus Religionis Pax in Germania cõuenit, ignorat: vel deniq; propter Catholicæ religionis odium, cuius iustas se causas habere perperã existimat, Caluinistas, quos ab Augustana Cõfessione cõdemnatos non ignorat, inuito Põtificatorio Edicto, tolerare, ac pacis publicæ beneficio cõmunicare nihil pensi ducit, quod quidem ἦθος & ingeniũ ante hos 1400. annos in Hæreticis Tertullianus sic notauit: *Pacem cum omnibus miscẽt: nihil enim interest illis, licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent.*

Principis Lutherani de bona Catholicorum fide testimonium.

Caluinistas Aug. Confessio condemnat.

Nihil ergò ad illos Pax religionis attinet

Vide infra cap 18.

Hæreticorum Syncretismus de quo vide cap. 146.

Alterum, quo bene idem Princeps de nobis meretur, mihiq; propriè aduersus regem Iacobum aduocationem commodat, illud est, quod non modò Lutheranos á Caluinistis diuersam religionem tueri significat, sed etiam inter Lutheranos ipsos, qui Augustanæ Confessioni etiamnum adhærent, non *de Apicibus & rebus adiaphoris* (quod Rex affirmat) sed de articulis fidei, ac nominatim de vbiquitate corporis Christi controuersias esse apertè testatur

Lutherani non de apicibus sed de Fidei articulis inter se dissentiunt

ſtatur. Quod vtinam tertio quoque beneficio nos deuincire ac docere voluiſſet, quid arguméti habeat, & in quã partẽ non à me (nam neq; me in tantorũ Principũ negotiis curiosũ eſſe par eſt, & ipſos, quid ego infimatũ vnus exiſtimẽ, nõ multũ morari debere vltrò fateor) ſed verò à vobis, Auguſti Principes, ceteriſq; Catholicis imperii Principib. atq; ordinibus accipi debeat, quod Principũ illorum, quos ipſe Calninianam religionem amplexos dicit, pleriq; Lutheranæ fidei Præcones, & nonnullos qua voce, qua ſcriptis acerrimos Caluiniſtarum hoſtes in Aulis ac prouinciis ſuis tolerant. Si enim Lutherana quoque Religione homines ſaluari poſſe exiſtimant, aut vtramque Lutheranam & Caluinianam fidem pariter veram eſſe, aut etiam falſa fide homines ſaluari fateantur, neceſſe eſt. Vtramq; pariter veram eſſe dicere non audebunt, aut ſi dicant, fidẽ non inuenient. nam Fides, quæ ſaluos facit, vna eſt, Epheſ. 4. Et Lutheranæ fidei articulus decimus, Caluinianam, vt falſam, ſiue Hæreticam condemnat. An ergò tam ſunt fatui, vt veræ & apertæ contradictionis vtramq; partem veram eſſe exiſtiment? Et verò ſi Lutherana fides eſt vera, quid attinuit ipſos ab ea diſcedere, & cum offenſione tam Lutheranorũ, quam Catholicorum Caluiniſtas fieri, ac periculũ excidendi beneficio Pacis Lutheranis datæ adire? Sin autem falſa quoque fide ſaluos fieri poſſe credunt, ſanè ferendi non ſunt, qui nullam ob cauſam idoneam tantas in Imperio turbas concitent, neq; in Catholica, quam falſam putãt, Religione maiores ſuos præclariſſimos imitati permaneant. Nos quidem Catholici, ſi quẽquam Lutheranũ aut Caluiniſtam ſaluari poſſe crederemus, ſtatim valere iuſſa auita Religione, ad ipſos commigraremus, ſaltem vt aliquando finem tot tam feralia ac luctuoſa diſſidia accipiant. Sin autem ne ipſi quidem Lutherana fide quenquam

Caluiniani Principes Lutheraniſmum tolerãt.

Aut putant Caluinianã & Lutheranam fidem ſimul eſſe veram

Aut credunt falſa quoque fide homines ſaluari.

omnium saluari credunt, quid est, quod ea subditos suos imbui ferant & Lutheranismi Prædicantes tolerent? Vtrum, quia illos eiicere, & Caluinismum in prouincias suas inducere non possunt, an quia non volunt? Sed prius nequaquam eis affirmare tutum foret. Si enim non possunt, aut Vis aut Ius eos impediat necesse est. Vis adeo nulla est vt vltrò ipsi terrorem aliis denuncient, externis eorum auxiliis freti, cum quibus contra leges ac morem maiorum conspirarunt. Si iure aut Lege prohiberi se dicant, nempe Pacem Religionis nihil ad ipsos pertinere, rectè Catholici contendunt. Sin autem vt eiectis Lutheranis Prædicantibus subditi veram religionem doceantur ac salui fiant, non volunt rursum aut id ad officium suum pertinere putant, aut non putant. Si non putant, vicerunt Catholici, qui non Principibus secularibus, sed Episcopis curam pascendi gregis à Christo commissam, & ab his, non ab illis, rationem animarum exactum iri credunt, Principesque munus Episcoporum inuadentes, *neque per ostium in ouile ingressos pro furibus ac latronibus* habent. Sin autem sui muneris esse putant, subditos in vera fide, quæ sola saluos faciat, erudiendos curare, neque tamen, quin eos Lutherani falsa religione imbuant, cum possint, impediunt: cuiusmodi tandem principes existimari debent?

Caluiniani Principes possunt Lutheranismũ è prouinciis suis eiicere.

Cur non velint id, quod possunt

Sed valere iusso tam diuturno Dilemmatum odio (quo facilè supersederi poterat, nisi vestræ quoque Catholici Principes, existimationis non mediocriter interesset, Fæderis vestri aduersus Caluinistarum molitiones necessitatem & iustitiam tam luculento primarii inter Lutheranos Principis testimonio doceri) ex diuerticulo ad Serenissimum Regem nostrum redeo.

Qui quidem quanta sit Puritanorum cũ Angliæ Caluinistis concordia, ipse viderit. nobis satis est, in Germania aliter, atq; Rex dicit

Quomodo in Rege excusari queat, quod tā apertè verum negarit.

rem habere ostendisse, neque tamen quicquam propterea eum incusamus. quin immò laude prudentis oratoris hanc ipsam ob rem affici me iudice meretur, qui cum Protestantes ad concordiam faciendam & tollenda omnia de fidei articulis dissidia cohortari statuisset, iam initæ concordiæ sublatorumque dissidiorum nomine laudare eos voluerit. *Prodest enim*, ait Cicero, *laudare eum, quem cohorteris* Quod autem id Rex Pag. 138. omnes eos *de Babylone exisse* dicit, qui sese ab Ecclesiæ Romanæ communione abruperunt, eisque cetera discordibus, huius saltem vnius rei consensum gratulandum putat, næ ille prudentia & eruditione sua digniùs censuisset, si eos Babylonem potius venisse, & propter linguarum varietatem, qua cōmunicare alii cū aliis animi sensa prohibentur, turris aduersus Ecclesiam Romanam excitari cœptæ exædificationem frustra moliri dixisset: de quibus Catholicus quiuis Psalmi LIV. cùm votum, tum testimonium rectissimè vsurpauerit: *Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in Ciuitate*. Ceterùm monendus videtur Rex, cum adeò satagat Protestantes diuersis semitis ambulantes congregare, & concordiam ad pestem Ecclesiæ Romanæ comparandam inter eos sancire, vt nec ad humilitatem hominum de Schola descendere, & contentioso libro edolando operam tribuere grauetur, quod minùs ex Maiestate Regia esse neque ipse dissimulat: vt etiam atque etiam videat ne suæ erga nos inuidiæ dicta sint, quæ Isai 57. legimus.

Vtrum Protestantes de Babylone exierint

Hæretici sunt ædificatores turris Babylonicæ.

Regis vanus & irritus conatus in tentanda Protestantium Concordia.

Inuidia Regis erga Catholicos propheticis verbis confutata.

Ornasti te Regi vnguento, & multiplicasti pigmenta tua (*quasi dicat: multis verborum ornamentis Imperatori Caluinismum tuum probare studuisti*) Misisti legatos tuos procul (*qui se dicunt, vt tua causa mentiantur, missos esse*) & humiliata es vsque ad inferos (*Prædicantes quippe & Ludimagistri, à quibus eiusmodi libros scribi æquius fuerat, sunt imi subsellii homines*) In multitudine viæ tuæ laborasti (*vt scilicet omnes, qui Pontificii non sunt, in vnam viam redigas*) non dixisti: Quiescam. Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti me (*quia didicisti literas, adeò vt libros scribere queas, cumq; id facis, te demum viuere & immortalem reddi credis, propterea parum humilitatis habes, neque me, vt veritatem discas, precaris*) Pro quo solicita timuisti? (*id est, frustrà tantum operæ sumis, vt in concordiam Protestantes redigas*) quia mentita es, & mei non es recordata neque cogitasti in corde tuo, *siue quia falsæ religioni patrocinaris, neque eorum, quæ Ecclesiæ meæ promisi, meministi*.

CAP.

POSTREMÒ hinc quoq; non nemo inuidiam in Regem volet quærere, & candorem ipsius vobis suspectum reddere, quod de Catholicorum erga sacram scripturam impietate conqueri audet, quasi eam contumeliosè appellare, aut etiam prorsus supprimere nulla eis esset, aut superioribus saltem sæculis fuisset Religio. Sic enim Scribit. Pag. 79. *Papistæ ad minuendam scripturæ auctoritatem eiusmodi dicterijs vtuntur, Nasus cereus, mortua litera, Lesbia regula, sexcentis alijs, probri & ignominiæ plenis.*] Rursum Pag. 80. *Quid de scripturæ suppressione dicam? quot sæculis populus Christianus in tanta cæcitate & salutaris doctrinæ ignoratione detentus est, cum Laici scripturam attingere (vt quibus hoc interdictum esset) non auderent, maxima pars Clericorum in illius lectione versari aut nollent, aut non possent?*] Postremo Pag. 81. *Quid dico suppressos? imò ad silentium damnatos, vt pro Hæretico combureretur, qui in manus sumere auderet, aut inspicere*] Enimuerò hæc in Rege tolerari non videntur posse, non modò quia si ei probandi, quæ dicit, necessitas contingeret, turpiter obmutescere cogeretur (quo quidem nihil euenire Regi potest turpius) sed etiam quia res ipsa in propatulo posita contrà vociferatur. Quis enim tot antiquos Bibliorum codices, quot passim hodie in Bibliothecis, etiam in Anglia, reperiuntur, tam accuratè descripsit? Papistæ. Quis etiam ante Lutherum Biblia Germanicè vertit, & in vsum indoctorum (nam doctis nullus eorum vsus futurus erat.) Augustæ, Noribergæ, alibi typis imprimenda dedit? Papistæ. Quis non semel Bibliorum in varijs linguis editionem tam ingentibus impensis curauit? Papistæ. Quis Luthero Biblia tradidit, & ijs verbum Dei contineri persuasit? Papistæ. nam ita confitentem ipsum Lutherum supra audiuimus: *Cogimur Papistis multa concedere, quæ vera sunt, in Papatu scilicet esse Dei verbum, Apostolatum, nosq; sacram scripturam ab ipsis accepisse alioquin quid de illa nos sciremus?*] Itaq; quicquid Rex de Biblijs suppressis, de lectione eorum Laicis prohibita, deq; combustis ijs, qui ea tangere & legere fuissent ausi hoc loco tanta cum inuidia commemorat (cùm aliud nihil sit quàm falsum testimonium, propter quod, nisi se non modò vt Regem, sed etiam vt Lutheri, Euangelicos à Decalogi quoq; obseruantia liberantis, discipulum, legibus solutum putat, pænas à sese aliquando expetitum iri meminisse debet, quas propriè ipsi videtur Deus comminari Psalmo 49. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* (quasi dicat: quomodo audes tu in libro tuo scripturas interpretandas suscipere?) *si videbas furem*

Rex sacras literas contumeliosè à Catholicis tractari insimulat.

Sed id nunquã probare poterit.

Catholici quam bene de S. Biblijs meriti.

Lutherus fatetur se à Catholicis Biblia accepisse.

Quæ Rex ab alijs deceptus dicit, sunt falsum testimonium.

(Lutherum, qui ingreſſus non eſt, vt paſtor, in Ouile per oſtium, ſed vt fur & latro aliunde aſcendit) *Currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas* (participem eis te faciebas, *qui ambulant in aſtutia, & adulterant verbum Dei, 2. Cor. 4.*) *ſedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ, ponebas ſcandalum* (falſis criminibus Catholicos onerabas) *Hæc feciſti, & tacui. Propterea exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis. Sed arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*) quicquid igitur hic peccat Rex, nequaquam eò valere debet, vt virtus ejus & candor alijs in rebus, quæ cauſam Religionis non attingunt, propterea in ſuſpicionem vocetur. Feruor enim & Zelus Religionis. quam ex animi ſententia veram eſſe credit, facilè vt ijs, quæ mendacibus auctoribus acceperat, fidem adiungeret, eademq; porro pro explorata & comperta veritate venditaret, perfecit. Itaq; ſicut Zelus eius magnopere ſe nobis probat, qui ex eo, velut ex indole, quantus fidei Catholicæ, ſi quando, quod opto, eam amplectatur, Defenſor futurus ſit, colligimus: ita credulitas ipſius, quodq; parum cauet, ne fictis inimicorum noſtrorum rumoribus decipiatur, excuſationem meretur, noſtram certè miſericordiam potiùs, quàm odium, prouocare debet.

Regi etiam falſum teſtimoniũ dicenti ignoſcendum.

Quia errore peccat. non malitia

Zelus Regis probandus niſi eſſet cæcus.

CAPVT. IX.

CETERUM ſi rationem in conſiliũ parumper adhibere Rex velit, facillimè quanto maiori apud nos honore ſit ſacra ſcriptura, quàm apud ipſum ceteroſq; ſuos participes, perſpiciet. Cum enim firmiſſima fide omnes teneamus, eum ipſius Dei librum eſſe, à Spiritu ſancto ſanctis hominibus, Prophetis, Apoſtolis & Euangeliſtis in ſpiratum, longè eundem auguſtiorem, difficilioremq; eſſe credimus, quàm vt humana eum debilitas aſſequi poſſit, ſi vel omnes, quotquot vniuerſus orbis habet, habuit, aut habiturus eſt ingeniorum accumine & literarum abundantia præcellentes, in vnum conueniant, omnemq; ſuam operam ad explananda & euoluenda myſteriorum eius inuolucra conferant: tametſi multarum rerum geſtarum narrationem hiſtoricam, nec pauca, quæ ad morum emendationem vitamq; rectè inſtituendam pertinent, illa deniq; quæ monſtrant, vnde verus ceterorum, quæ occulta ſunt, & vel fidei myſteria vel rerum futurarum vaticinia continent, peti ſenſus debeat, à nemine, qui modò linguã ſcripturæ non ignorat, non facile intelligi poſſe, adeoq;

Quanti S. ſcriptura fiat á Catholicis.

Putant eſſe intellectu difficillimam:

Quædam tamẽ eſſe ſatis perſpicua

adeoq; diligenter excerpi, & omnibus legenda (ſicut in multis noſtrorum libris factum apparet) rectè proponi confitemur. Itaq; magna cum humilitate in ijs legendis verſamur, neq; nobis tantum arrogamus, vt ſola lectione noſtra, quantumuis accurata, & cum literarum linguarumq; peritia coniuncta, myſteriorum eius intelligentiam conſequi nos confidamus, ſed omninò neceſſarium putamus, vt Deus Spiritus ſui ſancti gratià ſenſus & corda noſtra illuminet, & mentis occulos alioquin ad diuinæ ſapientiæ lucē caligantes aperiat. Eam gratiam precum humilitate, ieiunio, abſtinentia, aliisq; carnis mortificationibus, ſanctorum virorum exemplo, obtineri non diffidimus. Sic Eunuchus Act. 8. non modo ſcripturā vel in itinere diligentiſſimè legit, ſed etiam Hieroſolymam vſq; ex Aethiopia adorandi cauſa venit, neq; tamen quia id faciebat & Hebraicè intelligebat, confeſtim ſe ſcripturam ſatis intelligere ſibi perſuaſit, ſed ignorantiam ſuam quærenti Philippo, vtrum ea, quæ legebat, intelligeret ſimpliciſſima confeſſione ſic ſtatim aperuit: *Et quomodo poſſum intelligere, ſi non aliquis mihi oſtenderit?* Itaq; obtinuit à Deo, quod deſiderabat, vt ſcripturæ ſcilicet abditos ſenſus interpretante Philippo perdiſceret. Similiter Dauid Rex tametſi Hebræus eſſet, nequaquam ſatis habuit Dei verbum *nocturna verſare manu, verſare diurna*, ſed in ſuper donum Intellectus aſſiduis precibus & carnis afflictatione impetrare à Deo conatus eſt, velut hæc ei⁹ verba fidē faciunt: Pſ. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Dilexi legem tuam, tota die meditatio mea eſt. In toto corde meo ſcrutabor mandata tua. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua. Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Pſal. 17. Tu illuminas lucernam meam: Deus meus illumina tenebras meas. Pſal. 68. Operui in ieiunio animam meam. & poſui veſtimentum meum cilicium Pſal. 118. Spes me conſolata eſt in humilitate mea. Humiliatus ſum vſquequaq; Domine. Vide humilitatem meam, & eripe me.*] Similiter Daniel ad impetrandum rerum abditarum intellectum ſe comparare conſueuit, velut Dan. 10. legimus: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neq; vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. Et vidi Angelum, qui dixit ad me: Daniel vir deſideriorum, noli metuere: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei*

Humilitas Catholicorum in legendis S. Bibliis.

Gratiam intelligendi Biblia quib. mediis obtineri putent Catholici.

Quid Dauid ſolitus fuerit facere, vt verbū Dei intelligeret.

Danielis media ad intellectus ſeu ſcientia diuinum conſequendum.

tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni vt doceam te, & annunciem tibi, quod expressum est in scriptura veritatis.] Hoc ergò modo qui se comparant, simulq; ea adhibent, quæ alij prioribus sæculis eadem studendi ratione vsi ex spiritus sancti reuelatione didicerunt, suisq; libris complexi sunt, eos sibi spem adipiscendæ ejusdem gratiæ facere posse credimus, si præsertim aliorum docendorum prouinciam legitimè per impositionem manuum presbyterij susceperint. Itaq; sic Timotheum Paulus monet: *Admoneo te, vt non negligas, sed resuscites gratiam Dei, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij. Attende lectioni, tibi & doctrinæ: insta in illis. Confortare in gratia. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Permane in ijs, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum: & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.*

Quomodo Episcopi & sacerdotes gratiam intelligendi consequantur.

CAPVT. X.

ATQVE hæc nostra est erga sacram scripturam reuerentia: videamus nunc quo in honore apud Lutheranos esse soleat. Primùm nemo est illorum, quin, si modò in vernacula sua lingua eam legerit, sensũ eius se perspicere persuasũ habeat, nullusq; sartor, sutor aut quicumq; opifex, imò ne muliercula quidẽ ulla tam malè de se existimat, vt minùs eam intelligere sibi videatur: Episcopos certè Catholicos cum omnibus nostris Theologis, quamuis Hebraicè & Græcè doctissimis, quin immò tota Concilia iam inde ab Apostolorum temporibus habita, penitus cœcos fuisse, neque scripturæ verum sensum assecutos esse ita credunt, vt de ijs pronunciare nihil dubitent, quod de sanctissimo Nicæno Concilio primo Lutherus: *neminem in eo fuisse, qui vel paululum modò de Spiritu sancto olfecerit*, in Postilla wittemb. dominica prima post Trinit, fol. 114. a. §. 2. qui etiam in genere de omnibus Conciliis ita statuit in libro, *vtrum Papa potestatem habeat confessionem præcipiendi Tom. 7. Ger. witt. fol. 262. b.* Inter maxima Christianitatis mala numeranda est, perniciosissima & abominabilis illa opinio, qua putantur Concilia Spiritum sanctum habere] Itaque non satis probatur ipsi Decretum Concilij Hierosolymitani, cum id Apostoli Act. 15. sic concipiunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis* &c. ac propterea in Commentario illius capitis *Tomo 4. Germ. witt. fol. 553. scribit*: Non sese in Conciliis futurum Spiritus sanctus promisit, sed in cordibus Christia-

Protestantium erga sacras literas reuerentia.

Eas ob omnibus intelligi putant.

Exceptis Catholicis Theologis Hebraicè et Græcè doctissimis.

Lutheri de primo Concilio Nicæno sententia

Item de omnibus conciliis.

Priuatos Lutherus Spiritum sanctum habere ait, nō Concilia.

Christianorum quos nouit.] Sic ergò Spiritu sancto pleni, & velut Lutherus ipse *in Postill. VVitt. Domin. octaua post Trinit. fol. 118. §. 3. & Domin. 10. fol. 130.* §. 2. de nonnullis suis discipulis loquitur, *toti transpiritati, non aliter quàm si Spiritum sanctum totum, quantus est, vna cum plumis & pennis deuorassent*, omnẽ omnium Episcoporũ & Conciliorũ auctoritatem pedibus proterunt, nõ quòd Episcopis & Concilijs loca scripturæ desint, quibus suam sententiam probent (*nam illi æquè ac nos de Deo & verbo eius gloriantur: & pariter vtrimq; scripturas citamus, ac de ijs nobis cõuenit, sed de re ipsa deque sensu longißimè inuicem dißidemus*, ait Lutherus in Comment. Ioh. 16. Tomo 7. Ger. Ien. fol. 179. b. §. 3. *Et de iustificatione quidem innumeræ pæne scripturarum loca contra nostram sententiam Papistæ adducunt, quibus complectendis peculiaris liber conuenit*, ait idem loco supra laudato) sed quod æquius eis videatur, cum vtrimque afferuntur scripturæ verba, vt Episcopi in Concilio cõgregati potiùs priuati cuiusque sententiæ se subijciant, quàm hic illis vel hoc vngue concedat. Ita nempe eos Lutherus instituit in libro, quem inscripsit: *Rationes, cur Ecclesia siue auditorum cœtus potestatem habeat omnes doctrinas iudicandi*, Tomo. 2. Ger. Ienensi: cuius folio 243. b. aut 254. *ita scribit*: Sinimus Episcopos & Concila statuere & decernere, quicquid eis visum fuerit. Sed quando Dei verbum pro nobis habemus, tum penes nos, non penes illos esse debet iudicium veri, ipsique nobis cedere debent, nostrisque verbis obedire.] Sed quibus tandem Lutherani vtuntur Medijs (hoc enim verbo velut hodie trito vti deinceps libet, quamuis Latina non desint, quæ idem significent) ad gratiam Spiritus sancti tam vberem & abundantem consequendam, vt quiuis de medio eorũ plus, quàm omnes eruditissimi & sanctissimi Episcopi in Concilio congregati videre in sacra scriptura poßit? Num vsque adeò attendunt lectioni, aut ea precum humilitate & assiduitate Deum fatigant, aut ieiuniorum deniq; austeritate & victus castigatione tantam sancti Spiritus gratiam Deo extorquent? Haud vidi magis, cum Bibliorum lectionem non alio magis tempore instituere pleriq; omnes soleant, quàm *cum epulis exempta fames mensæq; remotæ*, siue vt Tertulliani verbis vtar, *cùm totum illud domicilium interioris hominis escis stipatum, vinis inundatum, de coquendis iam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo nihil tam in proximo superest, quàm ad lasciuiam sapere.* Ieiunare quidem, humi cubare, cilicio indui, demisso capite ambulare (quibus rebus Achab Rex humilitatem suam Deo testari studuit, itaque probauit, quamuis nulla Idololatriæ pœnitentia ductus, vt placatus

Cur Lutherani Concilia & Papistas contemnant.

Cùm tamẽ Papistæ æque ac ipsi scripturis nitantur.

Imò plures scripturas habeãt, quàm ipsi.

Concilia Lutheranorum iudicio se subijcere debent.

Quia Lutherani scripturas melius intelligunt.

Lutheranorum attentio & assiduitas in legendis Biblijs.

Humilitas, qua Deo places.

placatus Deus diceret Eliæ 3. Reg. 21. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius*) illa igitur tam sunt Lutheranis omnibus inusitata, vt neque ab homine sine naturæ vitæque detrimento, neque ab Euangelico sine officij migratione seu peccato fieri posse existiment. Igitur nullum vnquam Lutheranum vidi, sed neque de vllo, qui ieiunaret aut cilicio indueretur, inaudiui. Vnum tamen excipio *Illustrissimum & Excellentissimum Principem Georgium Fridericum Marchionē Badensem*, quem singulis Sabbatis ieiunare solere cognata eius Illustrissimi Iohannis Georgij Comitis Zollerani Coniux, spectatissimę pietatis femina mihi retulit. A reliquis autem ita viuitur, quemadmodum Lutherus, Musculus & Smidlinus testantur. Luther⁹ *Tomo 2: Gerlen. in sententia de vtraque specie fol. 103. a.* §. 3. *& Tomo 7. Germ. VVitt. fol. 362. b.* §. 3. Volumus nos huiusmodi rebus Euangelicos probare, quod sub vtraque specie communicamus, imagines demolimur & deijcimus, carnes voramus, nihil ieiunamus, nihil oramus, & similibus. Sed fidem & charitatem nemo vult tenere, quæ tamen sola sunt necessaria, illa verò non item. Sed est hæc Diaboli fascinatio, qui tali modo eò ducit homines, vt à Papa deficiant, nec tamen ad Christum adspirent.] *Tomo 3. Germ. Ienen. de vtraque specie fol. 519. a.* §. 2. *& Tomo 4. Germ. VVitt. fol. 382. a.* Hinc fit, quod neque coronas clericales, neque caputia, neque Ieiunia, neque quicquam aliud ex nugis Papistarum tolerare aut obseruare, neque vllam cum ijs communionem habere aut ijs similes esse volumus, sed alacribus animis in despectum eorum committimus & omittimus, quicquid eos vrere ac male habere potest.] *Tomo 6. Latino VVit. in comment. Genes. 29. fol. 401. b. & in Colloq. Isleb. de Fanaticis siue Suermeriis* fol. 356. a. §. 4. *de Christo* fol. 113. a. §. 4. *de mundo* fol. 80. b. *de operibus Dei* fol. 32. a. §. 3. Ego olim in Monachatu longè eram sanctior, quàm nunc sum, quoad externam laruam (*id est, plus lucebant opera mea bona coram hominibus, velut Christus præcipit* Matth. 5.) plus orabam, vigilabam, abstinebam, macerabam carnem meam. Iam vero (*postquam factus sum nouus Euangelista & Apostolus ac tertius Elias, & velut discipulus meus Iacobus Angliæ Rex de me censet Iohanni Baptistæ Secundo Eliæ non dissimilis*) comedo & vestio generali & vsitato modo: nihilq; præcipuum aut singulare in vita mea eminet. Possum iocari, potare, frontem exporrigere, ridere: sum cōmodus & facetus Conuiuator, cumque vnum Biræ siue Ceruisiæ cantharum teneo, statim dolium ipsum totum cōcupisco, sæpiusq; bene bonum haustū facio in Dei gloriam, pro eo itaq;

Nullus Lutheranus ieiunat aut cilicio induitur.

Character siue nota veri Euangelici Lutherani.

Veri Euangelici prorsus nihil cum Catholicis commune habere debent.

Lutherus qualis fuerit in Monachatu.

Qualis idē postquam à Papistis desciuit.

pro eo, quod prius macerabam siue macrum faciebam corpus meum mox cùm mortuus & in capulo repositus fuero, vermibus ventriosum beneq; crassum Doctorem escam dabo.] *Tomo 7. Latino VVittemb. in sermone de abusibus exterminandis fol. 275. b. §. 4.* gloriatur, se multò plus, quàm omnes Principes & Imperatorès, Papatui intulisse damni perpotando cum Collegis Philippo & Ambsdorfio.] Rursum *in comment. Genes. 49. Tomo 6. lat. VVitt. fol. 665.* Ego non possem ferre IAM (*postquam Papista esse desij*) LABORES, vigilias & macerationes illas, quas olim monachus sustinui.] *Tomo 3. Ger. VVitt. parte 2. in comment. Psal. 45. fol. 48. b. §. 3.* Cum adhuc essem monachus, ferè quindecim annos continuos quotidie me occupabam & cruciabam sacrificando, ieiunando, vigilando, orando &c. nec putabam fieri ullo modo posse, vt eam vitæ rationem umquam dediscerem, Iam verò (Deo gratia) probè dedidici.] Eat nunc Rex Iacobus, & de Monachorum Catholicorum *otio ac libidinibus* quærat cui persuadeat, si tamen vllum, cui sanum sit sinciput, inuenire potest, qui plus Regi, quàm Luthero, Monacho, de Monachorum vita credendum putet. Sanè nisi Lutherum mendatij suspectum reddere, seq; mendacis magistri discipulum videri velit, deleat censeo, & de libro suo circum scribat verba hæc, quæ pag. 93. leguntur : *Fornicatio carnalis apud Papistas frequentior est, tam propter matrimonium Clericis interdictum, quam propter tot OTIOSORVM Monachorum ac sanctimonialium greges. Otium enim esse maximum incitamentum atque illecebram libidinis, usus vitæ quotidianæ docet.*] Quàm frequens inter Lutheranos sit fornicatio, saltem in Germania (nam de Anglis, imò Angelis, qui neq; nubunt, neq; nubuntur, vel minimum suspicari nefas esse aiunt, qui omnia istic scortis & adulteris, si superis placet, vacare affirmant) negat Musculus in libro supracitato *de Nouissima die* fol. 78. b. *necessarium esse vèrba fieri, cum ipsa res satis loquatur.* Sed Erasmus Sarcerius magnus in Lutheri patria superintendens in libro *de Disciplina* Islebiæ edito apud Vrbanum Gaubisch non potuit, quin etiam ingenti conuicio Fornicationes Lutheranorum contestaretur. Folio quidem 39. b. legimus : Fieri omninò necesse est, vt Libidines inter nos vigeant, cum Fornicatio & Adulterium vix iam pro peccatis habeantur (*Didicimus quippe à Luthero, nullum in mundo esse peccatum aliud, quã Incredulitatem, imò vero neminem saluari, qui non bene magnum Catalogum adulterijs, alysq; atrocibus peccatis compleuerit, velut suprà cap. 2. Lutheri verba in eam sententiam recitaui*) cùm etiã tam multa passim habeamus libi-

F dinis in

Lutherus quam potens fuerit in bibendo.

Lutheri adhuc Monachi quotidiana opera.

Lutherus ipse Regis testimonium reuincit.

Aut Rex est mẽdacis magistri discipulus.

Aut iniuriam Monachis factã tenetur recantare.

De Lutheranorum fornicationibus testimonium Musculi,

Et Sarcerii.

Incitamenta libidinis apud Lutheranos,

dinis incitamenta. Crapulantur enim & compotant quà senes, quà iuuenes: exiliunt, saltant, molles ac turpes choreas agitant &c.] *Et fol. 40.* Apud priscos Germanos rarissimé auditum fuit Adulterium: Sed quid nunc inter nos eo est frequentius? quod peccatum hodie maiora sumit incrementa? quin imò pro ludo & ioco habetur tæterrimum adulterij vitium, fitq; persæpe, vt Adulteri maiore sint honore, quàm homines verecundi & honesti.]

Adulteria inter Lutheranos frequentia.

CAPVT XI.

Vbi reperiantur magis otiosi homines.

QVOD si Rex scire velit, vbi reuera OTIVM hominibus libidini sit illecebra (nam Monachos ea suspicione & insimulatione ipsius Lutheri testimonium absoluisse debet) in eundem scriptorem suum Lutherum intueatur censeo, qui non putauit sibi committendū, vt eius cùm *examen conscientiæ*, tum iterata sæpius *confessio* nobis lateret. *In Colloquijs Islebiensibus de Creatione fol.* 70. a. §. s. ita secum actæ diei rationes subducit: *Quid hac tota die egi? Duabus horis hic cacaui, tribus horis cibum sumpsi, tum quatuor horas* OTIOSVS *exegi.*] Puto reliquas tres horas diurnas legendis Biblijs eum occupasse. Nam noctu nihil studere solitum, non ex eo tantùm colligo, quod Catharinæ suæ maritale debitum exigenti lentum nomen esse minimè voluerit, sed etiam quia se fatetur diuino præcepto tam ad nocturnam quietem, quam ad diurnos labores teneri, *In ijsdem Colloquijs de Tentationibus* fol. 286. In eandem sententiam pro se suisq; discipulis confitetur in Colloquijs eisdem *de Fanaticis* fol. 356. a. §. 2. Ego non ita sum affectus, vt Papæ causa meum OTIVM, cibum ac potum, & recreationem velim corrumpere] Et in Colloquiis *de Creatione* fol. 59. b. §. 5. Nos voramus ad mortem, potamus ad mortem, voramus & potamus ad egestatem & ad infernum, cacamus deniq; ad mortem.] Et in Colloquiis *de Mundo* fol. 70 a. §. 5. Voramus & potamus ad mortem, dormimus, visimus, pedimus ad mortem] *Tomo 1. Epist. latin. Ienæ editar. fol.* 334. Insensatus & (*ex tentigine scilicet*) induratus hic sedeo in OTIO, parùm orans nihil gemens pro Ecclesia Dei: quin carnis meæ indomitæ vror magnis ignibus: summa, qui feruere spiritu debeo, ferueo carne, LIBIDINE, PIGRTIA, OTIO, somnolentia. Octo iam dies sunt quod nihil scribo, neq; ORO, neque studeo.] Sed neque quo pacto tantum carnis feruorem ex OTIO & satietate exortum,

Lutheri examē conscientiæ.

Nocturna Lutheri opera, coire & dormire.

Lutherus quam amans otii sui fuerit.

Lutheranorum mortificationes.

Lutheri assidua & feruens deuotio.

Totis octo diebus nihil orabat

exortum, restinguendum putaret, nos cælare voluit. Nam in iisdem Colloquiis *de Coniugio* fol. 411. multum ridet SS. Hieronymi, Benedicti, Bernardi & Francisci stoliditatem, qui carnis feruorem precibus, ieiunio, aliisque violentis corporis afflictionibus restinguere tam vehementer laborarint, cùm tamen longe facilior restinguendi ratio in promptu sit, *modo ne puellæ mulieresq. desint: nam mulierculam domesticam præsentissimum esse huic morbo remedium, & verum tali vlceri emplastrum, ac propterea puellam id habere, quo puella est, vt amicum iuuet*, velut ibidem fol. 396. 389. & 410. b. legimus. Quod si nunc Lutherus, in quem omnes Imperii Electores ac Principes, concordiæ libro subscripti, hoc elogium consentiunt: *singularibus & Excellentissimis Spiritus sancti donis illuminatum, Heroa & virum præstantissimum summaq. pietate præditum fuisse, ac futura quoq. in Spiritu præuidisse.* (Edit. Lips. latin. Anno 1580. fol. 699. §. 3. & in Præfat.) quem Ambsdorfius *sanctum hominem Dei, verumq. tertium ac postremum Eliam* vocat: quem Cyriacus Spangenbergius Christo & Paulo proximum adiungere hoc suo disticho ausus est:

Carnis feruorē quomodo restinguant Papistæ.

Quomodo Lutherani.

Protestantium Principum de Luthero elogiū.

Christus habet primas, habeas tibi Paule secundas:
Sed loca post illos tertia Luther habet.

cui Caluinus in Institutionibus in libris aduersus Vuestfalum, aduersus Pighium, & de reformandæ Ecclesiæ ratione hæc vltro impertitur elogia, fuisse *eximium & præclarum Dei seruum, & fidelem Ecclesiæ Doctorem, imò Euangelistam, Apostolum, sanctum & magnum Dei Prophetam, qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reduxerit, per cuius os Deus fulminauerit*: quem Beza in Iconibus, in responsione ad repet. Sainctesii, in libro de pæna Hæreticorum, *fortissimum Heroa* fuisse dicit, *toto ore diuinitus inspiratum, eximium Dei Organum, seruum Domini & quidem eximium ac valde excellentem, virum admirandum in diebus nostris, in quo qui Spiritum Dei non sentiat, eum nihil sentire.*] Si ergò Lutherus non aliter ad Spiritus Sancti gratiam impetrandam se comparare fuit solitus, quid de cæteris Lutheranis multò scilicet Luthero inferioribus existimandum sit, nemini non iudicare promptum est. Ieiuniorum quidem quàm amantes sint, præter ea, quæ diximus, ex Musculi quoq; testimonio disci potest, qui in libro *de Abusu Sacramenti* cap. 14. ita scribit: De Ieiunio, ne operam ludam, chartamq; & atramentum perdam, nihil dicere constitui, similiterq; ceteris, ne frustrà operam collocent, tacendum censeo.

Caluini de Luthero iudicium.

Item Beza.

Lutheranorum ieiunia.

censeo. Nihil de Ieiunio Germanis (*hoc est, Lutheranis*) curæ est, sed de SOLA (*non Fide, sed*) helluatione atq; crapula. Qui de Ieiunio mentionem inijcere audet, tametsi solidis & irrefragabilibus scripturæ fundamentis nitatur, eum confestim Papistam, vel etiam Hæreticum esse oportet] Idem Smidlinus *in quinta sua de Planetis concione* fol. 191. testatur: Postquam, *inquit* audiuimus (*nempe ex Luthero nostro*) Papistico more ieiunare nec opus bonum esse, nec Deo placere, statim NOS, hoc est, MAIOR PARS simul cum abusu verum Ieiunij vsum sustulimus, & Ieiunij loco conuiuia sumptuosa & compotationes instituimus, adeoq; res redijt, vt qui ad suadendum Christianum Ieiunium verba contulerit, reuertendi ad Papatum hominibus auctor esse videatur] De precum porrò feruore & assiduitate quamq; demisse & humiliter, Dauidis scilicet exemplo, gratiam luminis & Intellectus petere à Deo Lutherani soleant, facillimè collegerit, qui quæ ipsis huius rei præcepta Lutherus dederit, non ignorat. Primum iubentur breues esse in orando, nec idem sæpius à Deo petere, ne de ipsius prompta iuuandi voluntate diffidentium speciē præbeant: deinde vel oris habitu, gestuq; corporis spem exploratā impetrandæ rei præ se ferre: postremùm preces ipsas diris & exsecrationibus miscere. Hæc enim sunt Lutheri verba *in Postilla Wittemb. in Euangelij explanatione de diuite epulone & Lazaro* fol. 92. a. §. 2. Promisit Deus, se preces nostras exauditurum. Postquam ergo semèl iterumq; oraueris, te exauditum esse credere, neq; plus deinceps orare debes, ne Deum tentes eiusq; audiendi patientia abutaris] *Tomo 2. Ger. Ien. in Epistola ad Baronem de Starenberg fol. 459.* Si pro eadem re sæpius oremus, nempe parum nos Deo credere significamus, adeoq; incredula oratione nostra magis etiam Deum offendimus. Nam quid hoc aliud est, cùm idem peto sæpiùs, quàm quod in prioribus orationibus nō fuerim exauditus, & ita contra promissiones Dei orauerim ?] *Tomo 4. Ger. Ien. de bello Antiturcico fol. 435. a. & Tomo 2. Ger. Witt. fol. 540. b. §. 2.* docet, non multis verbis cum Deo agi debere, sed breues eiusmodi formulas sufficere: O iuua nos Deus pater: Miserere nostri Domine Iesu et.] *In Postilla Witt. fol. 62. b.* In Papatu omnes iam Concionatores stolidè occupantur in docenda ratione, quomodo uia Domini præparanda sit orationibus, ieiunijs, corporis afflictionibus. Sed spiritualis sit oportet præparatio, quæ in eo consistit, vt agnoscas et fatearis, te tuaq; opera omnia nihil esse. Hoc demū verè est via Domino præparare, tametsi interea nihil faceres quā creticū vinū biberes, per rosas incederes

Lutheranorum in orando ratio.

Sunt breues, nec idem sæpius precantur.

Qui multum orat, Deum tētat.

Qui sæpe orat. non credit.

Quomodo Papistæ viam Domini parare soleāt.

Quomodo Lutherani.

incederes, neque verbum vllum orares.] *Tomo 2. Germ. VVitt. de oratione aduersus Turcas fol. 475.* Oraturus memento vt audacter & fronte perfricta siue adstes, siue genua flectas, hocque modo Deum appelles: Domine Deus, rogo, vtque annuas volo, vt Ita & Amen esse debeat & oporteat: Sic, inquam, & non aliter: alioquin neque te oro, neque oratum volo.] *Tomo 4. Germ. VVitt, in Comment. Matth. 5 fol. 37.* Nemo Pater noster rectè precari potest, quin simul diras & execrationes admisceat. Nam Pater noster sine diris & execrationibus rectè non oratur] sic ergò nihil mirum est, quod apud ipsos tandem orationis locum Diræ, blasphemię & exsecrationes occuparunt, velut Smidlinus testatur *in quarta concione de Planetis fol. 141.* Nulla apud nostros Euangelicos morum emendatio conspicitur, sed turpis, bestialis & Epicuræa vita, crapula, vsura, superbia, blasphemia diuinique nominis profanatio: vtque totus mundus videat, eos Papistas non esse, neque bonis operibus fidere, nullum bonum opus faciunt penitus. In loco Ieiunij, dies noctesque potant. Pro Precibus, diris alios deuouent & execrantur, ipsumque Dei nomen tam indignè blasphemant, vt ne apud Turcas quidam talia audiantur. Atque hæc omnia oportet esse Euangelica, & audent adhuc miseri sibi persuadere, se bonam fidem erga Deum in cordibus suis habere, Deum sibi propitium, seque Idololatricis istis Papistis haud paulò meliores esse.

Lutheranorum gestus & humilitas in orando.

Lutherani orare non possunt sine diris & execrationibus.

Quomodo Lutherani ostendunt se non esse Papistas.

Euangelicorum magna fides.

CAPVT. XII.

ATQVE huiusmodi ferè sunt Media, quibus Lutherani Spiritus sancti gratiam ad intelligendam scripturam consequi se longè habēt persuasissimū, vt iam quod supra dixi, longè maiore honore ac reuerentia à nobis, quàm ab ipsis, sacram scripturam affici solere, ne Rex quidem deinceps dubium sit habiturus. Neque verò ei illuc confugere est integrum, vt qua animorum præparatione ceteri ad tractanda S. Biblia accedant, nullam in partem sua interesse contendat. Cùm enim sese in Lutheranismo à puero altum & educatum fuisse fateatur, negare certè non potest, se in omnibus fidei articulis, de quibus nobiscum dissentit, non eas scripturæ interpretationes, quas ipse suo Marte inuenerit, sed quas eius Præceptores & Concionatores ex Lutheri, eiusue discipulorum libris, Lutherus porrò, vt supra docui, ex ipsius Satanæ reuelatione primùm acceperat, pro veris & à Spiritu sancto inspiratis amplecti. Sed etiamsi ei hoc largiamur & concedamus

Rex Anglus est Lutheri discipulus, velit, nolit.

mus, longè maiori religione, animi ſubmiſſione & reuerentia eum ad ſacrorum voluminum lectionem, quàm ceteros Lutheranos, accedere ſolere, adhuc tamen valdè ſe ipſum amet oportet, ſi tam *Aucupio* deditus, quàm ipſius aduerſus Bellarminum verba declarant, repentè aduolaturam ſibi Spiritus ſancti gratiam putat, quam tot millia Epiſcoporum & Theologorum noſtrorum omnem vitam in voluendis S. Bibliis eorumque ſanctiſſimis & eruditiſſimis, qui vnquam fuerunt, Interpretibus conſumentium, neq; precum aſsiduarum, cilicij, ieiunijq; humilitate impetrare queant. Si putat Rex, Spiritũ ſanctum ex eo auium genere eſſe, cui rete tendi, quodque Aucupio regio in poteſtatem redigi queat, næ ille multum fallitur, habetque quod eum quantum in aucupio profecerit, pœniteat, quippe qui *Columbam illam* ſolis Presbyterij manibus certò capi, quod nos ſupra S. Pauli maximi ex hac nota Aucupis, ad Timotheũ verbis docuimus, nondũ didicerit. Verum enimuerò non ex præparatione tantũ, qua Lutheranos vti ſolere oſtendimus, ſed ex ipſa quoq; lectione & S. Bibliorũ vſu, quàm parùm præ nobis Sacræ ſcripturæ reuerentes ſint, apparet. qua de re rurſum nullius magis, quàm ipſius Lutheri, cum exemplo, tum teſtimonio ab omnibus rectè credi exiſtimamus. Primùm de ſe ſuiſq; diſcipulis *in Colloquiis Iſlebienſibus de verbo Dei fol. 22. b. & 23.* ita confitetur: Sectæ hinc naſcũtur, quod ſcriptura cogitur vnicuiuſq; arrogantiæ, perſuaſioni, petulantiæ & præſumptioni ſubiecta eſſe, & pati vt eam quiſque pro libitu ſuo in ordinẽ redigat, TORQVEAT & interpretetur. A nobis quidem contemnitur, in ordinem cogitur, adulteratur, irridetur & exagitatur.] Ac ne quis eum more Prophetarũ, ſe quamuis innoxios in peccatorũ confeſsione cum alijs coniungentium, non tam ſuũ hic, quàm aliorũ peccatũ confiteri exiſtimet, multis paſsim documentis, quã ab huiuſmodi Societate excludi nequeat, nobis probauit. Quid enim eſt verbũ Dei cõtemnere, ſi hoc non eſt, quod S. Biblia vocat *librum Hæreticorũ, & fontẽ, ac ſcaturiginẽ omnium Hæreſeon*, quia nimirũ ab omnibus Hæreticis, velut *Naſeus cereus*, in quã volunt partẽ duci ſoleat? *In Colloquiis Iſleb. de Fanaticis* fol. 369. a. Tollantur de medio Decẽ præcepta Dei, & ceſſabunt omnes hæreſes. Nam Decẽ præcepta ſunt fons, ex quo velut ex ſcaturigine Hæreſes omnes emanant. Nam ſacra ſcriptura eſt omniũ Hæreticorũ liber.] Ita etiam *in Poſtilla Vitt. in 2. Conc. Octauæ Dominicæ poſt Trinit. fol. 118. b.* Verum eſt, quod ſacra ſcriptura ſit liber Hæreticorũ, quia Hęretici plurimũ ad eum librum prouocare ſolent, neq; vlla vnquã Hęreſis tam peſtifera tamq; inſulſa exorta

Rex tam Aucupio deditus quibus mediis ſcriptura intelligẽtiam conſequatur.

Spiritus ſanctus nõ eſt auis, quæ ab aucupibus capi queat.

Quàm contumelioſè Lutherani ſcripturas tractent.

Lutheri contẽptus S. Bibliorum.

Vocat ea librũ Hæreticorum.

exorta est, quæ non scripturæ velo se occultare conaretur] Non minorem scripturæ cõtemptum præferunt verba illa, quæ iam supra citauimus, quibus vti Lutheranos iubet, cùm eis Catholici tam multa scripturæ loca pro necessitate bonorũ operũ obijciunt, vt scilicet dicant: *Nihil curo omnia scripturæ dicta, etiamsi eis adhuc plura afferres. Ego cum Christo sentio, & scio eum nihil mihi mẽtiri.* quo nõ obscurè fatetur, putare se, quod scripturæ mentiri possint. In quã sententiã quoq; scribit, *quod Apostoli errare & falsum docere potuerint*, *adeoq; ipsimet de veritate doctrinæ suæ quotidie dubitarint*, vt videre est in Colloquiis Isleb. *de Christo* fol. 96. §. 3. *In Cõcione funebri Electoris* Tom. 1. Ger. witt. parte 2, fol. 190. b. §. 2. & Tom. 5. Ien. fol. 500. §. 1. In colloquiis *de Spiritu sancto* fol. 125. a. §. 6. Et *de Tentationib. fidei* fol. 288. b. & in libro *de Missa angulari* Tom. 6. Germ. Ien. fol. 86. b. & Tom. 7. Germ. witt. fol. 483. b. §. 3. Quid porrò est *Adulterare* scripturam, si hoc non est, quod vt verbi gratia paucula adducam, quo iam ante 1300. annos Ecclesia gladio longe fidissimo & efficacissimo Arianos & Antitrinitarios iugulare fuit solita, eum nobis de manibus extorquere conatus est, cùm hæc 1. Ioh. 5. verb. ex Bibliis eiecit: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*] Similiter ne Christi diuinitatem aduersus Iudæos asserere possemus, locum hunc Isai. 9. intolerabili malitia adulterauit: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, DEVS, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.*] Vocabulum quippe DEVS fraudulentè suppressit. Ita neque hæc verba in Bibliis suis reddidit Marci. 11. *Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.*] Similiter in loco illo 2. Petri 1. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem vestram faciatis*] hæc tria verba. *Per bona opera*, dolosè extriuit, quod ijs, quemadmodum & proximo Marci loco suum primarium Articulum euerti sciret, quo docet, qui tantum credat, eum non posse damnari, si vel maximè non dimittendo aliis peccata & nulla bona, omnia autem mala opera faciendo damnari velit. Atq; hæc ipsa causa eum impulit, vt locum Rom. 3. adulteraret: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sinè operibus legis*] Nam Biblia eius dicunt *Per solam fidem.* Cumque postea hanc eius fraudem Catholici notassent, fidem Poëtæ verbis hisce fecit: *--nihil est audacius illis Deprensis, iram atque animos à crimine sumunt.* Nam in Epistola *de Sanctorum intercessionibus* Tomo 5. Germ. Ien. fol. 141. a. §. 2. & Tomo 4. Germ. witt. fol. 475.

Lutherani putant S. Biblia posse mentiri. Et Apostolos falsum docere potuisse.

Lutherus quomodo scripturas adulterarit.

Lutherus quomodo Bibliorũ corruptelam tueatur.

475. b. ita inſanit : Si Papiſta veſter multa vult expoſtulare propter verbum SOLAM, confeſtim ei dicito : Doctor Martinus Luther vult ſic habere, & dicit, Papiſtam & Aſinum eſſe rem eandem. Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas. Sum quippe Doctor Doctorum omnium in toto Papatu. Valde bene ſciui, quod in Græco & Latino textu vox *ſolam* non reperiatur, & nihil attinuit, id me à Papiſtis moneri. Pœnitet iam me, quod non ſimiliter addiderim voces, *omnibus* & *omnis*, hoc modo: *Arbitramur iuſtificari hominem per ſolam fidem ſine omnibus operibus, omnis legis* : vt tanto plenius rotundiusque expreſſum eſſet, neque mihi Papiſtæ, ſi vel ad inſaniam redigerentur, ea rurſum ex Bibliis meis eximerent.]

CAPVT XIII.

IAM quid eſt *contemnere, in ordinem cogere , & arrogantiæ ac libidini ſuæ ſubijcere*, ſi hoc non eſt, quod librum Iudith , quem vt S. Hieronymus in eius libri præfatione teſtatur, Nicæni Concilij Patres pro Canonico habuerunt, ex Canone Lutherus eijcit, neque inter libros plenæ auctoritatis numerat. Et quamuis Rex ſatis eum excuſatum putet, propterea quod eum librum ſimul cum ceteris Hagiographis in Bibliis ſuis reliquerit , intelligentibus tamen adeò factum Lutheri non probat, vt ſe ipſum ſimul deridendum præbeat. Quid enim refert, librum illum in Bibliis Lutheri legi , cùm de eo in præfatione Lutherus ita cenſeat: *Si narratio Iudith ex locupletibus, certis & probatis Hiſtoriis confirmari poſſet, ſane peregregius foret liber, qui merito in Bibliis contineri deberet. Sed difficulter id tolerari poteſt &c.* Addit præterea, ſibi videri eſſe Drama aut Fabulam , inſtar Comediæ ab egregio aliquo Poëta fictam: quod idem de *Tobiæ* libro ſibi videri teſtatur. De Prophetia *Baruch*. quam ante 1400. annos, vt ſcripturam diuinam, ad fidem faciendam Clemens Alexandrinus, tum etiam SS. Cyprianus, Hilarius, Cyrillus, Ambroſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Theodoretus, Euſebius, alij modò Ieremiæ, modò ipſius Baruch nomine citarunt, ita in præfatione Lutherus cenſet, vt librum *minimè magni pretij eſſe* dicat, *nihilque propius fuiſſe factum , quàm vt idem ei faceret , quod tertio & quarto libro Eſdræ fecit, quos quia cum Æſopi fabulis nequaquam comparandi ſint, noluit interpretationis ſuæ opera dignari, neque in Biblia ſua referre* Quod ſi ergò iam ex ſinu diuitis Epulonis commeatu accepto ad nos rediret, & Apologiam Regis noſtri videret , cuius frontiſpicio Regem

Lutheri de libro Iudith cenſura.

Et de Prophetia Baruch,

Deque libris Eſdræ:

hæc

hæc 3. Esdræ 4. verba præscribere nihil puduit: *Omnes populi clamauerunt & dixerunt: Magna est veritas & præualet*: aut omnia me fallunt, aut eum huius discipuli, tametsi Regis, multum puderet, qui quidem non Æsopo potiùs, quàm Esdræ libro, honorem tantum habere voluerit. Iam de Epistola *ad Hebræos* hanc contumeliosissimam dicit sententiam, *eam nihil nisi lignum, fœnum & stipulas fidei fundamento superædificare, neque Apostolicis Epistolis parem censeri posse*. S. Iacobi Epistola ipso iudice est *straminea, nullamque penitus Euangelicam habet indolem*. S. Iudæ Epistola est *inanis & superuacua*. De Apocalypsi in veterioribus Bibliorum Lutheri editionibus huiusmodi censuram legimus: De Apocalypsi non impedio, quo minùs quisque sentiat, quod ei bonum atque commodum videtur, neque meo iudicio ceteros obligare volo. Tantum dicam, quod ego sentio. Non pauca igitur sunt, quæ in eo libro desidero, vt neque pro Prophetico, neq; pro Apostolico habere possim. Primùm omnium & potentissimum est, quod Apostoli non occupentur visionibus, sed claris perspicuisque verbis vaticinentur, sicut Petrus, Paulus, etiam Christus in Euangelio, faciunt. nam & Apostolico officio conuenit, perspicuè, sine imagine aut visione de Christo eiusque factis loqui. quin imò neque Prophetarum quisquam est in veteri, nedum in nouo Testamento, qui sic ex toto visionibus agat, vt propemodum nihilo melior mihi videatur quarto Esdræ libro (*in quo nihil prorsùs est, quin eo meliora in Æsopo, vel etiam in libris adhuc vilioribus inueniri queant, vt ait in Præfatione Baruch*) neque quicquam cùm in omnes me partes verto inueniam, cur à Spiritu sancto profectum credam. Præterea in eo intemperans atque immodicus videtur, quod plus quàm alij libri Sancti, in quibus multò maius est momentum, suum hunc librum commendat, minaturque si quis de illo diminuerit, futurum vt auferat Deus partem eius de libro vitæ: rursum beatos fore, qui seruent verba prophetiæ huius, cùm tamen NEMO SCIAT, quid sibi velit, nedum vt eam seruet, vt iam perinde sit, ac si eam penitùs non haberemus: cumque multò nobiliores habeamus libros, qui seruari debent. Multi quoque Patrum hunc librum olim reiecerunt, tametsi S. Hieronymus mirificis eum laudibus tollit, aitque *omnem laudem merito eius inferiorem esse, totq; habere, eum sacramenta, quot verba*. Sed hoc tamen verum probare nequit, & aliàs sæpe laudationũ suarum modũ non habet. Postremò tanti quisq; faciat, licet quantũ ei Spiritus suus dictabit. Meus quidem Spiritus in eo acquiesce-

Ex quibus tamen Rex testimonia citare nõ dubitat.

Lutheri de Epistola ad Hebræos censura.

De epistola S: Iacobi.

Et S. Iudæ.

Et de Apocalypsi.

Atqui sunt Patres, qui ante 1500. annos eum pro Apostolico habuerunt, cum quibus Concilia faciunt.

Lutheranorum potestas de libris scripturæ iudicandi.

quiescere non potest. Atq: hoc mihi causæ satis est, cur non sanè magni eum faciã, quòd in eo Christus neq; docetur, neq; agnoscitur, quod tamen ante omnia facere Apostolus debet, sicut ipse Christus iussit Act. 1. *Eritis mihi testes.* Quare in illis libris ac quiesco, qui mihi Christum perspicuè pureque tradant.] Hactenus Lutherus.

Hoc loco vix temperabunt, scio, Regis fugitiui quoniam Rex in Apologia Dilemmate magis, quàm aliis argumentandi formis vti se ostendit, ne scilicet eius, cuius se Vicarium vocat, Christi Dialecticam spernere videatur, quin tale Dilemma Regi mittant muneri:

Serenissime Rex,

Aut Spiritus mendacij, aut Spiritus veritatis Lutheri mentem & manum rexit, cùm eum in Apocalypsi non siuit acquiescere, sed tam ignominiosè librum hunc tractare, & eius auctoritatem cuiuis priuato subijcere iussit.

Si eum rexit Spiritus mendacij, fuit Satanæ Apostolus & impostor, eiusque doctrina mendax: Maiestas autem tua, quæ Lutherum suum scriptorem *vocat, eiusque doctrinam cum ceteris Protestantibus sequi se profitetur, non dehinc* Fidei, *sed Perfidiæ & Hæreseos* Defensor *rectè censebitur.*

Sin autem Spiritus veritatis; oportet vt hoc Lutheri iudicium de Apocalypsi verum sit. Et sic Apocalypsis non erit scriptum Propheticum aut Apostolicum, neque omninò à Spiritu sancto profectum, sed eiusdem pretij ac Æsopi fabellæ: NEMO etiam erit, qui quid sibi velit, intelligat. Magno ergò conatu Maiestas tua magnas nugas dixit, neque librum suum ab omnibus ferè Catholicis Regibus ac Principibus non sine irrisione & contumelia reijci, neque ad cognitionem admitti ferre indignè debet. Cui enim bono legerent huiusmodi librum, qui propè totus in Apocalypsi interpretanda occupatur? Turpe est difficiles habere nugas, & stultus labor est ineptiarum. *Itaque iam omnes malent, vt vel in illo patente Purgatorij campo M.tæ T. aucupio det operam, quàm eiusmodi sibi studia proponat.*

Quid

Quid Regis ſcutigeruli,quorum ille terrorem ſuis cenſoribus denunciat,huic Dilemmati reponant. ipſi viderint. Mihi quidem argumentis viciſſe ſat eſt,contemptũ S. Bibliorum non apud nos,(qui nequaquam priuati cuiusq; Spiritui, imò nec totius Eccleſiæ iudicio libros ſacros ſubijcimus, tantùm Eccleſiæ teſtimonium de illis recipimus) ſed apud illos ipſos Regis participes reperiri.

CAPVT XIV.

VT autem quod dixi multò adhuc fiat manifeſtius,& omne prorſus hac de re dubium & incertum diſcutiat, ſubijciam hoc loco verba Lutheri ex Præfatione,quã veteriores Noui Teſtamenti editiones præferunt.Ex his,*inquit*,iudiciũ de ſcripturę libris ferre,quiq; eorum ceteris præſtent, diſcernere potes. Nimirum Iohannis Euangelium & Pauli Epiſtolæ,in primis quæ eſt ad Romanos, Petri denique Epiſtola prior, verus demũ nucleus ſunt ac medulla præ omnibus libris,ac propterea primum tenere locũ meritò deberent. Suaſerim igitur vnicuiq; Chriſtiano, vt illos primùm omniũ & plurimùm legat, & quotidiana lectione tã familiares ſibi reddat, quàm eſt panis quotidianus. In his enim non multum audis de Chriſti operibus & miraculis,ſed graphicè ſcriptũ legis, quomodo Fides in Chriſtũ cum peccato ſimul mortẽ & infernum vincat,vitamque, iuſtitiã & ſalutẽ tribuat,quæ vera demũ Euangelij natura eſt. Si enim alterutro carendũ eſſet,vel operibus,vel verbis Chriſti,modis omnibus mallem Chriſti factis,quàm verbis priuari. Nihil enim mihi facta eius proſunt,ſed verba dant vitam. Quoniam igitur Iohãnes perparũ de Chriſti operibus,plurimum verò de cõcionibus eius ſcribit, ſicut viciſſim ceteri tres Euangeliſtæ plus in eius operibus, quàm verbis ſcribendis occupantur: propterea *Iohannis Euangeliũ eſt ſolum verum & præcipuũ Euangeliũ*,ceteris tribus longè longeq; ad honorẽ anteferendum. Ita etiam S. Pauli & Petri epiſtolę multũ Matthæi, Marci & Lucę Euangelijs pręſtant. Summa,S. Iohannis Euangelium & prima epiſtolarum, Epiſtolæ S. Pauli,in primiſque Romanis, Galatis & Epheſiis ſcriptæ, tum prior S. Petri epiſtola,eiuſmodi ſunt libri, qui tibi Chriſtum intento velut digito demonſtrent,omniaq; te doceant,quæ ſcitu ſunt ad ſalutem neceſſaria, tametſi nullum alium neque librum, neque doctrinam videas ſiue audias.]

Lutheri de libris noui Teſtamenti cenſura.

Chriſti facta nihil prodeſſe Lutherus ait.

—Dei hominumque fidem? Si quis hæc talia Pontifex vmquam

scribere fuisset ausus, quas non historias Regis, omniumque Lutheranorum porrecto iugulo audire cogeretur? quantũ ei & quã assiduum à cunctis conuicium fieret? quæ enim hæc Luciferiana est superbia & audacia, cum opera & facta Christi tam contemptim conterere & proculcare, tum odiosissima diuinorum librorum inter se comparatione illud agere, vt maior eorum pars vix lectione digna iudicetur? quæ ista tam inauditæ impietatis vox aures nostras accidit, nihil nobis opera, facta & signa Christi prodesse? An igitur hoc nihil est, quod fidem in nobis excitant? quod Christo diuinitatis testimonium præbent? sicut ipse Iohannes testatur, ideò signa quę Christus fecerit, perscripta esse, *vt credamus Iesum esse Christum, & vt hoc credentes vitam habeamus*: Ioh. 20. quam etiam ob rem Christus ad opera sua Iudæos prouocabat Ioh. 10. *Opera, quæ facio, testimonium perhibent de me*. Et nihil tandẽ est, quod quæ Christus fecit & passus est, non modò erga ipsum salutis nostræ auctorem charitate nos inflammant, sed etiam, quales alij erga alios esse debeamus, nobis præmonstrant? *Exemplũ dedi vobis*, inquit Ioh. 13. *vt quemadmodũ ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Sed nihilo minoris impietatis est, Apostolos & Euangelistas inter se cõmittere, & tanquã reliqui non ęquè Spiritu sancto inspirante scripserint, eos nullo pæne numero putare. quãto aliter Paulus? qui omnes, etiam veteris Testamẽti libros, velut eodem auctore Spiritu Dei scriptos, pari laude afficit, nec alios alijs longe longeq; præfert. *Ab infantia* (inquit 2. Tim. 3.) *sacras literas nosti*, (nempe veteris Testamenti libros) *quæ te possunt instruere ad salutẽ per fidẽ in Christum. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata* (non tantùm Euangeliũ & epistola Iohannis, Pauliq; ac Petri epistolæ, postea demum maiori ex parte scriptæ) *vtilis est ad docẽdum, ad arguendũ, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei* (siue Episcopus) *ad omne opus bonum instructus*.] Sic Rom. 15. *Quæcunq;*, inquit, *scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*.] 1. Cor. 10. *Hæc omnia in figura, contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt*.] Quin imò Christus ipse veteris Testamenti libros hanc habere vtilitatem testatur, quod ipsum demonstrent & vitam nobis tribuant. *Scrutamini*, inquit, *scripturas, quia putatis in illis habere vitam æternam. Et illæ sunt, quæ de me testantur: Et de me Moyses scripsit* &c. Atqui hac laude omnes veteris, plerosq; etiam noui Testamẽti libros Lutherus priuat. Et nihilominus eum Principes Cõcordię libro subscripti *Excellentissimis Spiritus sancti donis illuminatum fuisse volunt*, & Rex

Probatur Spiritus Lutheri, vtrum ex Deo sit.

Christi opera quid nobis prosint.

Apostoli Pauli de veteris testamenti libris iudicium.

Christi de ijsdẽ testimonium.

suum

suum scriptorem vocare non erubescit, quod tamen minus foret intolerabile, si non vltro etiam, quæ Lutherus & Lutherani peccant, nos Catholicos luere, quod in ipso est, cogeret, hoc est, inuidiosa insimulatione sacrarum literarum contemptim ac probrose habitarum oneraret. De quo tamen polliceri nobis audeo, si quemadmodum nunc meo indicio Lutheri erga scripturas sacras impietatẽ primùm cognouit, ita nostrũ, de qua mox infra, in proponẽdis et interpretãdis S. Bibliis rationẽ rectiùs didicerit, sedulò posthac operã daturũ, vt ne auctoritatem fidemq; illis tribuendo, quæ inimici nostri ex sua libidine de nobis confingunt, suam ipsius existimationem in simile periculum adducat. Nunc quidem certè eius, quam veram putat, pietatis Zelus & nostræ religionis odium simul cum lacte nutricis haustum, meritò nobis eum, vt iam dixi, excusare, & ab omni suspicione ementiti conuicii scienter in nos iacti dimittere, opnor, debet. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero: locuti sunt falsa,* ait Psalmus LVII. de his, qui proinde ac Rex noster, cum lacte errorem combibunt & extra Ecclesiam educantur. Sequitur, quales adulti postea euadant: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: ne exaudiat vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Sed auertat Deus omen, potiusq; cor Regi optimo, velut Lydiæ illi purpurariæ aperiat, intendere his, quæ à nobis si minùs sapientibus incantatatoribus, fidis certe monitoribus dicuntur.

Regis excusatio.

Serenissimum Regem vobis, quibus consulit, amicum esse.

CAPVT XV.

NEGARI, fateor, nequit, nonnulla in libro Regis contineri, quæ suspicionem animi minùs beneuoli mouere vobis possint, cuius generis sunt loca illa, quibus contumeliose sanè & peracerbè vos accipit, dum siue stolidæ simplicitatis vos non obscurè insimulat. Pagina quidem 77. scribit: *Nimis anxiè studioseq; hanc futilem & Sanè anilem fabulam* (de Elia & Enoch Antichristo regnante in sæculum redituris, quemadmodum S. Irenæus ex Apostolorum traditione scripsit) *refutaui, cui tantum abest, vt credam, vt contrà isto tam erudito sæculo, hoc*

Rex Anglus in Catholicos Principes contumeliosus.

Iurat Rex ſe Catholicos pro Chriſtianis non habere,

qui credat (Deum teſtor) non modò pro magni nominis Theologo, ſed ne prò Chriſtiano qnidem habeam] Sic ergò Rex Deo teſte & iuratus affirmat, ſe nequaquam pro Chriſtianis vos habere, quippe qui tam fatui ſitis, vt illud, quod ex Apoſtolorum traditione profectum omnes in hodiernum uſq; diem crediderunt Catholici, *futilem & anilem fabulam* eſſe nondum hoc præſertim *tam erudito ſæculo*, quo vel Reges atq; Principes Grammaticorum & cathedrariorũ hominũ partes inuadunt, perſpiciatis. Similiter vos, velut *Idololatras*, minimè ferendos ſibi videri

Habet eosdem pro Idololatris.

ita Pagina 43. teſtatur: *Cùm Reliquiarum, tum Imaginum adorationem pro intolerabili Idololatria habeo atq; abominor*] Apparet ergò, quàm vos

Pro Antichriſti adoratoribus.

amet, qui colendis Reliquijs & Imaginibus ſanctorũ, nemini conceditis. *Beſtiæ adoratores Cæſares Regesq; vocat, qui Papæ pedes exoſculari non detrectant*, paginis 96. & 97. cùm tamen vel ex interpellatione Sereniſſimi D. Maximiliani Bauariæ Ducis in colloquio Ratisbonẽſi facta (Seſ. 13) haud ignoraret, eam vobis *inſignẽ, & clariſsimã iniuriã, in omnes Catholicos redundantẽ* viſum iri, cùm ipſi eo honoris genere Romanæ Eccleſiæ, eiusq; Antiſtiti ſaltẽ per oratores ueſtros ſubmiſſionẽ veſtrã profiteri adeò nihil dubitetis, vt veſtra potiſſimùm opera prophetiæ fidẽ impleri & promiſſa Dei repræſentari gaudeatis, quæ Iſaiæ 49. legimus: *Reges* te *videbunt, & conſurgent* honorẽ habituri *Principes, et adorabunt* (non modò Dominũ, ſed etiã te) *propter Dominũ, quia fidelis eſt & propter ſanctum Iſrael, qui elegit te. Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum* (eos exoſculando) *lingent*] Illa porrò quid habent argumenti, quæ in

Regis in Ieſuitas inuectiua.

Ieſuitas tam atrociter inuehens ſcribit Pagina 103. & 109. *Eorum ſecta omnibus regulis & legum nexibus ſoluta, &, vt ita dicam, incomprehenſibilis. Benè eos Apocalypſis Ranunculis aſsimilat. Sunt enim* ἀμφίβιοι, *qui poſsint in vtroq; elemento tã terra, quàm aqua viuere. Quamuis enim profeſsione ſint Eccleſiaſtici, tamen artibus hominum politicorum, cùm opus eſt, vtuntur, REGES adeunt terræ, quos ad prælium magni diei, & ab Omnipotente Deo conſtituti congregent. Quæ cædes, quamq; horribiles in multis orbis Chriſtiani regionibus lanienæ eorum impulſu perpetratæ ſint, & quàm malè ceſſerit Regibus, qui illorum dictis audientes fuerunt, omnes non iniqui temporum noſtrorum Hiſtorici ſatis teſtantur. Quisquis autem Rex & Reſpub. illos non admiſerit, illisque non obtemperauerit, exterminari illum Regem, euerti illam Remp. arma alia ſi deſunt, vel ſulſurato puluere oportet*] Et Pagina 99. *Nemo fidem ſeruare tenetur Hæreticis* (qui ſcilicet Ieſuitas audit) *vllumue contractum cum illis ratum habere: imò æquiuocare* (*ipſorum*

verbo

verbo vtor) *& peierare aduersus illos Romano Catholico licet*] Quid hæc, inquam, habent argumenti, nisi vos Augustos Austriacæ stirpis Principes, neq; minus Christianissimũ Galliæ, & inclitũ Poloniæ Regem ac Serenissimos Bauariæ, Sabaudiæ, ac Lotharingiæ Duces, quibus Sacerdotes Societatis Iesu multis nominibus charissimos esse constat, aut velut Phrygas serò sapere, nec vos ipsos in præliũ aduersus Deum cogi, & regna uestra lanienis & cædibus cõpleri tot iã licet exemplis doctos animaduertere, aut sanguinarijs hominũ omni humano generi scilicet infestorũ consilijs faciles aures præbere, & perfidiã atq; verborũ fraudes & imposturas istis magistris addiscere. quorũ vtrũ Rex videri velit sensisse, non magis certè Iesuitas, quã vos eorũ patronos, vel dicam filios, supra modũ contũeliosè tractauit, neq; amici, quem videri vult, munere functus est: quamquam, si verum quærimus, neminis existimationi peius, quàm suæ, hoc pullatæ turbæ accersito è triuijs conuicio consuluit, cùm eius præsertim falsitatem non ipsi modò Iesuitæ alijq; viri docti, sed etiam Rex Christianissimus tam factis, quàm dictis accerrimè confutarint. Ait Rex, *eos omnibus regulis & legum nexibus solutos esse.* Haud vidi magis, cùm obedientia demum sit illud, quo plerique Societatis eius institutum præ ceteris Religiosorum ac Monachorum sodalitatibus alioquin adamantes, ab eius ingressu absterreri solent, eamq; rem iam lippi & tonsores norunt, neq; ipse Rex opinor, nescit, si quis Iesuita siuè à Pontifice, siue à Præposito suo in Angliam proficisci iubeatur, eum ex voto, quo se ad parendum obstrinxit ac velut Sacramento dicto auctorauit, confestim illuc ad paratam sibi crucẽ mortemq; perspicuã abiturum. Quòd si nunc cum tanta sua obedientia tamen omnibus regulis & legum nexibus soluti ac liberi vocandi sunt, quid de se ipso tandem deq; suis Euangelicis Rex dicet, quos negat Lutherus, velut supra belluæ verba audiuimus, *passuros, vt vel minimum præceptulum Moysis, etiam ex Decalogo petitum suis ceruicibus imponatur?* Magnum verò crimen illud est, & in homine scilicet Ecclesiasticum vitæ genus professo minimè ferendum, *quod Reges adeunt Iesuitæ*, hoc est, ijs maximè familiares & grati student esse, per quos ad illud, cui se potissimum operamq; suam omnem consecrarunt, ad conseruationem scilicet & propagationem fidei Catholicæ, quàm rectissimè & veluti quadam cõpendiaria ad spirare se posse animaduertunt: quod nisi sic facerent, næ Rex ipse, sat scio, eos *nescire literas* iudicaret. Mirum verò prorsùs est, nisi *Dauidi* quoque Rex hic noster in crimine ponit, quod priusquam

Rex per Iesuitarum latus ipsos Reges ac Principes Catholicos petit.

Magis tamen sibi ipsi, quam illis nocet.

Societatis Iesu obedientia.

Lutheranorum libertas.

Recte ne Iesuitæ Regibus ac Principibus familiares esse studeant.

Dauidis exemplum.

priusquam Regio culmine potitus esset, & priuatum etiam ageret, nihil Reges adire dubitarit, quemadmodum de se confitetur Psalmo 118. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Sicut etiam parum ab inscitiæ & fatuitatis reprehensione absfuturus videtur propterea, quod filium Salomonem confessario suo prophetæ Natham educandum dederit, 2. Reg. 12. 25. & post infamem Architophelis mortem, Sacerdotem Abiathar & Ioiadam Leuitici generis in sanctius suum consilium receperit, velut 1. Paral. 27, 34. legimus. Atq; haud scio an *Ezechias* rex huic nostro satis sit purgaturus, quod Episcopum siue sacerdotem *Eliacim* super domum suam constituit, siue Aulæ Magistrum ac supremum Cubiculariorum fecit, velut Isai 36. 3. scriptum est, tametsi id Dei voluntate factum Isai 22. 21. discimus. *Elisæus* quidem certè vix euadet, quin conuicio eius vapulet, quod cùm Monachus esset, aulicis nihil ominus negotijs immisceri, & Regem amicorum causa adire fuerit ausus. Nam 4. Reg. 4. Sunamitiden diuitem & præpotentem matronam (apud quã frequenter diuerterat non apud pauperẽ aliquã de ima plebe, vt mirer, nisi & illum Rex Iesuitã fuisse dixerit) memorem hospitem se præstare cupiens sic compellat: *Quid vis, vt faciam tibi? Habes negotium, & vis, vt loquar Regi, siue Principi militiæ?* Sed non hoc Iesuitæ postulant, vt Elisæo tanto Propheta sanctiores habeantur. Si ergò nihil Elisæus eiusque virtus damni fecit, quando Regis Principumq; & Palatinorum gratiam vitæ sanctimonia collectam priuatæ quoq; amicorum vtilitati impendit: quæ hæc tandem inuidia est pati nolle vt Iesuitæ sinè famæ detrimento ad iuuandam publicam religionis causam Regum Principumq; beneuolentia vtantur? Nemo certè quemquam Iesuitam suum negotium agere, & sub colore vtilitatis publicæ priuato suo emolumento velificari dicet. Nam si vel Societati suæ aliquid eorum impetret, quæ ad habitationis, uictus, studiorumq; commoditatem pertinent, adhuc tamen nihil sua causa facit, quippe qui sibi, quod crastina die ibidem loci mansurus, & impetrato beneficio simul cum ceteris perfruiturus, neq; à Præposito suo Generali relictis rebus in Indias, aut ad Antipodas abeundi mandatum accepturus sit, prorsus nequeat polliceri.

Ezechia exemplum.

Elisæi exemplũ.

Nullus Iesuita quærit priuatã suam vtilitatem

CAPVT XVI.

An Iesuitarum consilia sint turbulenta & sanguinaria.

QVOD porrò Rex iacit, *Iesuitas alijs perfidiæ, seu fidei, etiam iurisiurandi religione sacratæ, cædisq; ipsis quoq; Regibus intentandæ auctores ac magistros*

ac magiſtros eſſe, id vna nobis opera perſuadebit, ſi eos Lutheranos eſſe demonſtrauerit. Siquidem hæc Lutheri doctrina eſt, quam ille non ex Pontificiorum libris ac Scholis hauſit (nam in ijs neq; vnam apicem fidei ſuæ, quam Lutheranos, & in ijs Regem hunc noſtrum, ſeruare docuit, inueniri poſſe, ipſa eius verba, quæ ſupra cap. VI. protulimus, gloriantur) ſed à nocturno illo ſuo magiſtro, de quo ibidem cui ſe acceptum referre ait, quod tãtus Doctor euaſerit, non difficulter didicit: De quo etiam meminit in Colloquijs Islebienſibus de Diabolo fol. 274. b. *Quoties me Diabolus offendit ſolum, docet me MORES*] Eſt ergò hæc ſiue Lutheri, ſiue Diaboli doctrina. *Tomo 3. Ien. latino in comment. Geneſ. 31. fol. 135. & Tomo XI. Ger. wittemb. fol. 214. b. §. 2.* Ego DOCEO Principem noſtrum non obedire Cæſari, & abſoluo eum ab omni obedientia non tantùm Papæ, ſed & totius Imperij & Cęſaris] Similiter aduerſus Epiſcopum Naumburgenſem *Tomo 8. Ger. Ien. fol. 7.* docet, non debere Epiſcoporũ ſubditos vllam Epiſcopis obidientiã præſtare, *tametſi ſint iurati eorum* vt Principum ſæcularium *ſubditi*, ſed potius adniti, vt Epiſcopatibus ſuis exuantur. *Et Tomo 2. Ger. Ien. aduerſus falsò nominatos Eccleſiaſticos fol. 120. aut 132, b. & Tomo 7. Ger: VVitt. fol. 340.* Doctoris Lutheri Bulla & Reformatio: omnes qui iuuerint, vitam, opes atq; famam eò contulerint, vt Epiſcopatus deuaſtentur, & omne Regimen Epiſcopale penitus tollatur, ij demum ſunt dilecti Dei filij veriq; Chriſtiani.] *Et Tomo 3. Ger. Ien. in conſultatione de ſedanda ſeditione fol. 195.* per Euangelium (*id eſt, per meam doctrinam*) omnes Epiſcopatus, cum eorum moriuntur Epiſcopi, vacant, & ipſo iure ad Fundatores, ſiuè ad Imperium recidunt] Si quis ei opponat, hanc doctrinam iuri Cæſareo, fundationibus, Imperij conſuetudinibus, & paci religionis iureiurando ſancitæ aduerſari, ac propterea perfidos fore & rebelles, qui eam ſequantur: reſpondet ipſe *in epiſtola ad Electorem Saxoniæ Tomo 2. Ger. Ien. fol. 53. aut 65. aut 94.* Miſi ciuitati Aldenburgenſi Magiſtrum Gabrielem, diſcipulorum meorum non poſtremum, vt paſtorẽ ciuiũ agat, eosq; Euangeliũ doceat. Iam verò cùm ex ipſius literis, tum ex aliorũ ſermonibus ſio certior, eum populo quidẽ gratum & acceptum eſſe, ſed hoc vno impediri, quod Canonici Regulares, qui Ius patronatus iſtic habent, eum tolerare nolunt. Itaq; ſenatui illi hoc dedi conſilii, vt etiam inuitis Canonicis Gabrielẽ retineant, cum Canonici nullam eius rei poteſtatem habeant. Nam Deus ipse OMNEM MAGISTRATVM & omne ius ac poteſtatem iam abrogauit, quamprimũ contra Euangeliũ agit,

Lutheri doctrina ſeditioſa & perfidia Magiſtra.

Euangelium Lutheri quantũ Imperio proſit.

Lutherani non tenentur vllam fidem ſeruare Catholicis.

agit, (*siue, cum obicem ponit nostræ doctrinæ, eiusq; cursum sistit et impedit*) 2. cor.10.& 13. Non est potestas à Deo data ad destructionem, sed ad ædificationem. Item Act.5. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus] Itaq; senatus Aldenburgensis & Ill.*ma* Celsitudo vestra in conscientia tenentur impedire falsos Prædicatores, aut saltem curare seu tolerare, vt verus Prædicator ibi constituatur: neq; contra valet vllum sigillum, litære, consuetudo, aut vllum Ius, nisi vis aliud facere cogat. nam contra Deum nullum sigillum, ius, mos, aut magistratus quicquam potest. Ergo omne canonicorum illorum ius, potestas, census & magistratus iam exspirauit, cum apertè *nostro* Euangelio sint contrarij. Nec senatus à proposito suo debet desistere, nisi per Tyrannidem aut sæcularem potestatem impediatur, quam vim pati quidem, sed nequaquā approbare, neq; consentire debet.] Itaq; nullam iam Lutherani fidem seruare, quamuis iureiurādo tabulis ve consignatis firmatam, sed nec magistratui parere possunt aut debent, vbicumq; fidei ipsorum propagatio vel minimum impeditur: imò Cæsar ipse tum desinit esse Magistratus & in Tyrannum conuertitur, cum potestate ad impediendum Lutheranismi progressum vtitur, quē iam arma eo fine sumentē quiuis Lutheranus occidere non modò potest, sed etiam ex officio debet. Ita enim nominatim de Cæsare scribit Lutherus Tom.3. Ger. Ien. *in consultatione de vi per uim repellenda* fol.284.b. nullo modo tolerandum esse, si Cæsar Papam tueatur, *hoc est, si Catholicos Imperij ordines à Lutheranorū Principū oppressione tutos præstare velit*, sed debere eum simul cum Papa ab omnibus obtrūcari & occidi] Hoc consilium insigni scelere & perfidia iunctum Elector Saxoniæ & Hassiæ Landgrauius secuti recteq; se facturos rati (sumptis armis Imperiū Carolo Cæsari abrogare, eumq; omni Germania expellere sunt conati. Et si verū Rex fateri velit cuius tamen rei necessitatē nō is ego sum, qui Maiestati ipsius imponere postulem) non alia sanè caussa fuit plerisq; omnib⁹, qui nostra & patrū memoria arma in magistrat⁹ suos mouerunt, quàm quod adamata pestifera ista Lutheri sententia, se iure suo vti, recteq; Tyrannis Lutheranissimi incrementa prohibētibus resistere crediderunt. quæ autē Iesuitarū in eo culpa est, nisi quod exēplo Dauidis *de testimonijs Dei in conspectu Regūloquuntur*, eisq; constātiam in auita & patrita Religione suadent? Si etiam eos monent, vt ne Lutheranū istud Euangeliū in prouincijs suis regnisq; tolerēt, propterea quod ex eo, vel ipso confitente Luthero, *homines septies tanto reddantur deteriores*, quippe cuius primarius articulus solam fidem

Catholici Magistratus nullum habent ius supra subditos Lutheranos.

Cæsar Lutheranismum impediens fit Tyrannus & potest à quocumq; subdito occidi.

Ex doctrina Lutheri nata aduersus Cæsarem rebellio & bellum Smalcaldicum.

Iesuitæ laudādi, quod suadent Principibus constantiam in veteri religione. Et dissuadent Lutheranismi tolerationem.

ſaluari cupientibus neceſſariam, *reliqua omnia, vt furta, adulteria, parricidia &c. libera eſſe docet* (velut ſuprà multis Lutheri verbis docui) næ illi, quouis ethnico aut Turca iudice, bonorum virorum officium facere ſe probabunt, neq; ſi Lutherani poſtea, ſuperiorem illam Lutheri doctrinam ſecuti, in periculoſam ſeditionem exardent, tumultus & colluuionis auctores Ieſuitæ dici, aut excitati motus cædiumq; in eo factarum inuidia onerari debent: cum præ ſertim eos Lutherus ipſe ſatis purget, dum ſuam doctrinam, vel poſt exitum ſuum ê vita, perpetui aduerſus Catholicos belli *Tubam* fore vaticinatur, quemadmodũ etiam quo ad vixit, nihil ſibi ſeditionibus & rebellionib⁹ antiquius fuiſſe aperciſſimè ſemper tulit. *Tomo 5. Ger. VVitt. in comment. Genes. 16. fol. 97. §, 7. et Tomo 4. Ger. Ien. fol. 97. b. §. 2.* Hoc Deus auertat, vt Euangeliũ ſine ſeditione prædicemus. Nam ſi non turbas concitaremus, omniaq; pacata & tranquilla eſſent, actũ iam eſſet de noſtro Eũagelio. Oportet enim, Euãgeliũ turbas excitare, quocũq; venit: hoc ſi non faciat, non eſt verũ Euangeliũ] *Tomo 1. Ger. Ien. contra reſponſum Capri Lipſ. fol. 365. §. 4. et Tomo 7. Ger. VVitt. fol. 147.* Quod verũ Dei verbũ doceam, eius rei aliud efficacius argumẽtum aut miraculũ non habeo, quàm quod tam citò in vniuerſum Orbem (*excepta Aſia, Africa, Ameriaca et longè maxima Europæ parte*) perſuaſit, tantasq; diſcordias & tumultus commouet. Hoc enim niſi faceret, iam diu deſperaſſem & defeciſſem] *Tomo 9. Ger. VVit. in actis comitiorũ vormatienſiũ fol. 109. b. §. 3. et Tomo 1. Ger. Ien fol. 444. a. §. 2.* Nihil omniũ rerum ita mihi viſu iucundum eſt, tantaq; me afficit lœtitia, quam cum propter Euãgelium diſſenſiones ac tumultus exoriuntur.] *Tomo 8. Ger. Ien. aduerſus Papatũ à Diabolo fundatum fol. 245. a. §. 2. et Tomo 7. Ger. VVitt. fol. 610. a. §. 3.* Vide, vide, quàm æſtuat ſanguis meus, & caro mea? quam cuperet ex punito Papatu lætitiam percipere?] *Qua pœna, quæris? Id ibidem ſic explanat:* Poſſis quidem eorũ merito ipſis imprecari, vt fulmine de cælo tacti igne infernali toſti (*non ſulphureo, quem ſibi Rex Iacobus à Catholicis Lutherano conſilio vſis paratum tam grauiter, nec immeritò, conqueritur*) peſtilentia, morbo Gallico, lepra, anthrace, alijsq; malis affecti, mali malè pereant: Sed hæc omnia nihil adhuc eſſent aliud, quam caput eis demulcere, blandeq; ſubpalpari.] Quis vmquam putaret his tantis malis homini ab homine, quid dico ab homine? imò à Diabolo peius optari poſſe? Lutherus tamẽ peius aliquid ſibi videtur inveniſſe, quod Catholicis imprecacetur, nempe *bellum & ſeditionem.* Sic enim votum illud ſuum interpretatur *Tomo 1. Ger. Ien. aduerſus*

Lutherus ſuam doctrinã fatetur eſſe ſeditioſam.

Miraculum quo Lutheri doctrina Confirmatur.

Lutheri volupta ex turbis & ſeditionibus.

Vide, vide, quo ſit ſpiritu praditus Lutherus, et quid Catholicis precetur.

Lutheri consiliũ de modis propagandi Euangelij armis nempe, non verbis.

Siluestrum Prieriatem fol. 60.b. & Tomo 9. Ger. witt. fol. 24. b, Propemodum nullũ melius consilium & remedium videtur Papistarũ progressus reprimendi, quàm vt Cæsar, Reges ac Principes VIM pararent & armati hos perniciosos homines aggrediantur, & fabulæ huic armis non verbis finẽ aliquando imponant. Si enim fures laqueo, homicidas gladio, Hæreticos IGNE punimus: quare non multò magis hos pestilentissimos Doctores omni armorũ genere adorimur, & in ipsorũ sanguine manus nostras lauamus?] *Tomo 2. Ger. Ien. aduersus falsò nominatos Ecclesiasticos fol. 121. b. §. 2. & Tomo 7. Ger. witt. fol. 331. b* Res risu tantùm digna foret, si qua insignis & benè robusta concitaretur seditio, quæ magistratus Ecclesiasticos de mundo exstirparet]

Seditiones Lutherus risu tantum dignas putat.

CAPVT XVII.

Bellum rusticũ ex Lutheri doctrina natum.

HIS ita à Luthero editis & ab omnibus passim lectis, exorta fuit in Germania *Rusticorum rebellio*, omnibus tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis Principibus, extremorum malorũ terrorem denuncians. Ibi alium Lutherus librum edit, quẽ *cohortationem ad Pacem* inscribit: in quo tametsi pacis componendæ studium præ se fert, reuera tamen, neq; id obscuré, Rusticos ad seditionem cœdemq; Principũ, nisi Lutherani fiant, inflammat. Hæc enim sunt eius libri verba *Tomo 2. Ger. witt. fol. 73. & Tomo 3. Ger. Ien. fol. 14. b. §. 2.* Hoc sciatis, boni Domini: Deus ita procurat, vt non velint, rustici, nec possint, nec DEBEANT vestram Tyrannidem diutius ferre. Non iam (*postquam ego docere cœpi*) Mundus est, sicut olim, cum homines ferarum instar agitaretis. Oportet uos alios fieri, & Euangelio locum dare: Si non feceritis amico voluntarioq; modo, facere vos oportebit inuitos. Si non coegerint vos isti rustici, cogent alij nam etiam si omnes occideretis, adhuc tamen salui, nec occisi erunt. Deus enim alios suscitabit: Si quidem vult uos percutere, & percutiet. Non rustici sunt illi, qui vobis rebellant, sed deus ipse est, qui vos oppugnat ad castigandam vestram Tyrannidem] Ac ne Rusticos Maiestas Regũ atq; Principũ animis perculsos forsan à furore & scelere cogitato deterreret, id in primis egit, vt eos nihil furib⁹ ac latronib⁹, vel certè lictorib⁹ & carnificib⁹, ipsis deniq; Porcis & Turcis meliores digniioresq; faceret uideri. *Tomo 1. epist. lat. Ienæ editarũ fol. 350 b.* si cui⁹ quã opes perdendæ sunt, Principum perdendæ sunt, quod Principem esse & non aliqua parte latronem esse, aut non, aut vix possibile est, eoque maiorem

Rustici didicerunt à Luthero, se nõ debere Catholicis obediẽciam.

Catholici nisi fiant Lutherani à rusticis occidẽdi.

Lutherus docet Principum opes esse perdendas, velut Latronum.

maiorem latronem, quo maior Princeps fuerit.] *Tomo 2. Germ. Ien. de magistratu sæculari fol. 200. §. 3.* Plerumque Principes sunt omnium, quos terra sustinet, stultissimi & deterrimi nebulones : ita vt semper pessima quæque, & parum boni, in rebus maxime diuinis, animarum salutem attingentibus, exspectare ab ipsis oporteat: sunt nempe Dei lictores & carnifices, quibus ira diuina ad puniendos improbos & ad conseruandam pacem externam vti solet. Magnus Monarcha Deus est: itaque huiusmodi quoque nobiles, Illustrissimos & ditissimos Carnifices ac Lictores habet, placetque diuinæ eius voluntati, vt suos Carnifices clementissimos Dominos appellemus, eos adoremus, humillimeque ipsis subiecti simus] *Eodem libro foliis 194. §. 3. & 596. §. 3.* Cùm videris deesse Carnifices, Lictores, iudices, Barones aut Principes, tuq; te officijs eiusmodi idoneum esse compereris, tua sponte operam tuam offerre Reipub. debes] *Ibidem fol. 197. §. 2. & 598. b. §. 2.* Hoc loco quæri potest, an ergo & Lictores, Carnifices, Iurisconsulti, Aduocati, & si qui sunt eiusdē farinæ (*intellige, Principes ac Barones*) Christiani esse queant, & in eo statu viuant, qui salutis aditum non præcludant] *Ibidem foliis 199. §. 3. & 600. §. 4.* Nihil aliud possunt Principes, quàm excoriare populos & deglubere, ac vectigal aliud post aliud imponere, & simul cauere, vt neque ius vllum, neque fides, neque veritas apud ipsos inueniatur, ita denique se gerere, vt ne latrones quidem ac facinorosi talia audeant] *Tomo 2. Germ. Ien. de vtraque specie fol. 94. §. 3. & Tomo 7. Germ. witt. fol. 355. b. §. 3.* Oportet sanè ita manere, sicut fuit iam inde à principio, vt nullus status tam multos producat fatuos, quàm status Magnatum, quemadmodum Græco prouerbio fertur: Aut Regem, aut fatuum nasci oportet] *Eodem Tomo 2. Germ. Ien. aduersus duo Mandata Cæsaris fol. 424. b. §. 1. & Tomo 9. Ger. witt. fol. 190.* Turpe dictu est, Cæsarem ac Principes palàm mendacijs grassari. Pol illos ebriosos, temulentos & vesanos Principes esse oportet. Deus mihi, quantum video, non cum hominibus ratione præditis, sed cum *Germanicis Bestiis* negotium esse voluit. Ab ijs, si modò dignus habebor, discerpi me oportet, perinde ac si me Lupi suesque lacerarent] *Eodem libro foliis 435. b. & 197.* Ad extremum omnes Christianos oro, vt simul ipsi orent pro tam miserè excæcatis Principibus (quos in ira sua magna, vt nos affligeret, Deus nobis dedit) ne sequamur eos vllo modo bellum Turcis inferentes, neue ad id bellum pecunias contribuamus: quandoquidem Turca decies prudentior probiorque est Principibus nostris. quid fatuis huiusmodi contra Tur-

Principes plerũque pessimi Nebulones.

Sunt illustrissimi Carnifices & Lictores.

Officium Principis & Carnificis sunt similia.

Principes mendaces, ac latronibus peiores.

Principes sunt maximè fatui.

Cæsar & Imperij Principes mẽdaces, ebriosi, insani.

Sunt Germanicæ bestiæ.

Lutherani non debent Catholicis aduersus Turcas auxilium ferre.

Carolus Cæsar impudens, quia Fidei defensorē se vocat. Væ Regi Anglo!

cam prosperè succedat, qui Deum vsq; adeò tentant & blasphemant? Hic enim vides, quomodo miser mortalis vermium Saccus, Carolus Cæsar, qui vitæ suæ nec vno momento certus est, IMPUDENTER se glorietur verum ac supremum esse FIDEI Christianæ DEFENSOREM. Deus nos ab eiusmodi stolidis, fatuis, insanis, furiosis & amentibus Morionibus liberet, aliosque per gratiam suam det nobis Principes, Amen] Non minori honore Cæsarem omnesque Imperij Principes anno 1530. Augustę in Comitijs congregatos affecit, cum eos *Serenissimos & Illustrissimos Porcos* vocauit, *Tomo 6. Germ. VVitt. in Glossa Edicti Cæsarei fol. 164. b. §. 3. & Tomo 5. Germ. Ien. fol. 297. a. §. 3.*

Cæsar & Principes serenissimi Porci.

Cùm autem tam tumultuosis suis scriptis excitatos Rusticos eo loci postea redactos vidisset, vt eos omninò Principum armis superatum ac perduellionis pœnas meritas ab ipsis expetitum iri appareret, veritus ne sibi quoque non postremo seditionis illius stimulatori res ea fraudem capitalem crearet, repente stili acumen infelicium Rusticorum iugulo intentat, eorumque crudelissimè trucidandorum Principibus auctor est. *Tomo 3. Germ. Ien. aduersus Rusticos fol. 124. a. §. 3. & Tomo 2. Germ. VVitt. fol. 82. b. §. 2.*

Sanguinaria Lutheri concio.

Hic cædat, iugulet & transfodiat clam aut palam, quicumque potest] *Et mox foliis 125. b. & 84. a. §. 1. & 85. a. §. 1.*

Lutherani fundendo sanguine cœlum merentur.

Videntur Diaboli nullo apud inferos relicto simul omnes in Rusticos ingressi esse. Iam mira nunc sunt tempora, vt Principes sanguine humano effundendo faciliùs cœlum mereantur, quàm alij orando. Interficiat hic cæsim, punctim, quicumque potest. Sin autem & occidaris in tali conatu, ô te beatum! Beatiori certè mortis genere defungi non datur: Siquidem verus Dei Martyr moreris.] *Et in huius sui libelli Apologia Tomo 3. Ger. Ien. fol. 137. 140. 141. 142. & seq. Et Tomo 2. VVitt. fol. 262. & seq. magis etiam animos omnium ad infelicium cædem exacuit:*

Lutheri immanitas.

Dicent mihi, *inquit*, me parum esse Misericordem. His respondeo: Valeat Misericordia: Ego misericordiam hic non audio. Talibus discipulis talis debetur Virga. Excipias ictus, necesse est, & sine vlla misericordia moriaris &c.] Quid postea secutum fuerit, nemo, qui historias legerit, ignorat. Ipse quidem Lutherus,

Centum millia Rusticorum cōsilium Lutheri secutorum occisa.

plus centum millia Rusticorum immaniter cæsos scribit in margine *Commentarij Exod. 20. Tomo 5. Germ. VVit. fol. 223. a. §. 4.* Si quæras ex eo, penes quem tantę cladis culpa resideat, non Iesuitas, aut quemquam Clericum (quod Rex noster persuasum fortè cunctis cuperet) sed se ipsum ingenuè nominabit. Hæc enim eius ver-

ba in

ba in Colloquijs Islebiensibus *de Concionatoribus* fol. 250. §. 5. legimus: *Ego omnes Rusticos seditiosos interfeci, quia vt interficerentur iussi: sanguis eorum omnium super caput meum.*] At enim, dicat quispiam, non nisi quæ viuo Luthero rebelliones, turbę & cædes exortę fuerunt scriptis & dictis eius imputari debent: quæ verò sublato ipso acciderunt, ad alios pertinent. Sed longe aliter rem se habere non bellum modò Smalcaldicum eius adhuc viui suasu conflatum, sed etiam sæpius repetitum eius vaticinium vociferatur. *Tomo 2. Germ. Ien. fol. 130. a. §. 3. & fol. 388. b. Et Tomo 3. Ger. VVitt. fol. 66. b. §. 4. & Tomo 7. Germ. VVitt. fol. 338. in Epistola consolatoria ad Miltenbergenses,* & in libro *aduersus falsò nominatum statum Ecclesiasticorum*: Si viuo, *inquit*: pacem præ me non habebunt Papistæ: Sin morior, decies tantò minus pacem habebunt.] *Tomo 5. Germ. Ien. in admonitione ad suos Germanos fol. 275. a. §. 1. & Tomo 7. Germ. VVitt. fol. 466. §. 2.* Vita mea Papistarum Carnifex esto: Mors mea, eorundem Diabolus: sic, inquam, & non aliter: idque experientur [*Tomo 6. Germ. VVitt. in responso ad Regis Angliæ satyram fol. 448. §. 2. & Tomo 3. Germ. Ien. fol. 331.* Doctrina mea debet clamare & verberare: hic modò nullam Deus mihi det patientiam aut mansuetudinem. Hic clamo, Non, Non, Non, quamdiu spiro, vt vel Cæsari, Regibus, Principibus, Diabolis & quibuscumque ilia rumpantur.] Ex his omnibus nemini non promptum ac perspicuum esse opinor, non modò culpa vacare Iesuitas, sed laudem quoque mereri, cùm Reges ac Principes ad tumultuosam Lutheri doctrinam regnorum suorum aditu prohibendam cohortatione sedula impellunt, neque eos seditionum, turbarum, cædiumque concitatores haberi posse, nisi quis Luthero eam sibi laudem vindicanti, de rebus etiam apertissimis & recentissimis nihil habendum fidei putet, siue, meridie lucere neget.

Lutherus se laminæ illius causam fatetur.

Lutherus decuplo seditiosior post obitum, quàm cum viueret.

Nam viuus erat tantùm Carnifex: mortuus verò est Diabolus.

Doctrina Lutheri tuba belli aduersus Cæsarem, Reges ac Principes.

Rectè ergò Iesuitæ aditum ei præcludere laborant.

CAPVT XVIII.

SED redeo ad Regem nostrum, cuius verba, non deerunt, scio, qui aliquid monstri alere suspicentur, quæ pagina 108. exstant: *Christianæ Romæ interitum deflent Reges, quos illa honorificis nominibus titulisque ornauit, veniamque eorum libidinibus atque illicitis matrimonijs indulsit*] Fuit, fateor, Henricus VIII Angliæ Rex hoc titulo ab Ecclesia Romana pro libro aduersus Lutherum scripto affectus, vt DEFENSOR

Rex Anglus pungit Reges Catholicos.

Suum titulum à Papa accepit. FENSOR FIDEI diceretur, quo hic quoq; Rex hodie sibi placet, neq; eo vti religioni habet, tametsi non nesciat iam ex ijs, quæ modò in medium adduximus, non dubitasse Lutherum *impudentiæ & vesaniæ* notam Carolo Cęsari inurere, propterea quod sese Fidei Christianæ DEFENSOREM professus esset. Sed de Henrico illo hic minimè vt

Apostasia Henrici Angliæ Regis. apparet, sermo est, nam is non alia sanè re ab Ecclesia Romana defecit, quàm quia veniam libidini suę atque illicito Annæ Boleniæ matrimonio à Pontifice non poterat impetrare. Est ergo nonnullorum

Non est verisimile Regem Poloniæ à Rege Anglo perstringi. suspicio, Serenissimum Polonię Regem hic occultè describi, cui coniugis piè defunctæ sororem ducere, summa Reip. Christianæ vtilitate sic suadente, hodiernus Pontifex permisit. Sed mihi duobus nominibus id nequaquam fit verisimile. Nam primùm nullo peculiari titulo Poloniæ Rex ab Apostolica sede est affectus. Tum facere non potest Rex Iacobus vt id matrimonium pro illicito habeat, cùm Lutherus scriptor eius cuiuis priuato, nulla cuiusquam id vtilitate excu-

Nam Lutherus duas sorores simul eidem nuptas esse posse docet. sante, *binas sorores simul in matrimonio habere ius fasque esse* doceat in commentario Genes. 29. Tomo 4. Germ. Ien. fol. 162. b. 163. a. & Tomo 5. Germ. witt. fol. 151. b. 152. a. Alij Christianissimum Galliæ Regem notari suspicantur, quod is & titulo *Christianissimi* à Romana Ecclesia ornatus sit, & Pontificis permissu, prius Regis cum *Margareta Valesia* matrimonium pro nullo & irrito habēdum pronunciantis, *Medicæam*

Vtrū Rex Anglus Galliæ Regem perstringat. duxerit. Sed vix induci possum, vt Anglo Galli matrimonium videri illicitum credam, eumq; huiusmodi sua sententia nouarum rerū in consanguinei & fœderati Regis regno semina iacere suspicer, cum præsertim, si vel minùs ei probarentur causæ, quibus adductus Pontifex matrimonium Galli cum Valesia nullum & irritum fuisse declarauit, saltē Lutheri sui auctoritate ad probandum Mediceę matrimonium cogi eum sciam. Lutherus enim tantam non modò Regibus, sed etiam priuatis quibuscumque libertatem largitur, velut partim ex verbis eius supra positis, *quibus omnia Christianis libera & arbitraria facit, neque eos vlla lege teneri* docet, partim ex his, quæ sequun-

Lutherani simul vxoribus & ancillis vti possunt. tur, apparet. *Tomo 2. Germ. Ien. de vita Coniugali fol. 168. b. §. 3. aut 152. & Tomo 6. Germ. Witt. fol. 177.* Quando vxor marito debitum coniugale negat, aut cohabitare cum eo recusat, tum tempus est, vt dicat ei maritus suus: si tu non vis, erit alia, quæ volet: si neget vxor, dabit ancilla. Repudiata Vasthi Assuerum imitatus maritus accipiat Esther.] *Ibidem*

Incestus quando Lutheranis licitus. *foliis 164. a. aut 147. Et 173. a.* Si cui mulieri maritus frigidus, caballus ille in cliuo scilicet, aut lorū in aqua obtigit, potest illa à marito cum ipsius

ipſius patre aut agnato proximo concubendi licentiam poſtulare, ad eamque permittendem maritus tenetur. ſin recuſet, ius faſque eſt vt mulier ab eo in alias regiones profugiat, ibique cui velit, nubat] *Ibidem foliis 168.a.aut 176.a.docet*, ſi alter Coniugum adulterium committat, poſſe ſine peccato altrum, non aliter, quàm ſi mors ei coniugem ademiſſet, cum alio contrahere: id quod ſimiliter docet in libro *de rebus matrimonialibus Tomo 5.Ger.Ien.fol.254.& Tomo 6.Ger.witt.fol.281.* Quin etiam Chriſtianis *Polygamiam* ſiue multarum ſimul vxorũ poteſtatem facit Tomo 4.Ger.Ien.*in comment.Geneſ.16.fol.95.& Tomo 5.Ger.VVitt.fol.95.* Quod Abraham, *inquit*, duas ſimul vxores habuerit, ſic defendi à nobis debet, vt ne cui parùm ſimpliciter & candidè defenſus fuiſſe videatur. Hoc enim ſine vlla dubitatione verum eſt, quod QVÆCVMQVE Patriarchas veteris Teſtamenti exteriùs feciſſe legimus, integra & LIBERA eſſe, nec prohiberi debeant. Sic abrogata eſt circumciſio, non tamen vt continuò peccatum eſſet, ſi hodie quoque ſeruaretur. ſed libera eſt, neque peccatum, neque bonum opus. Sic agnum Paſchalem comedere, & quæ ſunt eiuſdẽ generis omnia, dummodo ne fiant opinione iuſtificationis conſequendæ, quomodo neque Patriarchę ea fecerunt. OPORTET igitur inter cetera Patriarcharum exempla hoc quoque numerari, quod plures ſimul vxores habuerunt, vt id etiam prohibitum non ſit, ſed liberum [*Et mox*: ſed non prohibitum eſt, plures ſimul vxores habere: neque ego id hodie prohibere poſſem, ſuadere tamen non vellem] Hoc ipſum pluribus libris ſuis inculcat, vt operoſum ſit loca omnia hic recenſere. Atque hanc eius doctrinam ſic probauit *Philippus Haſſiæ Landgrauius*, vt ſibi quoque *Patriarchiſſare*, binaſque ſimul vxores, alteram Principem natam, Equeſtris loci alteram, habere permitteret. quam rem cùm ei Catholicus Princeps *Henricus Dux Brunſuicenſis* probri cauſa obieciſſet, puduit quidem Lutherum ſe auctore id factum confiteri, potiuſque libidini Principum rem omnem imputare conatus eſt, tametſi nihil dubitare ſe oſtendit, quin Landgrauio facti ſui rationes conſtent. Sic enim ſcribit *Tomo 7.Ger.Ien.aduerſus HansVVorſt fol.438.a.§.3.* de Landgrauio multis verbis hic diſputare non conſtitui. Landgrauius ſatis ipſe ſuam rem ſapere nouit, & ſecum habet homines eruditiſsimos (*qui ſcilicet etiam ſine me factum ſui Principis tueri poterunt*) Ego vnam tantùm noui Landgrauiam Haſsiæ, quæ eſt & vocabitur Domina & Mater in Haſsia, neq; alia, quàm ipſa, Landgrauios pariet ac nutriet. Loquor de filia Georgij Saxoniæ Ducis. Quod autem partim Principum

Duos Coniuges quando ſimul quis habere poſſit.

Polygamia Lutheranis libera.

Oportet eſſe liberum plures vxores ſimul habere.

Haſſiæ Landgrauius ſecundum Lutheri doctrinã duas vxores habuit.

pum à recto tramite auertimini (*hoc est, quod plures simul vxores habetis, velut Landgrauius*) fecistis, proh dolor! exēplo vestro, vt iam ferè neq; ipsi Rustici plures vxores ducere sibi Religioni ducant, aut in eo se peccare credant] Sic itaque fieri non potest, vt Serenissimus Angliæ Rex matrimonium Regis Christianissimi controuersum facere, ac nonnullis qui *Galliæ Delphino* Nataliũ controuersiam motam aliquando cuperent, auctoritatem dare velit, nisi parùm sibi constet, & verba illa sua, quibus Lutherum, SVVM scriptorem, seq; eorum, qui Lutherum pro Euangelista, Apostolo & magno Dei Propheta habent, participem profitetur, turpiter recantet. Itaq; mihi persuadeo, eum vetus aliquod matrimonij minùs legitimè contracti exemplum, de quo mihi non constat, verbis illis suis perstringere voluisse.

Ipsi etiam rustici Lutherani cuperent plures vxores habere.

CAPVT XIX.

POSTREMÒ non mediocrem tibi, Rex Catholice ac Galliæ Regi iniuriam in eo facit Anglus cùm tæterrimi *Simoniæ* peccati nō obscurè vos postulat, cùm scribit Pag. 124. *Collegiũ Cardinalium, quibus solis eligendi Pontificis ius est, in duas easq; præpotentes factiones discessit, nec iam coniectu sortium, sed prægrandi annua pecunia in auidas aliquot Cardinalium fauces coniecta hæc ad Principum nutũ partibus studentium Comitia peraguntur*] Nempe credulam ijs aurem præbuit, qui Regiam vestram beneficentiam calumniantur, quasi non alio fine Ecclesiarum quarundam, quę in vestris sunt Regnis, fructus annuos, aut certè delibatam inde partẽ, quam *Pensionem* dicũt, nonnullis Cardinalium tribuere soleatis, quàm vt ij postea toti ex nutu vestro pendeant, & in Comitijs potissimùm sacris ei ad Pontificatum suffragentur, quẽ vos vestris rationibus priuatis maximè accõmodatum putare sciant: quæ calumnia quàm inanis & vana sit, neminem fugit, qui res Romanas paulò peritiùs introspexerit, neq; ignoret, eum plerumque Comitiorum illorum exitum esse, vt eorum acumen, qui videri cupiunt tantùm non diuinatione quadam futurum Pontificem prospicere, vehementer delirare, neque rei quouis sortium coniectu incertioris euentum aliunde, quàm ab ipsius Dei prouidentia pendere appareat. Sed non heri demum aut nudius tertius aurum Hispanicum Romanis inuidiam conflare & calumniis variisque sermonibus ansam dare cœpit, cùm apud S. Bernardũin tertio de Consideratione legam: *Quid Legati Apostolici, qui tam sæpe in Hispaniam eunt & redeunt, adhuc boni cum illis egerint, nec dum audiui-*

Rex Anglus Reges Hispaniæ & Galliæ Simoniæ insimulat.

Liberalitas Regis Catholici in calumniam rapta.

In eligendo Põtifice nihil valent factiones.

audiuimus: Et forsitan audissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset. Vt autem Regi, quod de Cardinalibus auro auctoratis venditisq; iacit, largiamur, adhuc tamen *sudet multum frustraq; laboret*, si cuiquam sano persuadere velit, non posse Spiritum sanctum malorũ quoq; hominum sensus & cogitationes eò dirigere, quod in rem Ecclesiæ suæ, cui se numquam defuturum promisit, maximè conducturum nouerit. *Vos cogitastis de me malum* (ait ad fratres Ioseph, qui eum ex odio vẽdiderant Genes. 50. *sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum* Genes. 45. Neq; ignorare Rex potest ex lectione Ioh. 11. etiam Caiphę sceleratam linguam & mentem ita Spiritus sancti nutu gubernatam fuisse, vt insciens illud consuleret, *quod manus Dei & consilium eius iam inde à diebus æternitatis fieri decrerant.* Quid ergo impediet, quominùs idem Spiritus Dei etiam corruptas auro voluntates hominum ad cõmunem Ecclesiæ vtilitatem flectat ac torqueat, tametsi ipsi longè aliud habeant propositũ, neq; de eo, ꝙ Deus per ipsos facere intendit, vel minimũ suspicari possint? Sed nihil mirũ est, hoc difficiliùs Regi nostro persuaderi, cum Lutheri se discipulũ profiteatur, cuius supra verba reddidi, quibus in sanctissima Nicæna Synodo negat quẽquam fuisse *qui vel minimum Spiritus sancti odorẽ sensisset*, ac ne Apostolis quidẽ satis concedit, vt de Spiritus sancti p̃sentia in Concilio suo tam certò affirment, ne dum Cardinales subrogandi Pontificis causa sacra Comitia agitantes à sancto Spiritu gubernari ac flecti credat. Itaq; si falsa illa, q̃ amplexus tenet, Religione nihil ipsius erga vos beneuolentiam & amicitiam creditis impediri (ꝙ quidẽ rectè vos credere cẽseo, neq; quin vobis Rex simul cum Hęresi sua eadẽ omnia, quæ sibi exoptet, bona ex animo cupiat, dubitandũ puto) non debetis certè, quę in vos ab eodẽ inclementiùs dicta ex ipsius libro adhuc ꝓposui, vestri potiꝰ odio aut contumeliæ assignare, quàm ingenti Religionis suę Zelo, & maximę vos ad eandẽ siue argumentorũ momẽtis, siue verborũ cùm indulgentia, tum acrimonia, traducendi cupiditati tribuere. Docet Apostolus 2. Cor. 3. *mentes* in Religione errantiũ *à Principe sæculi huius excæcatas esse, vt eis illuminatio* ac splendor *veritatis nequeat affulgere.* Quemadmodum igitur inhumaniùs facere videatur, si quis cœco, propterea quod in se incurrerit seque offenderit, succenseat: ita bonitate vestra indignum foret, quædam non bona dicta, quæ Regi suus error expressit, grauiùs accipere, aut ad contumeliam interpretari. Mihi, vt imagine vtar, idem in Rege contingere videtur, quod ijs vsu

Deus etiam malos homines dirigit, quo ipse vult.

Lutherus in Consilio Nicæno nõ credidit fuisse Spiritum sanctum.

Ita Rex non credit esse in Conclaui Cardinalium.

Regi AngloCatholici Principes meritò ignoscunt.

venit, qui vitreos orbiculos colore aliquo tinctos naso imponunt, vt omnia ſcilicet, quæ per Orbes illos contemplantur, eodem, quo illi, colore contacta eis appareant: quos niſi remotis illis ſine errore in res ſingulas intueri fruſtrà iubeas. Nam Rex ſimiliter ex peruerſa illa, quam puer combibit, religione non priùs Catholicorum, in primiſque Eccleſiaſticorum dicta ac facta inuidioſiùs interpretari deſinet, quàm ſuam de cõtrouerſis fidei capitibus ſententiam mutauerit, cùm præſertim iuſtus dolor ex atroci illa coniuratione hominum Catholicorum, ſed ea in re Luthero potiùs, quàm vel Pontifici, vel Bellarmino dicto audientium conceptus, & alta mente repoſtus ei τὸ ἀπιϛεῖν, vtque non temerè deinceps credat, in primis inculcare videatur. Itaque mihi *Conſilij Regis Diſſuaſionem* ad vos inſtituenti, eandemque ad aliorum quoq; vtilitatem Typis in publicum emittere cogitanti illud in primis fuit propoſitum, vt non fruſtrà legiſſe me demonſtrarem, quod S. Paulus oportunè monet 2. Tim. 2. *Seruum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem, eos, qui reſiſtunt veritati: Siquãdo Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.*] Quid ſecutus fuerim, dixi. Fuerim ne autẽ id, quod volui, aſſecutus, aliorum facio iudicij, maximè qui, quantæ ſit temperantiæ, eum, qui in ſuæ Religionis hoſtem dicat, abſtinere maledicto, facto vel ſemel tantùm periculo didicerunt. Si quod mihi verbum excidit, quo videatur Potentiſſimi Regis honos ſęcularis ſugillari, (nam quę ſuſcepta eius, quam ex animi ſententia veram iudicio, Religionis propugnatio poſtulauit, nullum ſibi precatorem quærunt, nec ignoſci ſibi petunt) id ego nõ ad vllam contumeliam dictum videri, ſed potiùs imprudentiæ meæ aſſignari etiam atque etiam rogo. Neq; hanc, puto, veniam grauabuntur, quibus nequaquam fiet veriſimile, vt qui tot iam annis meum non tantùm erga plebeios aut Equeſtris modò loci Nobiles, ſed etiam erga complures Procerum atque Principum Proteſtantium, qui ſuperioribus annis ex Germania Romam venerunt, meque familiariùs vſi ſunt, cultum, ſtudium, obſeruantiam & beneuolentiam factis ipſis pro virili mea parte declaraui, is nunc verborũ intemperantia & acerbitate gratiam officijs meis collectam ſimul omnem effundere, & ex contumelia tanti Regis, cui alioquin etiam inimici Virtutis raræque vel in homine priuato doctrinę & eloquentiæ laudem tribuere coguntur, iuſtum ceterorum Principum odium ſuſcipere velim.

Mihi propoſitũ fuit ſine verborum acerbitate cum Rege agere.

Difficile eſt inimico Religionis ſuæ non maledicere.

Mea erga Proteſtantes. προποφορία.

ET quidem vt nulla esset res alia, quæ mihi verborum aduersus Regem modestiam suaderet, hoc vnum nempe mihi satis fuerit, quod vix posse videor ad certiorem & probabiliorem regulam omnia mea scripta, dicta ac facta dirigere, quàm si Luthero per omnia dissimillimus esse studeam. Is autem ingenium moresq; suos ita nobis depingit *Tomo 1. Epistola. latin. Ienæ edit. fol. 291. b.* Non possum timere præcipitem & indoctam istam inuidiam (*eorum scilicet, qui acerbissimorum maledictorum frequentiam in me reprehendunt*) Sic me Deus rapit, qui viderit, quid faciat per me, cùm mihi sim certus, nihil horum (*tam atrocium conuiciorum*) ex me quæsitum aut petitum, sed omnia alieno furore mihi extorqueri.] *Et fol. 292.* Negare non possum, me esse vehementiorem, quàm oporteat: quod cum illi *Papistæ* non ignorent, *me iracundum* CANEM irritare non debuerunt. Quàm sit difficile calori & stilo temperare, vel ex te ipso discere potes.] *Et mox:* Ego & calidus sum, & stilum habeo non penitus obtusum. His monstris vltra modestiæ decorum feror] *Eadem pagina auersa:* Video ab omnibus in me peti modestiam, maximè ab hostibus, qui minimè tamen omnium eam præstant. Ego si immodestior sum, simplex tamen & apertus sum, quo illis me puto præstare.] *Et Pag. 304.* testatur malle se *inueniri superbum, auarum, adulterum, homicidam & omnium vitiorum reum*, quàm vt non strenuè conuiciando pro Dei sui causa propugnet *& cornua in Pontificiam Religionem erigat, hacq; confessione sese ab omnibus peccatis absolutum iri sperat.* Tomo 5. Ger. Ien. *aduersus nebulonem Dresdensem* fol. 309. §. 4. & Tomo 9. Ger. witt. fol. 465. a. Nihil curo, quod queritur in libro meo ferè tertio quoq; verbo nominari Diabolum, & conuicijs ac maledictis omnia plena esse. Hæc mea debet esse gloria, meusq; honor, & sic etiam habere volo, vt deinceps de me dicatur, quod plenus sim maledictis, criminibus & execrationibus in Papistas. Volo & de cetero me aduersus nebulones istos exercere criminationibus, diris & imprecationibus usq; ad sepulturam meam, neq; ullum bonum dictum aut placidum verbum ex me audient. Ego meo tonitru ac fulmine sic eis ad sepulturam compulsabo.] Quanta ei seruandæ fidei in eo, quod hic promittit, cura fuerit, omnes eius libri vociferantur, quos conuicijs atrocissimis, & post homines natos omni memoria inauditis refersit, nulla prorsus vel maximorum Regum atq; Principum, etiam in rebus nihil ad religionis causam spectantibus, sed merè sæcularibus & ciuilibus ratione habita, adeò vt etiam glorietur, se illum esse, qui primus conuiciandi Regibus, an-

Etiam propterea moderationi studui, vt essem Luthero dissimillimus.

Lutherus fatetur se esse maledicũ.

Fatetur se esse canem iracundum

Et Immodestum

Lutherus gloriatur se esse maledicum.

Et minatur se talem semper futurum.

tea tangi insuetis, morem induxerit. *Tomo 2. Ger. Ien. in epistola ad Iohannem à Plauniz fol. 207. b.* Non me fugit, ferè omnia mea scripta eius fuisse notæ, vt primum à Diabolo profecta viderentur, & metus esset ne propter illa statim cælum rueret. Sed postea conuersa est rerum facies & mutata ratio. Alia iam sunt tempora (*postquam ego scilicet discipulos post me abduxi*) vt iam Magni Principes priùs insueti, liberè tangantur: quidque Deus per hanc rationem facere cogitet, suo tempore apparebit.] cuiusmodi verò *Tangendi* libertatem dicat, ex his, quæ subijciam speciminibus, perspicuè cognoscetis. De *Diuo Imperatore Carolo V.* iam supra quid contumeliæ causa Lutherus scripserit, audiuimus: Ipsum scilicet cum ceteris Imperij Electoribus ac Principibus Serenissimum Porcum, Germanicam bestiam, apertè mendacē, impudentē, temulentū, insanū & furiosum appellat. Alibi de eodem scribit, non Monarcham esse, sed Tyrannū, qui cum Fratre Ferdinando datam fidem non seruet, quin imò perfidè iusiurandum Imperio datū violet, & reuerà nequaquam Fidei Catholicæ defensionē, sed Principum Germanorum bona quærat, astuta, iniqua & turbulēta consilia agitet, neq; quiquam à quouis priuato latrone differat. De Rege Romanorū *Ferdinando* ita iudicat: nihil eum habere Principe dignū, sed esse seruilis naturæ, adeoq; minimè eius opera aduersus Turcas vtendum esse. *De Henrico Octauo Angliæ Rege*: probrum & dedecus generis humani, apertè mendax, nequaquam vir bonus, non modò mentitur vt leuissimus nebulo, sed etiam cuiuis sceleratissimo nebuloni præferri meretur, quod ad sæcularem honestatem attinet, indignus, qui corigiam calceamentorum Lutheri soluat, perfidus, ne pilum quidē Regis habet, nequaquam bona fide aut conscientia Angliam possidet, ac propemodū eodem iure Regnum suum tenet, quo Papa suum Papatum (*quomodo igitur Rex Iacobus tantopere ius suum iactat, cum Apologiæ suæ Pagina 65. ad oram scribit: Longè facilior probatio est, me Maioribus meis successisse, quàm Papam Sancto Petro?*) neque vnum modò verū verbum loqui potest, effeminatus homo, sub regio titulo mendacissimus nebulo, indoctus Asinus, Porcus, Sacrilegus homicida, falsarius, infelix librorū scriptor, quibus merebatur, vt nō Rex Henricus, sed *Magister Henricus* diceretur, leuissimè mentitur & muliebriter insanit. Ad optimum Principem *Georgium Saxoniæ Ducem* sic in epistola scribere audet: Noui Inclementiæ suæ agrestia mendacia, & vanitatē eius perspexi: neq; enim nunc primùm Inclemētia sua de me mentita est, meq; falsis & fictis criminibus onerauit.] *Eiusdem sic alijs*

Lutheri scripta videntur à Diabolo profecta.

Lutherus morā Principibus maledicendi induxit.

Eius in Carolū Cæsarem maledicta

In Regem Ferdinandum.

In Henricum Angliæ Regem

In Georgium Saxoniæ Ducem,

alijs locis meminit: Sttamineus, Papyrace⁹ Tyrannus, Porcus Canis, Dedecus Saxonicæ domus, fur, agreſtis, plenus ſcelere & nequitia, proditor, ſeditioſus latro, de quo nihil honorifice cogitari, dici aut ſcribi queat, meus inclementiſſim⁹ Princeps Georgius, cuius ira ſic me perterruit, vt pænè mihi ventris crepitus erumperet. Reuerendus & doctiſſim⁹ Doctor Dux Georgius, Aſinus ad lyram, impudenter & apertè mendax &c. *Henricum Ducem Brunſuicenſem* ſic deſcribit: Effeminat⁹ et ignau⁹ Nebulo, ſcortator & Adulter, qui merebatur à carnifice interfici: turpiſſim⁹ & deterrimus omniũ, quos vmquam ſol illuxit, qui corã mundo honeſtè Princeps appellari nequit: mille annis quærere debet priusquam vel vnũ pilũ honoris ſui inueniat: tam ſceleratus, vt multi Rotæ ſupplicio afficiãtur, qui vix vnũ alterũq; quotidianorũ eius peccatorũ fecerint: non deberet librum ſcribere, nſi prius ſcropham veterẽ ventris crepitum emittentem audiſſet: tum deberet ore contrà hiante dicere: Gratias tibi, mea Luſciniola: hic tandem Textum pro me inueni: deberet eſſe Eunuchus, & morionis veſtitu indutus, flabellumq; manu tenens mulierũ pudenda cuſtodire ac muſcas inde abigere: crudeliſſimus Mezentius, natura & progenie (*hoc eſt ſicut ceteri quoq; Brunſuicenſes Principes*) ferox & truculentus. *Bauariæ Duces* ab antiquo ſuperbos, inflatos & arrogantes fuiſſe dicit: ſicut & hoc, & ſuperiora maledicta omnia, indicatis libris & paginis, inueniet, qui librum meum *De auctoritate Lutheri eiusq; doctrinæ* Germanica lingua ſcriptum & Grætij typis impreſſum legerit.

In Henricum Ducem Brunſuicenſem.

In totam ſtirpẽ Ducem Brunſuicenſium.

In Duces Bauariæ.

Atque talis cùm fuerit Lutherus, tamen ne audebit Rex eum cum S. Iohanne Baptiſta, quo *maiorem inter natos mulierũ* ſurrexiſſe Chriſtus negat, inuidioſè conferre, eiusq; maledicentiam obſcenitate iũctam, ac neq; in improbiſſimo ſcurra tolerandã, ſobria hui⁹ grauitate tegere ac defẽdere? neq; ſe auctoritatẽ mihi ceterisq; dare animaduetet eadẽ in ipſum verborum contumelia inuehendi, qua in tantos Cæſares, Reges, Principesq; Lutherum invehi ſolitum docuimus? Si enim nihil Luthero ſua ingens conuiciandi libido nocuit, quin eum Rex *ſcriptorem ſuum* adoptaret, & vel cum S. Iohannis laude coniungeret, non videtur certè nobis pertimeſcendum, ne eadem rabie aduerſus Regem pro publica Eccleſiæ cauſa efferari nobis fraudi ſit, & exhauſti pudoris frontisq; perfrictæ reprehenſionem pariat, cum præſertim neq; Rex ipſe imperare ſibi potuerit, vt grauiſſimis in Bellarminum maledictis abſtineret, neq; eum toties *impudentiæ. falſi ac mendacij*, & quidem nullo ipſius merito inſimularet. Sed facilè intelligimus, non eſſe

Rex Anglus Lutherum cum Iohanne Baptiſta comparat.

Regis Angli in Bellarminũ maledicta.

esse nostrum neq; ad Regis,neq; ad scriptoris sui Lutheri exemplum componi, sed potius sanctos Christi Apostolos imitari,eorumq; dicto audientes esse 1. Cor. 4. *Imitatores mei estote,sicut & ego Christi. Maledicimur* (ego ceteriq; Apostoli) *& benedicimus: blasphemamur, & obsecramus.* Roma. 12, *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite male dicere. Nulli malũ pro malo reddentes: prouidẽtes* siue prouidè facientes *bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes &c.* Colos. 3. *Deponite iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.* Tit. 3. *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.*] Itaq; clamet Lutherus, quantum volet, illud ipsum, quod se facturum promittit, *in responsione ad Regis Angliæ Satyram* Tomo 6. Ger. witt. fol. 448. §. 2. & Tom. 3. Ger. Ien. fol. 331. Doctrina mea debet clamare & verberare: hic modo nullam mihi Deus det patientiam aut mansuetudinem: hic dico: Non, non, non, quamdiu spiro, vt Cæsari Regibus, Principibus, Diabolis & quibuscumq; ilia rumpantur] Sic, inquam clamet licet, seque à Deo ad maledicendũ rapi, idq; sibi gloriç ducere vociferetur, frustrà vt hoc ei credamus Rex noster laborabit. Maior & Sanctior nobis est Iacobi Apostoli, quam omnium Iacoborum Regum auctoritas, neq; eius epistolam Luthero *stramineam* videri quicquam moramur. Itaq; studemus, tametsi non satis id assequimur, vt ad hanc Iacobi doctrinam velut ad normam actiones nostras dirigamus. *Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conseruatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si Zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris: nolite gloriari, et mendaces esse aduersus veritatem* (quasi dicat. Nolite dicere. Hæc mea gloria esse debet, quod sim conuiciator in Papistas, et Deus sic me rapit) *Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis Diabolica. Vbi enim Zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus prauum. Iacob. 3.*

Catholici quales esse velint.

Serenissimum

Sereniſſimum Angliæ Regem, alioquin oculatiſſimum ac prudendiſſimum, hac vna in re, quam vobis ſuadet, omninò cæcum, eiusq; Conſilium perabſurdum eſſe, ac prorſus communi ſenſu carere.

CAPVT. XXI.

QVONIAM igitur Regem à vobis pro viro bono & amico veſtro haberi adeò non impedio, vt vltrò etiam omni ſuſpicione eum exſoluerim: reliquum nunc eſt, vt quod de Prudentia ejus & intelligentia, dicturum me recepi, tandem perſoluam: Si quidem Regi plus de illa, quàm de Candore atq; Amicitia, curæ fuiſſe intelligo. Sed hoc loco primum omnium teſtor, nequaquam id mihi eſſe propoſitũ, vt literarũ, ingenij ac doctrinæ laudẽ Sereniſſimo Regi adimã, quẽ ego ijs nominib⁹ tanti facio, vt plurimũ ſæculo noſtro de hoc tanto ornamẽto gratulandũ putẽ. Sed neq; Prudẽtiæ, cujus in regẽdis conſeruandisq; regnis ac rebuspublicis vſus eſt, expertem videri poſtulo. nam tantam ei huius virtutis laudem tribuendam cenſeo, vt ſicut eum erudiſſimo Imperatori Iuliano τῷ παραβάτῃ nihil literis & politiori humanitate concedere exiſtimo (alia enim eius Imperatoris non attingo, neq; Regi comparationis inuidia moleſtiæ eſſe volo) ita neque *Pharaoni* illi Aegyptio, de quo in Exodo fit mentio, ad rationem atq; prudentiam gerendæ & conſeruandæ reipub. parem facere dubitem. Ac ne cui ſimilitudine vti videar, quæ vel vtroq; pede claudicet, vel omninò pedibus capta ſit (quod in Bellarmino Rex deprehendiſſe ſe credit) adductis parumper ſcripturæ verbis, quàm hic noſter Pharaonem reddat, manifeſtum vobis faciam. *Surrexit Rex NOVVS ſuper Aegyptum, & ait ad populum ſuum: Ecce, populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur &c.* Quis non eandem in hoc Nouo Rege ſapientiam animaduertat, quo loco Regibus, Principibus ac Rebuspublicis auctor eſt, opprimendi Cleri ſiue Eccleſiaſticorum? *Quod ſi* (inquit) *potentiſſimus quisque veſtrum altè ſerioque recogitet, pæne tertiam partem populi ſolique veſtri Eccleſiæ dicatam eſſe: nonne illius, quæſo iacturæ ſenſus animos veſtros percutiet, quæ tantum hominum fundorumque veſtro iuri ſubtrahat, vt vbique Pontifici*

Rex in primis cupit pro intelligente haberi.

Rex Iuliano Apoſtata in quib. rebus ſimilis.

Comparatio Regis Angliæ cum Pharaone. Primus pes ſimilitudinis.

Secundus pes.

Coloniæ prouinciæq; constituantur? Est tamē adhuc iliud, quo nihilo eidem Pharaoni dissimiliorem se noster probat. Cum enim summi Sacerdotes Moyses & Aaron ingressi ad Pharaonem dixissent: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt mihi sacrificet in deserto.* Pharao statim, qua erat scilicet perspicacia, eos OTIO abundare animaduertit. Respondit igitur: *Vacatis otio, et iccirco dicitis: Eamus et sacrificemus Domino.* At enim eodem prorsus modo Rex noster cultum, quem nostri clerici ac Monachi Deo exhibent, OTIVM interpretatur, velut ex verbis ipsius supra cap. X. constitit. Hoc amplius, indignum putauit ille, Moysi *Deo suo* (sic enim loquitur Deus ad Moysen Exod. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron erit propheta tuus*) eiusque Prophetæ obedire, quod scilicet populum Israël suum seruum esse, crederet, neq; quemquam se superiorem agnosceret. *Nescio Dominum,* inquit, *& Israel non dimittam* Exod. 5. similiter hic noster, Catholicæ Religionis exercitium Anglis suis non permittit, *neq; se Pontifice,* quem Deus, ipsius Deum, siue Pastorem ac magistratū constituit, *vlla ex parte inferiorem ducit.* Præterea Pharao, vt miraculi à Moysis Prophetà Aarone facti diuinitatē eleuaret, per sapientes & maleficos suos simile quiddam patrandum curauit Exod. 7. Eodem pacto Rex Iacobus facturum se minatur, si Pontificis Propheta Bellarminus, aut alij, ad asserendam diuinam, siue à Deo acceptam, Pontificis auctoritatem, quippiam ediderint: *sat certus sum* (inquit Pag. 119.) *nequaquam ex subditis meis defuturos, qui scriptoribus illis, meisq; censoribus fusè copioseque respondeant.* Et hactenus quidem pulchrè ambobus istis populi Dei oppressoribus conuenit, neq; habet, quod hanc Rex Parabolam pedibus captam esse iudicet, quam nos quadrupedem induximus. Faxit modo Deus, ne quintus aut sextus ei pes accedat, quod fiet, si Rex obstinationē Pharaonis imitat⁹ malo tandē leto malè in æternū perièrit.

Tertius pes.

Quartus pes.

Quintus & sextus pes.

Cuius sapientiæ opinionem Regi adimere studeam.

Cum igitur sapientiæ ac Prudentiæ opinionem Regi adèptam cupio, non nisi de illa loquor, quam Apostolus *in mysterio reconditā* dicit 1. cor. 2. id est, veram & germanam sacræ scripturæ interpretationem ac sententiam: *quam,* inquit, *nemo Principum huius sæculi cognouit: nobis autem* (pastoribus ac doctoribus, qui Legatione pro Christo fungimur 2. cor. 5. per impositionē manuū Presbyterij ad mun⁹ illud assumpti 1: Tim. 4. & Act. 13.) *reuelauit Deus per spiritū suū.* Hanc non sibi solū Rex arrogat, sed vobis quoq; eiusdē adsciscendæ & arrogandæ auctor est: quo ego consilio nullū dementius, absurdius, magisq; abhorrēs, homini nō prorsus communis sens⁹ experti in mentē venire posse existimo: non quo vobis S. Biblia non diligentissimè legenda &

Consiliū Regis est absurdissimū

Reges ac Principes deberēt multum S. Biblia legere.

& relegenda esse putem (nam, vt Salomon ait Prouerb. 25. *Gloria Dei est cælare verbum* suamq; sapientiam in mysterio recondere, *et gloria regum est inuestigare sermonem*, & à Sacerdotibus non ipsum modò scripturæ textum ac volumen, velut Deuter. 17. 18. iubentur, sed verum quoque sensum & interpretationem exquirere. Aggæi 2. *Interroga Sacerdotes Legem* Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam* in mysterio reconditam. *& Legem requirent ex ore eius, quia Angelus* seu Legatus *Domini est*) Sed quia Rex tantum sibi sumit, vt non modò quia Græce ac Latinè scit, continuò omnia scripturæ mysteria sibi aperta, plana & perspicua esse putet (nam disertim de Apocalypsi dicit Pagina 74. eam omnibus sanctis Patribus, ac Doctoribus obsignatam fuisse, & nihilominus eius aperiendæ & interpretandæ peritiam de se pollicetur) verum etiam vobis, quos adhuc cæcos putat, suam Ducis ac magistri operam profiteatur, vt nempe sic fides constet Christi verbis Illis : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*. Matth. 15. Loquor autem de illo Cæcitatis genere, quod *Hypocritis montem Sion oppugnantibus*, hoc est Hæreticis Christianos quidem se perhiberi volentibus, sed veræ tamen Ecclesiæ Christi inimicis Deus comminatur apud Prophetam Isai. 29. *Miscebit vobis Dominus spiritum soporis, claudet Oculos vestros : Prophetas* siue Theologos *& PRINCIPES vestros, qui vident visiones* (qui Visiones Apocalypseos se videre putant & alijs etiam interpretari conantur) *Operiet. Et erit vobis visio omnium* (siue, scriptura Prophetica) *Sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent : Lege istum : & respondebit, Non possum, signatus est enim. Ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo : peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur*, hoc est, faciam, vt Principum alioquin doctissimorum & prudentissimorum in sacra scriptura interpretanda stuporem nemo satis mirari possit. Hoc ipsum apud Iobum spiritus sanctus eis futurum denunciat. Iob. 5 & 12. *Apprehendit Deus sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat* (cuiusmodi est hoc Regis nostri consilium, quo vobis Pastorum vestrorum spernendorum auctor est) *Perdiem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie*, hoc est, etiam in illis scripturæ locis, quæ luce meridiana clariora sunt, nihil prorsus intelligent. *Immutat Deus cor PRINCIPVM populi terræ, & decipit* (siue propter eorum superbiam decipi permittit) *eos, vt frustrà incedant*

Sed verum sensum à sacerdotibus discere.

Rex Anglus se omnibus sanctis Patribus præfert in Biblijs intelligendis.

Hæretici Principes sunt cæci, neq; S. Biblia intelligunt.

cedant per inuium, siue, *itinere non trito*, vt Ier. 18. loquitur, aut vt nouis scripturæ interpretationibus subscribant. *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quasi ebrios.*] Quod autem Rex huiusmodi prophetiarum fidem consilio isto suo impleuerit, idque vobis suaserit, ex quo eum oculis pariter, ac mente captum esse quiuis perspiciat, id ego me ex ipsis sacræ scripturæ verbis tam planum, vel potius tam expressum, tamque perspicuum & euidens facturum recipio, vt quemadmodum Isaias loquitur Cap. 29. vel *surdi verba Libri audiant, & cæcorum Oculi de tenebris & caligine videant.* Vos modò, Augustissimi & Serenissimi Dij terræ, *attendite, & inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in PARABOLIS os meum loquar: propositiones occultas ab initio.*

Regis Angliæ stupor incredibilis diuinitus ei immissus.

CAPVT XXII.

PARABOLA PRIMA.

Ecclesiæ cum Corpore humano similitudo.

ECCLESIA siue cætus Christianorum in terris militantium est *Corpus* (velut ipse quoq; Rex pag. 138. confitetur) cui Christus terram relinquens, suo loco CAPVT dedit, Pastores & Doctores, siue ordinem Ecclesiasticum. *Anima* huius corporis & spiritus vitalis, quem vniuersa membra trahunt est Religio Catholica, cum sua triplici, quam vocant, facultate, Fide, spe & Charitate. Hæc anima est tota siue integra in omnibus membris. *Brachia & Manus*, sunt Reges ac Principes sæculares, quia totum corpus alunt, & ab eo, quæ sunt noxia, gladio ferreo, siue sæculari potestate depellunt, ad capitis nutũ atq; imperium. Membra capitis sunt, vt *Oculi*, qui nempe vident verũ scripturæ sensum: *Aures*, siue Audientes, quid in ipsis loquatur Deus, qui rerũ occultarũ reuelationes habẽt: *Os* in quo Deus verbũ suũ posuit, qui nempe docent siue Prædicant: *Nasus*, qui discernunt spiritus & probant vtrum ex Deo sint: *Vertex*, qui præest, & cui totum corpus subiectum est. Ei vertici binæ coronæ sunt impositæ, altera ex Auro, altera ex Argento, ad significandam duplicem potestatem, spiritualẽ scilicet & sæcularem, siue Sacerdotium & Regnum. Itaq; duplicem quoq; habet *Gladium*: alterum, qui de ore exit, qui est gladius spiritus siue Verbum Dei, quo caput occidit & manducat: alterum, qui accingitur super femur, & in manibꝰ portatur, hoc est, à magistratu sęcu-

lari

lari exercetur,ad vindictam eorum,qui nec audire, nec subiacere volunt. *Vestis* huius corporis exterior & in omnium oculos incurrens, est triplex: *Decor*, siue sanctitas morum: *Fortitudo* siue magna potentia & in specie quidem potestas ac dominium rerum secularium:postremò *Varietates*, siue variæ artes ac disciplinæ,de quibus proxima parabola commodior erit disserendi locus. Hæretici,qui ex Ecclesia exeunt vel eijciuntur, sunt velut alui excrementa, & Hæresis est velut helleborum,antimonium,aut aliud violentum catharticum medicamentum,&Hęreticorum conuenticula nihil aliud sunt,quam Latrinæ seu reliquiarum & effusorum receptacula. Hæc omnia iam sigillatim sacræ scripturæ verbis docebo.

Ephes. 1. Christum Deus dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. *Ecclesia corpus Christi.*

Ephes. 4. Obsecro vos,vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis,cum omni humilitate & mansuetudine,cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.Vnum corpus & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus,vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ascendens *nempe Christus* in altum,dona dedit hominibus. Et alios quidem dedit Apostolos,quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij,in ædificationem corporis Christi,donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes(*siue veræ doctrinæ consentaneum*)in charitate, crescamus in illo per omnia,qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis(*siue,subministrato Spiritu*) secundum operationem(*Dei*) in mensuram *& iuxta rationem* vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate] Horum verborum summa est, vt sint inter se concordes,velut eiusdem corporis membra : hoc futurum,si humiliter suis Præpositis siue Pastoribus subiaceant & obediant, tamquam ijs,quos Christus suo loco caput Ecclesię, vel capitis membra fecerit, vt illis sua dona, quæ acceperunt, in cętera membra diffundentibus,ædificetur & augmentū sumat corpus Christi,& non

Omnes Christiani vere habent vnum Spiritum & vnam fidem.

Diuersas autē habent functiones.

Omnes Christiani Episcopis,vt Capiti, subesse debent.

destruatur à falsis Doctoribus. quamdiu enim membra cum capite suo coherent, eiusq; influxum recipiunt, & suo quodq; munere fungitur, crescit & augetur. Cùm ergo Christus Ecclesiæ suæ caput & Pastor (de quo prædictum fuerat *Ezech.34.* suscitabo super oues meas Pastorem VNUM, qui pascat eas. *Et Ezech.37.* seruus meus Dauid Rex super eos & Pastor VNUS erit omnium) in altum adscendens suo loco quosdam constituerit, qui caput & Pastores essent, in primisque VNI dixerit: *Pasce oues meas, confirma fratres tuos* &c. (quemadmodum cum Deus populi Hebræi caput esset, Regē tamen cōstituit, qui caput foret. 1. Reg. 15. *Vnxit te Dominus in Regē super Israel, & CAPUT in tribubus Israel factus es.* Psal. 17. *Constitues me in caput gentium, subdes populos sub me.* Isai 1. *A planta pedis vsq; ad VERTICEM non est in eo populo sanitas. Omne* seu totum CAPUT *languidum.* Vbi CAPUT sunt Principes, de quibus mox: *Principes tui infideles.* Horum Vertex est Rex) cum igitur Christus Ecclesiæ caput & verticem suo loco dederit: oportet vt quicumque membra corporis & oues ouilis Christi esse volunt, huic capiti suo non minùs, quàm ipsi Christo, subsint, & cum Pastoribus vnitatem Spiritus in vinculo pacis cum omni patientia & humilitate seruent, siquidem ipsius Christi Spiritus, eiusdem Christi verbum, per huius capitis & horum Pastorum os loquitur. *Matth.10.* Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris mei, qui loquitur in vobis. *Iohan. 14. & 16.* Spiritum Veritatis mittet vobis Pater: ille vos docebit omnia & suggeret omnia, quæcumque EGO dixero vobis. Ille manebit vobiscum in æternum (ad consummationem vsque sæculi, Matth. 28. *non modò donec vos Apostoli viuetis*) & in vobis erit. De meo accipiet, & annunciabit vobis. *Luc.10.* Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. *Iohan.13.* Amen, Amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit, 2, *Cor.13.* An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? 1, *Thess.4.* Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis, *Isai. 59.* Cùm venerit Sion redemptor eius. hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te (*Christe*) & Verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui (*Apostolorum*) neque ab ore seminis tui (*Episcoporum*) à modo & vsque in sempiternum] 2. *Cor.5.* Deus erat in Christo (*loquens, cùm ipse Christus adhuc interris Caput & Pastorem ageret*) & posuit in nobis verbum reconciliationis (*postquam in cœlum adscendit*) Pro Christo ergo Lega-

Vnus Pastorum est velut Vertex capitis, cui etiā caput subest.

Spiritus Christi, loquitur verbum Christi per os Capitis.

Spiritus ille nūquam aufertur ex ore Capitis.

Legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.] Ac propterea passim iubet Apostolus, ceteros Pastoribus siue Episcopis subiectos esse, obedire, subiacere, credere, non contradicere. *Hebr. 13.* Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, *tamquam membra capiti.* Ipsi enim peruigilant, tamquam rationem reddituri pro animabus vestris. 1. *Thess.* 5. Rogo vos, vt noueritis eos, qui laborant inter vos (*verbo scilicet & doctrina*, 1. Tim. 5.) & qui Præsunt vobis in Domino, *seu loco Domini.* Pacem habete cum eis, *id est, non contradite illis, sed obedite velut capiti.* 1. Cor. 16. Obsecro vos, ut subditi sitis omni cooperanti & laboranti, *nempe in verbo & doctrina.* Cui autem quis est subditus, illius caput est. *Ephes. 5.* Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino (*id est, habeant viros pro capite loco Dei, qui omnium hominum caput est*) quoniam Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Et Ecclesia subiecta est Christo] Itaque nemo iam est, quin videat, eos qui præsunt in Domino, siue Præpositos, siue Episcopos, *quos Spiritus sanctus posuit* REGERE *Ecclesiam* (Act. 20.) rectè dici caput Ecclesiæ, cùm eis Ecclesia subdita & subiecta esse, obedire ac subiacere, & pacem cum illis habere iubeatur 1. *Cor.* 14. Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt. Non est enim dissensionis Deus, sed pacis] Ergo is habet pacem cum Episcopo seu Pastore, qui ei subiectus est, siue non contradicit, sed cum omni humilitate & silentio credit. Nam ibidem dicit Apostolus: Mulieribus non permittitur in Ecclesiis loqui, sed subditas esse] 1. *Tim.* 2. Mulier in silentio dicat, cum omni subiectione] *Rom.* 10. Non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credit auditui nostro?] Ergò obedire est credere, non contradicere. Itaque Rom. 16. dicit, *Euangelium patefactum ad auditionem fidei.* Et ibidem: Obedientia vestra in omnem locum diuulgata est. *hoc est, vt Rom. 1. dixerat,* Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.] Cùm ergo iubemur Episcopis obedire, subditi & subiecti esse, pacem cum illis & vnitatem habere, mandatum accipimus, eis credendi, bonum, verum & diuinum esse, quicquid ipsi scripturę sacrę consentaneũ esse dicunt: eaque subiectione illos caput nostrum esse ꝓfitemur, verorumq; Membrorum officium facimus, quod hoc ad Ephesios loco Apostolus præscribit, quemadmodum & *Colos.* 2. Inflatus sensu carnis suæ non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratũ & constructũ crescit in augmentum Dei.] Sin autẽ aliter faciamus, hoc est, si Episcopis, vt capiti subesse, subiacere & obedire

Reliqua membra Capiti subiacere debent. Nam caput vigilat.

Oportet pacem habere seu subditũ esse ijs qui præsunt.

Capiti oportet subditum seu subiectum esse sicut Domino.

Oportet obedire, credere, non contradicere Episcopis.

Quantum mali faciant, qui non obediunt Episcopis, vt Capiti.

obedire siue credere sensuque carnis nostrę & proprijs opinionibus inflati tenere caput nolimus, sed de sensu & intellectu scripturæ eis contradicamus & resistamus, tum non gerimus nos velut membra vnius eiusdem corporis & eodem Spiritu prædita, sed schismati causam præbemus, & ædificationem atque augmentum corporis impedimus. Nam Episcopi, velut Caput, duos habent Gladios *ad vindictam* siue inobedientium pœnam. Vnus est *gladius Spiritus, qui est verbum Dei* (Ephes. 6.) qui ex ore Christi & consequenter Episcoporum exit (nam Christi verbum in ore Episcoporum positum esse modò didicimus.) Apocal. 1. *De ore ipsius gladius vtraque parte acutus exibat.* Et altera quidem parte interficit ad internecionem pertinaces; ex altera verò ad salutem eos, qui pœnitentia erroris ducuntur. *Isai. 51.* Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vsque ad internecionem, nec deficiet panis eius.] Hac gladij parte interfecit Paulus incestuosum illum *1. Cor. 5.* Iam iudicaui eum tradere Satanæ in interitũ carnis (*vt occidatur in eo caro seu peccatũ carnis*) vt Spiritus saluus sit in die Domini nostri] Alterâ verò occidit Hymenęum, Philetum & Alexandrum, *quos* (inquit, 1. Tim. 1.) *tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* id est, gladio Spiritus abscidi eos à corpore Ecclesiæ, siue excommunicaui & condemnaui, vt eorum exemplo alij deterreantur à blasphemando, siue Pastoribus contradicendo, cum ijsque litigando, & Spiritum Dei in illis loquentem mendacij arguendo, quæ est blasphemia. Quantum porrò ex 2. Tim. 2. & 4. coniectura possumus assequi, in eum tres isti errorem inciderant, vt resurrectionem mortuorum futuram non putarent, omniaque scripturæ loca, quę mortuos reuicturos dicunt, allegoricè de iustificatione siue resurrectione animarum à peccatis, aut etiam de Synagogæ iam mortuę resuscitatione interpretarentur, cùm Deus ipse illam Ezechielis visionem de ossibus aridis, quæ reuixisse videbantur, sic interpretari docuerit, Ezech. 37. Itaque valdè Paulo restiterunt, cumque is more suo sententiam suam ex scripturis probaret, huiusmodi allegoria conatum eius eluserunt. Iam quem putabimus huius controuersiæ iudicem fuisse? Respondebunt Lutherani, vt solent, ipsam scripturam. Sed iam nos ex ipsius scripturę verbis didicimus, Paulum velut Iudicem condemnationis sententiam in istos, qui ei se submittere & scripturæ sensum ab eo discere nolebant, tulisse, velut in læsæ Maiestatis reos. nam & Iudas in epistola sua, de Hęreticis hoc ipso sensu dicit, *eos Maiestatẽ blasphemare,* siue *blasphemare ea, quæ non intelligunt.* Nam interpretatio scri-

Gladius Episcoporũ, quo inobedientes puniũt, duplex.

Gladius spiritualis vtraque parte acutus.

Qui Episcopis contradicunt, sunt blasphemi.

Pauli Apostoli cum Hæreticis controuersia de resurrectione mortuorum.

Paulus fuit simul pars litigans & Iudex.

pturæ,

pturæ, quam Episcopi docent, est ipsius Spiritus sancti vox, omnia eis suggerentis. Itaq; Heretici eam nõ intelligẽtes & improbantes, ipsum Spiritum sanctum contumelia afficiunt. Quemadmodum igitur sęculares quoq; Reges, Maiestatis suæ læsę reos ipsi condemnant, simulq; Partis & Iudicis munus obeunt (nam Consilium vel ParlamẽtumRegis locum tenet) similiter Episcopi *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam* (Act.20.) eos, qui Maiestatem ipsorum blasphemant, sua sententia rectè condemnant. Ac ne Lutheranis id nouum & iniquum videatur, Deus ipse apud Isaiam hoc seruis suis hereditariũ ius tribuere se dicit, vt suorũ sint Aduersariorum Iudices. Isai. 54. Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas & proferẽtem vas (*siue, instrumentũ*) in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum, *id est, ego permitto surgere Hæreticum, qui falsam scripturæ* interpretationem comminiscitur, eaque velut gladio acuto aut sagitta simplices & credulos interficit. Hoc vas *Isai.* 32. sic explanat: Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in sermone mendacij] Itaq; Zach. 11. vocantur *vasa Pastoris* siue Doctoris *stulti*, hoc est, eos, qui suũ Spiritum in scriptura interpretanda sequitur, cùm legitimè missus non sit, neq; Spiritum Dei *per impositionem manuũ Presbyterii*, vt ait Paulus 2. Tim. 1. acceperit. *Ezech.* 13. Vę Prophetis insipientibus, *siue, Pastoribus stultis*, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident, cùm Dominus nõ miserit eos.] Hos ipsos describit Paulus *Rom.* 16. Qui dissensiones & offendicula faciunt contra doctrinam, quam vos Romani didicistis, & ventri suo seruiẽtes per dulces sermones & benedictiones, *id est, per falsas, sed in speciẽ plausibiles scripturæ interpretationes* seducunt corda innocentiũ, *seu credulorũ* Prou. 14. Innocens credit omni verbo.] *2. Pet. 3.* In Pauli epistolis sunt quędam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, *siue, perperã interpretantur*, ad suam ipsorũ perditionem, *& simpliciũ quoq; illorum, qui se ab ijs non custodiunt*, ne insipientiũ *seu stultorum Pastorũ* errore traducti excidant à ꝓpria firmitate] *2. Cor.* 4. Non sumus sicut quidam ambulantes in astutia & adulterantes verbũ Dei, *per falsas interpretationes*. Itaque astuta verba Dei adulteratio & falsa interpretatio est *Vas* siue Gladius aut sagitta Fabri, siue Hęretici, simplicibus & credulis cædẽ machinantis. *Iob.* 5. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie, *id est, astuti Hæretici etiam clarissima scripturæ verba non intelligent* Porrò saluum faciet Deus egenum à gladio oris eorum, *siue, liberabit à falsa Hæreticorum doctrina*. Psal. 58. Ecce loquentur in ore suo, & gladius

Reges sunt simul pars & Iudices.

Episcopi sunt Reges Ecclesiæ.

Rectè ergo sunt aduersariorum suorum Iudices.

Vasa siue instrumenta Hæreticorum.

Falsæ ac plausibiles scripturæ interpretationes.

Falsa scripturæ interpretatio est gladius in ore non Episcoporũ, sed Hæreticorũ.

dius in labijs eorum. *Psal.56.* Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus: laqueum parauerunt pedibus meis. *Psal.63.* Proteges me à conuentu malignantium, qui exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt arcum, vt sagittent in occulto simplicem: firmauerunt sibi sermonem nequam. *Psal.139.* cogitauerunt iniquitates in corde: acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labijs eorum: cogitauerunt supplantare gressus meos, absconderunt laqueũ mihi.] *Laqueus* porrò nihil est aliud, quàm Verba scripturę falsò interpretata, siue à Pseudoprophetis astutè adulterata. Ita Paulus de Iudæis ait Rom.11. *Factam esse eis mensam* seu cibum eorum *in laqueũ, in captionem, in scandalum,* id est, vt ipse interpretatur, *obscuratos esse oculos eorum, ne videant,* neq; scripturas de Messia loquentes intelligant, quia scilicet Scribæ eorum verum scripturæ sensum eis non aperuerunt, & *in scientiam volentes intrare prohibuerunt,* vt Christus ait Luc. 11. Itaque tametsi scripturas scrutarentur, & in ijs, velut in mensa Dei, panem vitæ siue vitam æternam inuenturos se sperarent, quia tamen à scribis didicerant, verba scripturæ, de Messiæ regno, copijs, opibus & splendore sęculari vaticinantia, statim sub aduentum eius impleri oportere, nulla pręmissa cruce aut passione, illis ipsis scripturæ verbis velut laqueo capti fuerunt, vt in Christi humilitate scandalizarentur, neq; eum Messiam esse crederent. Similibus laqueis quondam in Iudaico populo Pseudoprophetæ vtebantur, qui Dei promissiones, Abrahæ, Dauidi & Salomoni de populi & Templi conseruatione perpetua factas, sic interpretabantur, vt eas absolutè & sine vlla conditione aut pacto factas dicerent, neque peccatis populi irritas reddi posse persuaderent. *Ierem. 5.* Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. *quomodo?* Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis. *Oseæ 9.* Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias populi.] Est ergò Laqueus idem, quod Gladius, siue vas Hęretici, Fabri & Interfectoris, Verba nempe sacræ scripturę adulterata, deprauata, seu falsò interpretata:

Eadem quoque est Laqueus.

Quomodo sacra scriptura fiat alicui in Laqueum.

Iudaicus populus olim Pseudoprophetarum laqueo captus.

CAPVT XXIIII.

Episcopi sunt suorum aduersariorũ in Concilio iudices.

QVOD autem Episcopi cum Hæreticis de vero scripturę sensu disceptantes, eorum Iudices esse debeant, superiori Isaię loco ita Deus docere pergit: Omne vas, quod fictũ est contra te, nõ dirigetur,

tur,& omnem linguam resistentem tibi in iudicio,iudicabis. Hæc est hereditas seruorum Domini,& iustitia eorum apud me, dicit Dominus.] Hoc ipsum quoq; Isai.28.sic eisdē promiserat: In die illa erit Dominus corona gloriæ & sertum exultationis residuo populi sui (*id est, tempore Euangelii Dominus gloria & exultatione populum suum coronabit*) & Spiritus iudicij erit sedenti super Iudicium, *id est,dabit Episcopis Spiritū suum quo iudicent & puniant linguas sibi resistentes.* Itaq; Paulus Tit.1. duplicem Episcopo potestatem tribuit: *Exhortari in doctrina sana, & contradicentes,inobedientes, vaniloquos & seductores,* siue scripturam falsò & aliter,quàm Episcopi,interpretantes,*arguere.* Vtrumq; autē fieri cum omni imperio debere sic Tit.2. docet:*Hæc loquere,& exhortare & argue cum omni imperio.* Et hac duplici de causa Timotheum Ephesi Episcopum constituit.1.Tim.1.primùm *vt denunciaret quibusdā,ne aliter docerent,*hoc est,vt scripturam falsò interpretantes docere ꝓhiberet: deinde *vt omnes reprimeret ab audiendis fabulis & vaniloquiis eorū, qui volebāt esse legis doctores,cum Legem tamen non intelligerent.* quod Tit.1. aliis verbis sic interpretatur: Increpa illos durè,vt sani sint in fide, nō intendētes Iudaicis fabulis & mandatis hominum auersantium se à veritate.] De hac potestate sibi ceterisq; Episcopis,velut capiti,secundū mensuram Spiritus Dei, vnicuiq; membro sicut vult gratiam siue charisma metientis,impertita,loquitur Apostolus 2.*Cor.10.* In carne ambulantes, non secundum carnē militamus (*id est,tametsi nos Episcopi homines sumus in facie humiles siue contemptibiles videri,tamen potestatem & gladium quauis humana potestate & imperio maiorem exercemus,ipsis scilicet animis,non modò corporibus & fortunis siue externis bonis imperantes.* Nam arma militię nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum (*id est,ad subyciendos eos, qui suas opiniones falsas multis scripturarum locis munire conantur*) quibus destruimus consilia & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei (*qui ex superbia nolunt Episcopis obedire, nec velut oues à Pastoribus scientia & doctrina pasci, quo fine Deus Pastores dedit,Ierē.3.* &) in captiuitatem redigimus omnem intellectum in obsequium Christi (*cogimus etiā intelligentißimos nostrā scripturæ interpretationē amplecti, velut à Christo ipso in nobis loquente profectam*) & in promptu habemus vlcisci omnē inobedientiam,cùm impleta fuerit vestra obedientia.] Hic est gladi⁹ Spiritus,quo Episcopi velut Magistratus vtuntur ad Vindictā eorū,qui nolunt ipsis obedire. Nihilomin⁹ adhuc aliū gladiū,aliamq; potestatē Episcopis datam esse, ad vlciscēdos inobediētes,sic statim significat:&si ampliùs aliquid gloria-

Sedentes super iudicium habēt Spiritum iudicij.

Episcopi potestas.

Episcopus habet omne imperiū in aduersariū.

Arma Episcoporum qualia?

Non imbecilla, sed potentissima.

Gladius Spiritus.

tus fuero de poteſtate noſtra, q̄ dedit nobis Domin⁹ in ędificationē, & nō in deſtructionē veſtram, nō erubeſcam] Hic loquitur de Virga ferrea, ſiue de materiali gladio, quē Chriſtus à Patre acceptū (velut mox docebo) Paſtoribus porrò dederat, velut capiti ex eorū nutu, Manûs ſiue ſęcularis Magiſtratus opera diſtringendū, velut Pſal. 149. prędictū legimus: Exultationes Dei in gutture eorum (*hic eſt gladius Spiritus, ſeu verbū Dei ex ore, ſiue capite exiens*) & Gladij ancipites in manibus eorū, ad faciendam vindictam in nationibus, *capiti ſcilicet ſiue Paſtori non obedientibus*. Sed de hoc paulò poſt. Hunc illud aduertamus licet, ꝙ dicit Apoſtolus, ſe poteſtatē quidem huius Gladij habere, ſed eo ꝓpterea non vti quia *Corinthiorū obedientia nondū erat impleta*, hoc eſt, neq; omnes Corinthij fidē Chriſti receperant, & eorū, qui iam Chriſto nomē dediſſent, pleriq; adhuc imperfecti, carnales & in fide pueri erant. Itaq; apud vtroſq; intempeſtiuus fuiſſet eius poteſtatis vſus. nam neq; horū imbecilla fides ac ſcientia creuiſſet, & illi vi potiùs humana, quàm veritate & Dei virtute, Chriſtianam fidē ꝓpagari credidiſſent, ꝙ fuiſſet *crucē Chriſti euacuare* & gloriam Dei minuere, *cui per ſtultitiā prædicationis placuit ſaluos facere credentes*, velut 1. Cor. 1. ſcriptū eſt. Impediuiſſet ſcilicet ſęcularis poteſtatis vſus ædificationē corporis Chriſti tū primùm cœptam. Ea igitur Paulus Epiſcopis minimè vtendum cenſuit: tametſi eius rei plures cauſas habuit, quas infrà exponam.

Gladius materialis.

Quare Apoſtolus poteſtate ſæculari non fuerit vſus.

CAPVT XXIV.

ROM. 12. Dico omnibus qui ſunt inter vos. Nō plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuiq; ſicut Deus diuiſit menſuram fidei (*hoc eſt, ita ſapite, ſicut iubet diſtributio diuerſorum officiorum quam Deus fecit per fidem ſiue Religionem Chriſtianam, Eccleſiæ Animam*) ſicut enim in vno corpore multa membra habem⁹, omnia autē membra non eundē actum habēt: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autē alter alterius membra: habentes donationes ſecundū gratiam, quæ data eſt nobis, differētes: ſiue Prophetiam, ſecundum rationem (*ſeu conformiter*) fidei: ſiue Miniſterium, in miniſtrando: ſiue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in ſimplicitate: qui PRÆEST, in ſolicitudine: qui miſeretur, in hilaritate] *Præeſſe* eſt capitis ſiue Epiſcoporum. 1. *Tim.* 5. Presbyteri qui præſunt, *hoc eſt, Epiſcopi*, duplici honore digni habeantur. *Sic* 1. *Theſſ.* 5. Noueritis eos, qui Præſunt vobis in Domino.] Hos Præpoſitos vocat

Vnumquodque membrū debet ſuo munere cōtentum eſſe.

Epiſcopi acceperunt officium, vt præſint.

cat *Heb. 13.* Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, *sicut capiti corpus totum subiacet.* Qui caput non sunt, ij non debent vsurpare sibi officia, quæ sunt capitis & membrorum eius propria. Verbi gratia non debent hoc sibi sumere, vt prophetent siue scripturas interpretentur [nam hoc ait Lutherus esse *Prophetare*, in glossa Bibliorum 1. cor. 14.) neq; vt doceant, siue prædicent, quia non omnia membra eundem actum habent, sed suum quoq; munus accepit, quod obeat oportet. Aliter si facit, sapit plusquam oportet sapere, siue, superbia inflatur *1. Tim, 6.* si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus (*quos docet Episcopus*) superbus est, nihil sciens, sed languens. &c. Ac propterea, nisi resipiscat, velut membrum putridum, vtroq; gladio à corpore præciditur, ne ceteris scilicet membris contagio eius noceat, velut mox pluribus disputabitur.

Laici non debēt munus Ecclesiasticorum inuadere.

1. Cor. 12. sicut corpus vnū est, & mēbra habet multa, omnia autem mēbra corporis cum sint: multa vnū tamē corpꝰ sūt: ita & Christꝰ *siue Christi Ecclesia.* Etenim in vno *siue eodē* spiritu omnes nos in vnū corpꝰ (*siue, vt simus vnum Corpus*) baptizati sumꝰ, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi. Nam & Corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de Corpore: num ideò non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sū oculꝰ nō sū de corpore: nū ideò nō est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodq; eorum in Corpore sicut voluit. Quod si omnia essent vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non potest autem Oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum CAPVT pedibus: Non estis mihi necessarij. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt. (*hoc est, vt Regis nostri scriptor Lutherus totidem verbis explanat in Colloquijs Islebiensibus de Doctis fol. 529. b. In facie sunt honestissima membra, & tamen Latrinam siue Nasum ori impositam & Oculis subiectam esse oportet. Potest homo vitalis esse etiam Oculis, ore, manibus pedibusq; captus: sed sine culo viuere nullus mortalis potest*) & quæ putamus ignobiliora membra esse Corporis, his honorem abundantiorem circumdamus (*siue, ea diligentius vestimus*) & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent(*à vestitu*) Honesta autem nostra nullius egent (*honoris ex vestitu*) sed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem (*vestiendo*) vt nō sit schisma in corpore, (*vt hæc illis non inuideant neq; eo-*

Omnes baptizati acceperūt Spiritum Christi, & sic Ecclesiæ membra facti sunt.

Lutheri honesta scriptura interpretatio.

rum partes inuadant) ſed id ipſum pro inuicem ſolicita ſunt membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro (*ſiue vt eſt in Græco*: & membra ex parte, *id eſt, ſuo quisque loco*) Et alij quidem membro datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alteri fides (*excellens & magna, ſicut muliercula illius Cananea Matthei 15. & centurionis, Matthei 8. 10. qua perpetrantur miracula*, 1. Corint. 13. 2.) alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum: alij Prophetia: alij diſcretio Spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Has omnes gratias operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis pro vt vult.] *Et infra*: Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes *ſeu miracula*, deinde gratias curationum, opitulationes (*Syriace*: Adiutores, *qui ſunt ſæculares Magiſtratus, de quibus Iſai. 60. ſcriptum: Reges eorum miniſtrabunt*, ſiue vt miniſtri adſtabunt *tibi*) Gubernationes (*Presbyteros, qui Præſunt, ſiue Epiſcopos*) genera linguarum, Interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?] His diſcimus, in Eccleſia alia membra alijs honeſtiora & inhoneſtiora, ſiue magis & minus honoratata officia ſortita eſſe, non minus tamen hæc, quàm illa, neceſſariò ad uſum corporis requiri. Rex noſter negat, Chriſtum ſuo loco CAPVT Eccleſiæ dediſſe ſed perſpicuis huius loci verbis refellitur. Nam quoſdam in Eccleſia poſitos ait Apoſtolus GVBERNATIONES ſiue Gubernatores, qui PRÆSVNT, vt modò Rom. 12. dixerat. Ad quos eſt eiuſdē Apoſtoli cohortatio *act. 20*. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctꝰ poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: propter quod vigilate] Ecce, dicit eos à ſpiritu gratias ſingulis diſtribuente accepiſſe Epiſcopatū ſiue donū gubernandi, paſcendi, regendi: & eorū officiū eſſe *Attendere*, ſiue oculos apertos & intentos habere, & *Vigilare*: quæ qui capitis munera eſſe negat, ipſe profectò caput & cerebrū non habet. Scriptura quidē *Regem, Fundamētū & caput* pro eodem vſurpare ſolet, vt *Habac. 3*. Percuſſiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentū eius usq; ad collum: maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorū eius] *Pſal. 2*. Ego, ait Chriſtus, conſtitutus ſum Rex *Et Pſalm. 17*. Conſtitues me in caput gentium. *Mich. 6*. Audiant montes iudicium Domini, & fortia Fundamenta terræ *Hoc ipſum Mich. 3. ſic interpretatur*:

Varia munera diuerſis membris data.

In Eccleſia ſunt alia mēbra alijs honeſtiora

Eccleſia habet ſuos Gubernatores ſiue caput cuius officiū eſt regere præeſſe, Vigilare.

Caput, Rex & Fundamentum metaphoricè de eadem re dicuntur.

Audite

Audite Principes Iacob & Duces domus Israël *Isai 31.* Petra eius (*ita Hebraicus textus, et Lutheri versio, pro quo vetus Interpres:* Fortitudo eius) à terrore transibit, & pauebunt fugientes Principes eius] Hoc loco Lutherus ad oram Bibliorum notat, *Petrā siue Fundamētū, idem esse quod Regem* qui etiam comment. Psal. 82. Tomo 3. Lat. Witt. fol. 548. b. scribit: *Quemadmodum Christus appellatur in suo regno lapis angularis, petra & fundamentū Ecclesiæ: ita quilibet Princeps suæ terræ, sui populi fundamentum & Lapis angularis est. Nam hæ sunt figuræ sermonis, quibus scriptura sancta vtitur, vt Reges & Principes vocet Petras & fundamenta, quibus tota resp. nititur: sicut Isaias Regem Aegypti vocat Petram populi*] Isai. 7. caput Damasci erit Rasin, *vbi caput Regem significat & ibidem,* Caput Syriæ Damascus *dicitur* pro metropoli aut primaria ciuitate Syriæ, quemadmodum rectè Concilium siue ordo Ecclesiasticus caput Ecclesiæ, & caput Concilii siue Ecclesiasticorum Papa dicitur. Episcopos porro Ecclesiarū Reges & Fundamenta esse, in posterioribus Parabolis demonstrabo. Deinde Apostolus hoc loco de tali CAPITE Ecclesiæ loquitur, quod non possit pedibus dicere : *Non estis mihi necessarij* Sed hoc de Christo falsum est. Aliud ergo Ecclesia caput habet, præter Christum, ab ipso tamen Christo corpori præpositum. Ad hæc commemorat Apostolus *odoratum & auditum,* id est, nasum & aures, itemque oculum. Et *Oculi* quidem sunt, qui uident, intelligunt atq; interpretantur scripturas, quibus datus est sermo scientiæ : de quibus legimus Isai 32. *Non caligabunt oculi videntium,* hoc est, Ecclesia semper habebit sacerdotes, qui rectè scripturas intelligant. Ita Sadoc Sacerdos à Dauide *videns* vocatur 2. Reg. 15. 27. Isai. 34, *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt.* Hic videntes & Angeli Pacis iidem sunt, nempe Sacerdotes. nam *Sacerdos Angelus Domini exercituum est,* Malach. 2. qui scilicet homines peccatores Deo reconciliet. Ita de Hæreticorum Doctoribus dicitur Isai. 29. *Prophetas vestros, qui vident visiones, operiet,* id est, excæcabit eos, qui scripturas intelligere suo Marte volunt. *Aures* porro sunt qui occultas à Deo reuelationes habent. *1. Cor. 14.* siue quis vestrum apocalypsin *seu reuelationem* habet, siue linguam, siue interpretationem, omnia ad ædificationem fiant. *Isai. 32. Aures audientium diligenter auscultabunt,* quid scilicet in eis loquatur Deus. *Act. 26.* Audiui vocem loquentem mihi *Psalm. 84.* Audiam, quid loquatur in me Deus *Psalm. 48.* Inclinabo in parabolam aurem meam, *id est, audiam quale Oraculum per me Deus sit editurus.* Sic enim Lutherus

Ecclesia habet visibilia capitis membra: habet ergo caput visibilia.

Oculi Ecclesiæ non caligant sed semper vident.

Aures Ecclesiæ.

Lutherus Parabolam interpretatur Numeri 23. vbi dicitur propheta Balaam *assumpsisse Parabolam suam, irruente in ipsum Spiritu Dei & Deo verbum ponente in ore eius.* Numeri 12. Si quis fuerit propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum *Iob.4.* Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius, inhorrore visionis nocturnæ, quãdo solet sopor occupare homines. *Iob. 33.* semel loquitur Deus per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines. Tunc aperit aures virorum. *Ezech.3.* Ingressus est in me spiritus Dei, & locutus est mihi *Zach.1.* Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. *Zach. 4.* Et reuersus *siue rursũ in me ingressus* est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me, & dixit. &c.] Sunt ergo *Aures* Ecclesiæ, Prophetæ quibus occulta reuelantur, cuius rei exempla neq; in Nouo Testamento desunt, vt Act. 18.9. & 27.23. & 16.9. & 11.28. & 21.4.9. & 11. & 20. 23. & 1. Thess. 5. 20. *Nasus* Ecclesiæ sunt, qui habent *discretionem Spiritum*, vt hoc loco Paulus loquitur, siue, *qui probant Spiritus* doctorum, *vtrum ex Deo sint,* deq; veris & falsis scripturæ interpretationibus iudicant 1. Ioh. 4. *Os* Ecclesiæ sunt Doctores, *in quibus Deus verbum reconciliationis posuit,* 2. Cor. 5. Itaq; iam alterutrum Rex fateatur necesse est, aut Ecclesiam habere caput adspectabile seu visibile, cum Os, oculos, aures & nasum eius videre possimus: aut eam huiusmodi membra non in capite, sed in alijs corporis partibus, ac fortasse os in dorso, oculos in Manibus, aures in pedibus, & nasum in uentre habere.

Nasus Ecclesiæ.

Os Ecclesiæ.

CAPVT XXV.

Rex Angliæ Oculos Ecclesiæ non in Capite, sed in manibus esse contendit.

AC de ceterorum quidem membrorum sede ipse Rex deinceps viderit. Ego quidem Manus oculatas iam ab eo factas deprehendi. Sic enim ad vos scribit Pag. 139. *Opto vt velitis scripturas perυolutare, ex his credendi normam petere, neq; super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia, Fidei fundamenta collocare: quando Iustus sua fide viuet, & vnusquisq; fit propria fide saluus. Hortor etiam vos, ne quenquam Deo minorem, vobis in vestris ditionibus maiorem esse patiamini.*] Manus ac Brachia Ecclesiæ sunt Reges ac Principes, siue sæculares Magistratus, quos *Opitulationes* siue adiutores hic Apostolus appellat. *Isai 51.* Propè est iustus meus, egressus est Saluator meus, & Brachia mea populos iudicabunt.] Nam hic Magistratus sæcularis significari,

Manus ac Brachia Ecclesiæ sũt Reges ac Principes.

cari, ex his *Psalmi 2.* verbis discimus: Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram, *siue, populos terræ.* Vocantur autem *Brachia*, quia corpus siue Ecclesiam nutriunt, capiti siue Clero cibum præbent, reliqua membra protegunt, & oues Christi colligunt. *Isai 51.* In vmbra manus meæ protexi te *Isai. 49.* Erunt Reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ *Isai 60.* Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Suges (*ore scilicet tuo*) lac gentium, & mammilla Regem lactaberis. Pro ære afferam tibi *per Reges meos* aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs. pro lapidibus ferrũ *Isai 61.* Vos Sacerdores Domini, Ministri Dei nostri, fortitudinẽ gentium comedetis, & in gloria earum superbietis. *Isai 40.* In Brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit] Itaq; rectè hoc loco Paulus dicit: *Non potest oculus* (neq; vllũ capitis mẽbrũ, imò nec totũ caput, aut totus ordo Ecclesiasticus) *dicere Manui: Opera tua non indigeo.* Neque enim caput se totumq; corpus reliquam alere & tueri sine manuũ opera, hoc est, sine sæculari potestate posset. Multo autẽ minus Manus aut Brachia capite capitisq; membris carere possunt, quod tamen Rex persuasum vobis cupit, cum auctor vobis est, vt neminem pro capite habeatis, & ipsi scripturas intelligere, hoc est, cùm Manus & Brachia sitis, munere oculorum fungi, neq; capitis vestri oculis, videre velitis: quod quàm furore & dementia plenum sit, cùm Apostoli tam longa disputatio nobis ostendit, tum etiam Salomon nos docet Eccles. 2. *Oculi sapientis in capite eius. Stultus in tenebris ambulat.* Nimirum cæcum esse & in tenebris palpare oportet, qui cum oculũ ipse non habeat, oculis tamen capitis sui vti non vult, sed oculos se ipsum habere sibi persuadet. Qui autem sapit, capitis sui oculis vtitur, ab eoque regi se sinit. Sapienter ergò vos Catholici Reges Principesq; facitis, cùm velut Ecclesiæ brachia, non ipsi oculorum munus inuaditis, neq; vobis intellectum scripturæ uindicatis, sed simpliciter ei obeditis, quem Christus loco suo *Regem super Sion* siue Ecclesiam *constituit, vt prædicet præceptum eius*, neque quicquam dubitatis, quin fidem in eo seruet Deus, quod se Ecclesiæ *Oculos non caligantes* (Isai. 32.) daturum promisit, hoc est, vt Ierem. 3. explanar, *Pastores iuxta cor suum, qui pascant oues scientia & doctrina.* Itaq; memores præcepti illius: *Apprehendite* (brachia ac manus) *disciplinam, ne quando irascatur Dominus, &* (propterea, quia oculis capitis vti recusatis, velut cæci) *pereatis de via*: humiliter eum scripturæ sensum recipitis, qnem Sacerdotes, oculi vestri, docent. *Labia Sacerdotis*

Os Ecclesiæ siue clerus sugit lac gentium.

Sacerdotes sunt os comedẽs fortitudinẽ gentiũ

Caput manibus indiget.

Sed multo magis Manus capite,

Rex suadet Manibus, vt lumine oculorum capitis ne vtantur

Stultus est, qui non vtitur oculis capitis

Catholici Reges capiti obediunt

Manus Ecclesiæ apprehẽdere debent disciplinã, siue, intellectũ scripturæ discere à Sacerdotibus,

dotis custodiunt scientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus siue Legatus D*omini est.* Malach. *2. Quem autem misit Deus, verba Dei loquitur,* Iohan. 3. Hanc vestram simplicitatem à Rege derideri, molestè ferre non debetis. Iam diu enim is inter homines mos fuit, vt quod *Prou. 14.* ait Salamon, *ambulans recto itinere, & timens Deum, despiceretur ab eo, qui infami graditur via.* Via stulti, *ait idem,* recta in oculis eius (*quos ipse scilicet, cum nullos habeat, affingit*) qui autem sapiens est, audit consilia.] Quod si autem & Cæcos vos Rex propterea iudicat, nempe vobis promissionem illam factam intelligitis *Isai 42.* Ducam CÆCOS per viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorant, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta: hæc verba faciam eis, & non derelinquam eos.] Nam quod Rex sua quemq; vera fide saluari oportere contendit, verissimum est, neq; nos aliter censemus, sed dicimus omnibus Christianis in baptismo simul cum Spiritu sancto dari Fidem, Spem & charitatem, sine quibus nemo nec viuere, nec saluari possit. *Ephes. 1.* In quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ *Ephes. 4.* Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in die redemptionis *siue Baptismi vestri.* Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis *2. Cor. 1.* Deus signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.] Appellatur autem *spiritus promissionis,* quia Deus eum nobis simul cum aqua baptismi datum iri promisit *Ezech. 36.* Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri (*in corde vestro*) & faciam, vt in præceptis meis ambuletis. *Matth. 28.* Qui non crediderit condemnabitur. *1. Cor. 9.* Debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi *1. Iohan. 3.* Qui non diligit, manet in morte *1. Corent. 13.* Nunc manent. (*in ijs, qui saluandi sunt*) Fides, Spes, charitas, tria hæc: maior autem horum charitas, *Coloss. 1.* Oramus pro vobis, audientes *Fidem* vestram in Christo Iesu, & *Dilectionem*, quam habetis in omnes sanctos, propter *spem* quæ reposita est vobis in cęlis.] Igitur hæc tria omnib⁹ Christianis ad salutē necessaria esse affirmamus, sed non item cetera illa quæ Paulus recensuit, dona, in quibus est *interpretatio sermonū* siue intellectus scripturæ, & *discretio spirituū*, siue iudiciū de veris ac falsis interpretationibus: sicut omnibus membris corporis necessaria est anima, neque tamen omnia oculos aut nasum habent. Ad Fidem porro

Rex Angliæ contemnit Reges Catholicos tam quam cæcos & non oculatos.

Omnibus Christianis datur donū Fidei, tam quam omnib. necessarium.

Sed donū intelligendi scripturas non est omnibus necessarium.

porrò Christiano saluari cupienti, satis est, credere & intelligere ea, quæ Apostolorum Symbolo continentur, dum tamen sic animo paratus sit, vt neque recuset credere, si quid præterea loco Dei Ecclesia seu Pastores se doceant. Nam sic *Act. 2.* legimus baptizatos, qui vnam tantum S. Petri, eamquè perbreuem concionem audierant: Sed baptizati postea *erant perseuerantes in doctrina Apostolorum*, siue plus discebant. Et S. Paulus cum primum Corinthijs prædicauit Christum, *prima tantum elementa sermonum Dei* (velut Hebr. *5.* loquitur) ac velut pueriles literas eos docuit, sicut scribit 1. *Corent. 3.* Ego non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis : adhuc enim carnales estis] Itaque multa adhuc eorum Fidei deerant, sine tamen salutis periculo, cum etiam reliqua suscipere & discere parati forent. Talis quoque fides, imperfecta scilicet, erat Thessalonicensium, ad quos scribit 1. *Thess.* 3. Nocte ac die abundantius oro, vt videam faciem vestram, & compleam ea, quæ desunt fidei vestræ, *ad perfectionem scilicet, non ad salutem.* Atque huiusmodi imperfecti *Ignorantes* vocantur, & contrario nomine *spiritualibus* opponuntur 1, Corent-14. *Si quis videtur Propheta esse aut Spiritualis, congnoscat, quæ scribo vobis. Si quis autem ignorat, ignoret,* id est, velut Ignorans, se gerat, neq; sibi niminum sapere permittat, aut ea, quæ non ipsi, sed alijs membris data sunt, arroget Igitur nihil adhuc attulit Rex, cur uos Ecclesiæ manus, id quod Oculorum est officij, inuadere, & oculati esse, ac scripturas sine oculis capitis vestri videre, & intelligere. velitis.

Quid ad Fedem Christiano sufficiat,

Quibusdam satis est scire prima elementa sermonum Dei qui sunt abecedarij.

Quidam Imperfecti & ignorantes.

CAPVT. XXVI.

SED cùm dicat Apostolus, ea corporis humani membra, quæ inhonestiora videtur, magis coli ac vestitu honorari, quàm honestissima membra, oculos, aures, os, manus &c. idq; propterea, *ne schisma sit in corpore,* sed vt inter se ament membra, & alia aliorũ curam gerant : quomodo tandem illi Christiani honorantur, qui nullum eximiũ spiritus sancti donũ sortiti sunt, nec Apostolatũ, nec Prophetiam, nec Doctoratum, nec Gubernationem, nec miracula, nec opitulationẽ, & vt summatim dicã, qui nõ sunt spirituales sed ignorates & Idiotæ atq; agrammati? quid isti de donis spirit⁹ sancti participant, vt

Inhonestoriá Ecclesia mẽbræ quomodo honorentur.

æquo animo esse possint,neq; inuidia ad faciendũ schisma conciten-tur?Hoc eodem extremo capite 1.cor.12. docere sic incipit : *Aemulamini*(seu studiosè expetite)*charismata* siue dona *meliora.Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Id est,iam vobis ostẽdam, quæ dona sint istis omnibus vtiliora,nimirum dona Fidei,spei & charitatis,de quibus statim proximo capite loquitur,in primis de chritate, quam tribus Argumentis, docet quouis Apostolatu, quauis sapientia & scripturarum peritia, quouis deniq; superius enarratorum charismatum præstantiorẽ esse docet,*Primùm*,quia qui charitatem habet, sine illis saluatur, sed qui habet illa omnia, nequaquam sine charitate. *Deinde*, quia reliqua desinũt in hoc sæculo,charitas autẽ durat in vitam æternam.*Postremò*, quia reliqua omnia sunt imperfecta, charitas verò vel in hac vita perfici potest. Ergo qui charitatẽ habet,numquam faciet schisma in Ecclesia.*Charitas enim non inuidet,non agit tumultuosè non inflatur* (aduersus Præpositos Sacerdotes)*omnia credit*,quæ scilicet credenda sunt,tametsi eorũ scientiam non habeat, *omnia sperat*,quæ speranda sunt, vt etiam, cuiusmodi alterius vitæ status sit futurus, minus nouerit, *omnia suffert*, quæ scilicet ei à Pastoribus imponuntur. Igitur rectè Paulus Ephes. 3. *Charitatem supereminere scientiæ dixit*, siue multum ei præstare, adeoque spiritum charitatis Dauid spiritum rectum & principalem vocat Psalm. 50. *Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Spiritu principali confirma me.* Eum nempe per peccatũ amiserat,quamuis spiritum scientiæ & Prophetiȩ retinuisset, velut hæc eius verba significant:*In certa & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Sic Propheta Baalam,quamuis charitatem Dei non haberet, sed Idola coleret,& propter auaritiam aliis etiam Idololatriæ auctor esset(Numer.31.16.Apoc.21.14.) fuit nihil ominus magnus propheta& *auditor sermonum Dei & visiones Omnipotentes videbat*, Numer. 24.Hunc igitur spiritum principalem, hoc charitatis charisma vos, Augustissimi Principes,æmulamini, quo impetrato non erit, cui nedum huius Regis, sed etiam summorum Theologorũ Catholicorũ scientiæ vel minimum inuideatis.

Dona Fidei,spei & charitatis reliquis donis excellentiora,

Charitatis excellentia.

Charitas supereminet scientiæ.

Spiritus Charitatis est Spiritus principialis.

Spiritus prophetiæ potest,haberi etiam ab ijs, qui non habent Spiritum charitatis.

CAPVT XXVII.

ISAI. 49. Venerunt structores tui (*Episcopi, seu pastores dati ad ædificationem corporis Christi Ephes. 4.*) destruentes te & dissipantes à te exibunt.] Isti sunt Hæretici siue Lupi, qui dispergunt seu dissipant gregem. Hi *exeunt* partim sponte sua per fal-

Hæretici exeũt ex Ecclesia. Alij sponte sua,

ſam doctrinam, ſiue prauas ſcripturæ interpretationes, quæ ſunt velut violenta Eccleſiæ remedia 1. *Cor.* 11. Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nām oportet Hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.] Scilicet illi tantùm Hæreſi inficiuntur & ex Eccleſia exeunt, qui charitatem non habent. 1. *Tim.* 1. Finis præcepti eſt chrritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: à quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium *ſiue Hæreſin*, volentes eſſe legis doctores, *id eſt, ex ambitione ſcripturas interpretandas ſuſcipientes. Et infra:* Habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. *Prouerb.* 5. Quare seduceris, fili mi, ab aliena (*id eſt, à falſa ſapientia, ſiue Hæreſi*) & foueris in ſinu alterius? *Hoc eò fit, quia* Reſpicit Domin⁹ vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur (*id eſt, propter peccata ipſius, Deus illum in Hæreſin incidere permiſit, ſicut Prouerb.* 13. Impietas peccatorem ſupplantat, iuſtitia cuſtodit innocentis viam. *Et Paulus Iudæis ait ſcripturam* factam eſſe in laqueū & in retributionem *ſiue pœnam, Rom.* 10.) Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam (*noluit à Paſtoribus diſcere, neque eis obedire*) & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur, *quia nempe ingenio & doctrinæ ſuæ nimium fiſus eſt, nec ſe errare poſſe credidit.* Iſai. 47. Sapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te. *Prouer.* 28. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt. *Prouer.* 12. Qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit.] De huiuſmodi ſponte ex Eccleſia exuntibus, loquitur Iudas in Epiſtola: Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes. *Et* 1. *Ioh.* 4. Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſinr: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. *Et in ſecunda epiſtola:* Multi ſeductores exierunt in mundum. *Et* 1. *Ioh.* 2. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.] Alij verò ab Epiſcopis non propter falſam doctrinam, ſed propter inobedientiam, & quia ſubiacere Præpoſitis nolunt, eijciuntur, velut facere iubentur. *Preu.* 22. Eijce deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ] *Deriſor*, ait Lutherus in Gloſſa Prouer. 9. *eſt inobediens, contemptor & refractarius.* Sic ergò apparet, Hæreticos & Schiſmaticos nihil eſſe niſi alui excrementa, & eorum conuenticula, non Eccleſias, ſed *Latrinas* meritò vocari.

Qui charitatē amittunt, ab Hæreticis ſeducuntur.

Propter Peccata permittit Deus homines ab Hæreticis peruerti.

Maximè quia nolunt diſcere à Sacerdotibus & quia ſe ſapere putant.

Alij Hæretici eijciuntur ex Eccleſia.

Pſal. 35. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt,

Iniquitas sæpe in scripturis pro falsa doctrina ponitur.

nec potuerunt stare] *Operari iniquitatem* sæpe in scripturis dicitur, qui falsam doctrinam siue inuenit, siue inuentam sequitur. Sic *Rom.2.* Non acquiescunt Veritati, credunt autem iniquitati. *2.Theß.2.* Qui non crediderunt Veritati, sed consenserunt iniquitati.] Ait ergo Dauid causam, cur quidam ex Ecclesia expulsi fuerint, esse duplicem. *Prior*, quia pedē siue ingressum superbum habuerunt, nimisq; sibi ipsis fisi sunt. *Deinde*, quia mouit eos manus peccatoris, hoc est, vt Ierem. 8. ait, *stilus mendax scribarū*, siue falsa scripturæ interpretatio. Itaq; orat Propheta, se ab vtroq; custodiri, sicut etiam *Psal.143.* Eripe me de manu filiorū alienorum, quorum os locutum est vanitatē, & dextra eorū, dextra iniquitatis. *Psal.139.* Custodi me Domine de manu Peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi, *vt scilicet eo indutus caderem, & ex Ecclesia expulsus stare non possem.*

Duæ causæ ob quas fiunt Hæretici.

CAPVT XXVIII.

OSEÆ I. Et erit in loco, vbi dictum est eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filij Dei viuentis. Et congregabūtur filij Iuda & filij Israel pariter (*id est, Iudæi & Gentiles, vt Paulus interpretatur Rom. 9. in vnitatem fidei conuenient, vnumque corpus conficient*) & ponent sibimet CAPVT VNVM, & adscendent de terra] Hic loquitur de vno totius Ecclesiæ capite, quod ipsamet Ecclesia sibi PONIT, per electionem scilicet vnius ex medio Ecclesiæ, ad quod etiam *adscendi* potest, vt interrogetur scilicet, cùm quę obscura & in explicabilis quæstio inciderit. Hoc enim per verbum *Adscendere* significatur. *Deuter.17.* si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicū intra portas tuas videris verba variari: (*quia scilicet sensus legis obscurior est, neque legem eodem modo omnes intelligant*) surge, & ADSCENDE ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis & ad Iudicē qui fuerit illo tempore, quęresq; ab eis, qui indicabunt t bi iudicij veritatem. Et facies quodcumq; dixerint, qui præsunt loco, quē elegerit Dominus. & iuxta sermonem legis quem te docuerint (*Sic enim est in Hebræo textu: id est, iuxta id, quod illi dicent Lege contineri, siue, iuxta sensum Legis, quē illi verum sensum esse dicent*) sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neq; ad sinistram. Qui autē superbierit, nolēs obedirę Sacerdotis imperio qui eo tēpore ministrat

Ecclesia habet Caput vnum, quod ipsamet sibi ponit, & ad quod adscendere potest.

Adscendere pro consulere de intellectu scriptura.

Sacerdoti non obediens in intellectu scriptura, occidendus.

ministrat Domino Deo tuo (*id eſt ſummi Pontificis*) nec decreto Iudicis (*ſi ſcilicet eo tempore Gladius ſeu poteſtas ſecularis nõ ſit in manu Pontificis*) morietur homo ille, & auferes malũ de Iſrael, cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.] Tametſi in populo Iudaico non ſemper ius vitę ac necis in manu Pontificis futurũ Deus ſciebat (nam *Num.27.* officiũ Moſis Regium & Sacerdotale ita diuiditur, vt *partem eius habeat Ioſue*, alteram partem Eleazar, *vtq; Ioſue ad verbum Eleazari cum toto populo egrediatur & ingrediatur, & Dei voluntatem ab Eleazaro exquirat*) voluit nihilominus ſemper vltimam controuerſantiũ Appellationem apud Pontificem reſidere, eoſq; vt ſuperbos & Schiſmaticos occidi, qui ei ſubiacere nollent, neq; Legem ita, vt ipſe docebat, intelligere vellent.

Poteſtas ſcularis & Sacerdotalis apud Iudæos quibus finibus diſtincta.

De hac Pontificis poteſtate inſignis eſt locus 2. *Paral.19.* In Ieruſalem cõſtituit Ioſaphat (*ex præcepto Dei*, Deut. 16,18.) Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, vt iudiciũ & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius, dicens: Omnẽ cauſam, quę venerit ad vos Fratrum veſtrorum (*ad vos appellantiũ*) qui habitant in vrbibus ſuis (*in quibus iam iudices partim Sacerdotes, partim ex cæteris tribubus delecti conſtituti fuerant, quod ex ſuperiori loco Deuter.16,18. & 19,17. diſcimus*) inter cognationem & cognationem, vbicumq; quęſtio eſt de Lege, de Mandato, de Cærimonijs, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum (*id eſt, quis ſit ſenſus legis, vt faciant, quod lex rectè intellecta poſtulat*) Amarias autẽ Sacerdos & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quę ad Regis officiũ pertinent, habetiſq; magiſtros Leuitas coram vobis] Sic ergò diſcimus, in omnibus iudiciis interfuiſſe Sacerdotes ac Leuitas tamq̃ Iuriſconſultos, etiam in ciuilibus ſiue ſęcularibus, id ꝙ planũ quoq; facit locus *Ezech.44.* Populum meũ docebunt, quid ſit inter ſanctum & pollutũ, inter mundũ & immundum. Et cùm fuerit cõtrouerſia, ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabũt leges meas &c.

Sacerdotes erãt Iudæorum Magiſtri ac Iuriſconſulti.

Quod ſi quis iam in cauſa, quę merè ſæcularis eſſet, neq; vllam obſcuritatẽ aut ambiguitatẽ ex verbis Legis haberet, appellare vellet, ad Ducẽ Iuda, Regis Vicarium ſeu Legatum appellabat. Sin autẽ verba Legis ambigua viderentur, neq; Magiſtris Sacerdotibus, qui Iuriſconſulti erant, de vero ſenſu liqueret, res ad Pontificem remittebatur, velut ad Dei Legatum: qui propterea dicitur *in his* PRÆSIDERE, *quæ ad Deum pertinent*, quaſi ſcilicet Deus per os eius loquatur, quemadmodum Moſi dicit Deus Exodi 4. *Pone verba mea in ore Aaronis: & ego ero in ore tuo* (immediatè) *& in ore*

Vltima appellatio apud Iudæos fiebat ad Sacerdotem: à quo non licebat prouocare.

illius

Quia Deus per os Sacerdotis seipsum locuturũ dixerat.

illius (mediatè) *Ipse loquetur pro te ad populum. & erit os tuum: tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.* Et Num. 27. *Iosuam audiet omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum erit* (id est, si quis dignus vindice modus occurrerit, vt nesciat Iosue, rectè ne faciat, an secus) *Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur Iosue & omnes filij Israel cum eo.* id est, facient quod Sacerdos iusserit, qui in his præsidet, quę ad Deum pertinent, in cuius ore Deus ipse loquitur. Itaque qui scire cupiebat, quis sermo legis Dei esset, siue quomodo Deus Legem suam intelligi vellet, ADSCENDEBAT ad summum Sacerdotem, & quærebat. Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus* seu Legatus aut Vicarius *Domini est.*

Cur Sacerdoti summo inobediens capite plexus fuerit.

Superbia dissoluit vincula reipub.

Vtraque porrò inobedientia seu superbia tam erga Sacerdotem, quam erga Iudicem siue Ducem sæcularem, capitalis erat: quod Deus ideò sanciuit, vt Respub. siue Synagoga Iudaica esset durabilis. *Cunctus populus,* inquit, *audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Nam superbia est, quę dissidia & contentiones parit, & societatem nexus ac rerump. vincula dissoluit. Prou. 13. *Inter superbos semper sunt iurgia.* Seneca 1. de Clem. 4. *Tamdiu à periculo aberit populus, quamdiu sciet ferre frenos* (id est, obedire Magistratui) *quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, hæc vnitas & hic maximi Imperii contextus in partes multas dissiliet: idemque huic vrbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit.* Quam diu igitur nemo sic superiuit, vt imperio sacerdotis obedire nollet, sed simpliciter eius sententiam omnes secuti sunt, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes, pulcherrima fuit Synagogę facies. Itaque monet Salomon, vt valere iussis multorum libris, illud firmiter quisque teneat, quod concilij Sacerdotum, à summo Pontifice confirmati, Decreto præceptum nouerit. Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per Magistrorum Concilium data sunt à Pastore vno. His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullos est finis, & frequẽs meditatio, carnis afflictio est,* quasi dicat: Te ipsum legendo fatigaueris, si omnes libros velis legere. Itaque satis tibi habeas scire, quid Sacerdotes per Pontificis auctoritatem in Concilio decreuerint. Nam huiusmodi Decreta, velut claui in altum defixi, Tabernaculum Dei seu Synagogam conseruant, vt nullo variæ doctrinæ vento difflari, dissolui aut dispergi possit. Est ergo *Pastor hic vnus,* siue supremus Sacerdos, velut *Vertex capitis* Synagogæ, id est, Concilij: quomodo Diabolus Hæreticorum Vertex dicitur, cui capita omnia Hæresion (nam vnum visibile caput non habent) subiecta sunt.

Decreta Sacerdotum à Pontifice confirmata conseruabant Synagogam.

Synagoga habuit vnum Pastorem loco Christi pro Capite.

Psal.67. *Deus confringet capita inimicorum suorum, Verticem capilli, perambulantium in delictis.* Et quia idem Pontifex dicitur Præesse ac Præsidere in his, quæ ad Deum pertinent, vnusq; omnium tam Sacerdotum & Leuitarum, quàm reliqui populi Pastor est, rectè non modò Concilij Sacerdotum, sed etiam totius Synagogæ caput appellari potuit, tametsi non minùs Synagoga Christum caput habuerit, quàm nunc habet Ecclesia. Nam *Iesus Christus heri & hodie* (caput omnis Principatus & potestatis, *Colos. 2.*) *ipse & in sæcula Hebr. 13. Neque nos magis per gratiã ipsius saluari credimus, quàm illi Act. 15.* Similiter Sacerdotes omnes Pastores erant, & tamen summus Pontifex *Vnus Pastor* à Salomone dicitur, quia nempe ipsos etiam Sacerdotes pascit ac regit. Quod si autem Synagogæ caput siue vnum Pastorem dedit Deus propter durationem, vt ne scilicet intestinis dissidijs eorum, qui plus ceteris sapere solique, Legem rectè intelligere volebant, velut tempestate conuelleretur & concideret: longè absurdissimum foret, eum non itidem Ecclesiæ suæ caput dare voluisse, ad quod omnes de terra ADSCENDERENT, & de ijs, quæ ambigua ac difficilia incidunt, sententiam eius exquirerent: vtiq; cùm Ecclesiam non sicut Synagogam aliquando collabi, sed ad consummationem vsq; sęculi durare vellet. *Zach. 8.* Non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius (*siue Ecclesiæ*) sed semen pacis erit, dicit Dominus. *Aggæi 2.* Adhuc modicũ est, dicit Dominus, & Veniet desideratus cunctis gẽtibus, & implebo domũ istam gloria. Magna erit gloria domus istius nouissimæ (*Ecclesiæ*) plusquam primæ, *id est, Synagogæ. Ezech. 36.* Habitari vos montes Israel faciam sicut à principio, bonisq; donabo maioribus, quàm habuistis ab initio] Ergò si Tabernaculum Dauid, siue Synagoga, habuit clauos altè defixos, vt difficulter euelli possent, idq; propterea ne vento dissiparetur aut tempestatis impetu victa collaberetur, hoc est, si habuit vnum Pastorem seu caput, qui sententiam ceterorum Pastorum vel Sacerdotum in Concilio congregatorum probaret & tenendam omnibus præciperet, idque propterea, ne populus omni vento doctrinæ, circumferretur, aut ab Hęreticis in partes diduceretur: multò firmiores, & multò altius defixos esse oportet clauos, qui Christi Tabernaculum siue Ecclesiam continent, ne id ipsum ei vsuueniat, quod sibi Synagoga apud *Ieremiam* queritur euenisse *cap. 10.* Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt: filij mei exierunt à me, & non subsistunt: non est, qui extendat vltra tentorium meum, & erigat pelles meas: quia stultè egerunt Pasto-

Synagoga Deus caput dederat propter durationem.

Ergò multò magis Ecclesia tale caput habet.

Cùm Ecclesia diutius durare debeat.

Synagoga quare dissoluta & collapsa.

res,& Dominum non quæsiuerunt. Propterea non intellexerunt,& omnis grex eorum dispersus est.] Hic discimus causam, cur hoc Tabernaculum collapsum dissipatumque fuerit, hanc fuisse, quia claui eius extracti & ablati, ac funiculi dirupti, id est, quia tandē Sacerdotum concilium directione Spiritus sancti priuatum fuerit. Itaque ne id ipsum Tabernaculo Christi vsuveniret, ita cōsolidari clauos & funiculos eius oportuit, vt in æternum nec funiculi rumpi, nec claui euelli possent, hoc est, vt Decreta Conciliorum à summo Pastore confirmata perpetuò Spiritus sancti inspitatione gubernarentur: quod quidem sic futurum perspicuè Deus promisit *Isai 33.* Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam: Tabernaculum, quod nequaquam transferri (*neque vlla tempestate dissolui*) poterit: nec auferentur *aut extrahentur* claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur. Populus, qui habitat in ea, auferetur ab eis iniquitas] Hem tibi causam, cur Ecclesia non possit ita dissolui, dissipari, & vi venti siue Hæresios transferri, sicut Synagogæ factum est: quia scilicet claui huius Tabernaculi ita alte defixi sunt, vt in sempiternum extrahi nequeant, hoc est, quia quandocumque conueniunt Pastores videre de verbo siue controuersia quapiam, accedente summi Pontificis confirmatione, aliud quàm Veritatem decernere nequeunt, semperque verè cum Apostolorum Concilio Act. 15. affirmant: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Consule enim ipsum Spiritum sanctum, qui sint claui Ecclesiæ, & respondebit tibi, vt modo auditum est: *Claui Ecclesiæ sunt verba, quæ per Magistrorum Concilium data sunt à Pastore vno.* Cum his verbis conferantur nunc illa: *Tu es Cephas* siue saxum, *& super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quæcumq; tu solueris aut ligaueris in terra* (ecce funiculos) *erunt ligata in cœlis, Tibi dabo claues regni cœlorum. Tu pasce Oues,* siue, *esto Pastor ouium mearum. Pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Tu confirma fratres tuos.* Certè Veruex aut Hircus sit oportet, qui adhuc dubitat, vtrum Petrus sit VNVS ille PASTOR, cuius auctoritas Magistrorum seu Pastorum Concilio adiuncta, horumq; sententiam probans & cōfirmans, Tabernaculū Christi firmiter consolidatum teneat neq; falsis Hæreticorum doctrinis subuerti & transferri sinat. Paulus quidem in superius citato loco Ephes. 4. ideò Pastoribus ceteros cum omni humilitate vnitos esse monet, quia Christus in altum adscendens eos suo loco dederit, *vt ne oues omni vento doctrinæ circumferrentur*, siue quauis Hæresi abriperentur.

Ecclesia Christi nō potest dissolui nec collabi.

Quia claui eius ita altè infixi.

Qui sint Claui Ecclesiæ.

Petrus est Vnus Pastor Ecclesiæ.

Pastores cur Ecclesiæ dati.

rentur. Sed ſine dubio potiſſimam huius rei vim in Paſtorem Hierarchia collocauit, velut ea, quæ in declaratione illorum verborum ſupra dixi, aduincunt. Et Iſaias capite 23. diſertim *Eccleſiæ Regi ac Principibus in iudicio præſidentibus*, hoc eſt, Concilio, ſummi Paſtoris auctoritate confirmato, tribuit, quod omnes Chriſtiani à vento & tempeſtate, ſiue à fraudulenta & ſtulta doctrina tuti ſunt · Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt. Et erit vir(*id eſt, quiuis, illi Regi illisque Principibus obediens*) ſicut qui abſconditur à vento, & celat ſe à tempeſtate. Non caligabunt oculi videntium(*id eſt, Sacerdotum, vt ſupra dixi*) & aures audentium diligenter auſcultabunt. Et cor ſtultorum (*qui priùs ſtulti fuerant ante cognitum Chriſtum, ſiue etiam, qui à Mundo ſtulti putantur propter prædicationem Crucis*, 1. Cor. 1.) intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè (*ſicut Paulus ſe imperitum ſermone dicit, ſed non ſcientia*) Non vocabitur vltra is, qui inſipiens eſt, Princeps (*non erit Epiſcopus, qui legitimè vocatus non fuerit.* Ezech. 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum & nihil vident, cùm Dominus non miſerit eos*) neque fraudulentus (*in aſtutia ambulans & adulterans verbum Dei*, 2. Cor. 4.) appellabitur Maior. Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem (*id eſt, falſam doctrinam ſeu falſum ſcripturæ ſenſum comminiſcetur*) vt perficiat ſimulationem & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam eſurientis & potum ſitienti auferat(*id eſt, Paſtores ſtulti, ſiue ſeductores, perfectè ſimulant, ſe doctrina ſua homines ad Dominum adducere, & puro puto Dei verbo paſcere, cùm tamen ſit panis mendacij*) Fraudulenti Vaſa (*ſiue inſtrumenta, hoc eſt, loca ſcripturæ ab ipſo interpretata*) peſſima ſunt. Ipſe enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in ſermone mendacij. Princeps verò ea quę digna ſunt Principe cogitabit, & ipſe ſuper Duces ſtabit]

Sic ergo omnis Eccleſiæ ſecuritas ab Eccleſiaſtica Hierarchia dependet. *Principes* ſiue Duces *qui præſunt in Iudicio*, hoc eſt, Paſtores & Doctores velut membra capitis Eccleſiæ, alij oculi ſunt, qui non cæcutiunt, ſed vident ſiue ſcripturas intelligunt; alij aures, qui diligenter Deum in ipſis loquentem auſcultant; alij os ſeu lingua, qui planè & velociter verbum Dei prędicant. *Rex* autem ſiue *Maior*, ſiue *Princeps, qui ſuper Duces ſtat*, eſt Vertex capitis ſiue ſummum Eccleſiæ caput, qui *regnat in iuſtitia* ſiue iuſtè, & *ea cogitat, quæ Principe digna ſunt*, hoc eſt, ita vt oportet, docet, nec falsò ſcripturas interpretatur, Hęretici cōtra ſunt *ſtulti & fraudulenti ſimulatores, & cogitationes cōcinnant ad perdendos mites*,

Principes & Duces Eccleſiæ.

Rex Eccleſiæ qui ſuper Duces ſtat.

hoc eſt, vt Paulus ait, *ad ſeducēda corda innocentiū*, ac velut vētus ſiue turbo, & ſicut tempeſtas Tabernaculum Dei euertere & diſsipare moliuntur, ſed fruſtra quia, vt dictum eſt, claui eius ita altè defixi ſunt, vt in æternum auferri nequeant. Claui porrò ſunt Decreta Principum aut Ducum, à Rege ſuper Duces ſtante, confirmata.

CAPVT XXIX.

ATQVE hoc ipſum ſatis perſpicuè nos hęc Iſai. 30. verba docent: Non faciet auolare à te vltrà Doctorē tuum (*ò Eccleſia*) & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum (*Doctoris tui*) poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea, & nō declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram] ſicut Chriſtus in altum adſcendens Eccleſię dedit Paſtores multos, & tamen vni dixit: *Paſce oues meas*, & hoc modo vnum Paſtorē ſiue caput Paſtorum conſtituit: ita etiam dedit Doctores multos, tametſi vnus ſit ſummus Doctor ac Pręceptor, qui numq̃ auolat, ſed ſemper videtur, & *poſt tergum*, hoc eſt, in fine Conciliorū auditur, cum reliquorum Doctorū decreta confirmat, eiſq; omnes Chriſti diſcipulos credere & parere iubet. Atque ad hunc Doctorem, qui ſemper videri poteſt; ad hunc Regem ſuper Duces ſtantem, ad hunc Paſtorem vnum, in his quę ad Deum pertinent præſidentem, ad hunc Sacerdotem, qui præeſt loco, quē elegit Dominus, ad hoc caput, ꝙ Eccleſia per electionē ſibi poſuit, oportet ADSCENDERE, omnes, qui Iudicij veritatem ſiue verum ſcripturæ intellectum ſcire cupiunt. Hoc vt omnes Chriſtianos facere doceret, S. Paulum quoq; Spiritus Dei ad S. Petrū adſcendere iuſsit, non vt aliquid ab eo diſceret (quippe qui extra ordinem ab ipſo Chriſto Euangelium ſuum iam didicerat) ſed vt Euangeliū ſuum, cui alioquin multi non credidiſſent, propterea quia de circumciſione alijsq; Moſaicis Cęremonijs aliud, quàm ceteri Apoſtoli, docere videbatur, à Petro CONFIRMARI, & collatione ſiue Examine præmiſſo APPROBARI faceret. Sic enim legimus *Act. 15.* Quidam deſcendentes de Iudęa docebant fratres: quia niſi circumcidamini ſecūdum legē Moſis, nō poteſtis ſaluari. Facta ergò ſeditione nō minima Paulo & Barnabæ aduerſus illos (*quia nempe vtraque parte ſcripturas pro ſua ſententia allegante, vtra melior eſſet, dijudicari non poterat*) ſtatuerunt Chriſtiani Antiochiæ, vt ADSCENDERENT Paulus & Barnabas & quidā alij ex alijs (*id eſt, ex contraria parte*) ad Apoſtolos & Presbyteros in Ieruſalem ſuper

Eccleſia habet vnū Præceptorē ſupremū, ſemper viſibilem.

Ad quem oporteat adſcēdere, ſi quis ſcripturas velit intelligere.

Cur Paulus ad Petrum adſcēdere neceſſe habuerit.

hac quæstione &c.] Et ipse Paulus eadem de re sic scribit *Galat. 2.* Iterum ADSCENDI Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem (*id est, à Spiritu sancto iussus*) & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum *siue in primis* autem cum ijs, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem (*ne alij mihi cum Apostolis non conuenire suspicantes, nihil mihi crederent, & doctrinam à me acceptam derelinquerent*) Ab ijs autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea inter est, Deus personam hominis non accipit, *id est, nihil curo, quod Apostoli prius idiotæ & rudes piscatores fuerint*) mihi enim qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt.] Quasi dicat: Non vt aliquid ab Apostolis discerem, adscendi (tametsi haud contumeliæ causa id feci, quod eos velut homines quondam indoctos contẽnerem) sed vt Euangelium meum ab ipsis recoguoscendum & confirmandum curarem, eoq; pacto calumniandi mei ansam ijs, qui meam doctrinam cum ceterorum Apostolorum dissidere dicunt, præriperẽ, omniq; scrupulo discipulos meos liberarẽ. Nominat quidẽ tres simul Apostolos, quos ait tantæ auctoritatis apud omnes fuisse, *vt pro Columnis haberentur*, Petrum, Iacobum & Iohannem, sed sine omni dubitatione Petri potissimum causa Hierosolimam adscendere à spiritu sancto iussus fuit. Nam primùm Petrum totius ouilis sui Pastorem Christus constituerat sine vlla exceptione: *Pasce oues meas: Pasce agnos meos.* Itaq; nemo ante Petrum Gentilibus Euangelium prædicare ausus fuit (Nam quod Act. 9.29. de Paulo legitur : *Loquebatur quoq; cum Gentibus, & disputabat cum Græcis*: illud, *cum gentibus*, neq; in Græco, neq; in Syriaco textu legitur : & *Græci* hic sunt Iudæi Græcissantes siue in Græcia nati, siue vt Syriacus textus habet: *Iudæis, qui sciebant Græcè*) sed demum Act. 10. per reuelationem iussus est Petrus Gentes quoq; ad ouile Christi adducere. Itaq; Act. 15. sic in Concilio Petrus ipse loquitur. *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere,* Est igitur Petrus vnus ille Pastor, de quo Christus loquitur *Ioh. 10.* Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili (*nempe Gentes*) & illas oportet me adducere (*per os Petri, quem ex ceteris Apostolis ad hoc elegi*) & vocẽ meam audient (*quia Spiritus meus in Petro loquens de meo accipit,* Ioh. 16.) & fiet vnum ouile & vnus Pastor, *nempe supremus & Ordinarius* hac de causa conueniens iudicauit spiritus sanctus, vt Paulus extraordinarius Pastor ad vnum illum ordinarium adscenderet, & ab eo confirmaretur,

Petri causa Paulus ascendit Hierosolimam.

I. Quia Petrus totius Ouilis pastor erat.

Nullus Apostolus ante Petrũ audebat Gentibus prædicare.

Christus loquitur per os Petri

II. *Solius Petri fides non deficit, & ipse reliquos confirmat.*

maretur, vt scirent oues, se eodem ipso Dei verbo à Paulo pasci, quod Petrus à Christo acceperat. Deinde, pro Petro solo rogauit Christus, vt fides eius non deficeret, ceteris ab eo confirmari satis fore significans. Itaq; præcepit Petro: *Tu aliqnando conuersus CONFIRMA fratres tuos.* Vbi conuersus attentum significat, velut illud Psalm. 84. *Deus tu conuersus viuificabis nos.* Itaque à Petro potissimum confirmari Euangelium suum Paulus voluit, adeoque ipsius causa magis, quàm Iacobi aut Iohannis Hieresolymam adscendit. Postremò cum opus ipsum loquatur, Pauli doctrinam à Petro, nec uiua solùm voce sed etiam scriptis confirmatam & approbatam esse, nullus certè dubitandi videtur locus relinqui, quin Paulus Doctrinæ suæ confirmationem impetraturus, ad Petrum potissimum adscenderit. De viua voce testatur totum caput Act. XV. nam Petrus in Concilio sententiam secundum Paulum dixit, non esse scilicet Gentes, ad fidem Christi conuersas, Mosaicæ legis iugo onerandas, quia iustitia & salus non ex operibus legis, sed ex gratia Christi per fidem detur. De scriptis, videatur posterior Petri epistola capite postremo, quo loco sapientiam Pauli commendat, & Epistolas eius velut in sacrorum librorum Canonem recipit, itaq; Fratrem Paulum, vt veritatis Doctorem & Apostolum confirmat.

III *Petrus confirmauit doctrinā Pauli voce & scripto.*

CAPVT XXX.

Rex Angliæ Petri primatū controuersū facere conatur.

HOc autem loco Regem nostrum parumper audiamus, censeo. Is Pagina 52. & 53. scribit: Apertissimè constat, Paulum non satis in hac nupera ac nouitia doctrina (*de Primatu Petri*) fuisse institutum, qui cum Petro tam parum comiter egit, vt illi se non æquaret modo, sed etiam anteferret. Galat. 2.

Magdeburgēses Prædicantes pro Catholicis aduersus Regem testantur.

Primùm quàm verum sit, quod nostra de Petri primatu sententia sit nouitia ac nupera, testantur inimici nostri Magdeburgenses centuriatores, cùm centuria tertia columna 84. ita scribunt:

Tertullianus in libro de Pudicitia (*quem inimicus iam Romanæ Ecclesiæ & in Montani Hæresin lapsus scripsit, neque certè Romanis adulari voluit*) non sine errore sentire videtur, claues *soli* Petro commissas & Ecclesiam super ipsum exstructam esse. *Cyprianus* lib. 4. epist. VIII. nominatim ait, idque sine vllo fundamento scripturæ, Romanam Ecclesiam ab omnibus pro matrice & radice Catholicæ Ecclesiæ agnoscendam esse, quemadmodum & lib. 1. epist. 1. Principalem

cipalem vocat Ecclesiam Petri Cathedram, à qua vnitas sacerdotalis exorta sit. Alibi passim dicit super Petrum Ecclesiam fundatam esse. Et *Origenes* tractatu quinto in Matthęum dicit, Petrum meruisse fieri Ecclesiæ fundamentum, & fuisse principem Apostolorum] *Hactenus Magdeburgenses.*

Petri primatus ante 1400 annos fuit creditus

Quod si hanc sententiam, quæ iam 1400. annos habet, pro nupera ac nouitia haberi Rex postulat, recusare certè non potest, quin eum *pro filio vnius anni,* sicut de Rege Saule scriptura loquitur 1. Reg. 13. aut etiam *pro quasi modo genito* habeamus. Ipse vtrum velit, viderit. Nobis satis est inimicorum testimonio Antiquitatem sententiæ nostræ docuisse, & ad Mosis exemplum (Deut. 32.) cantare posse: Non est noua Religio nostra, vt Religio eorũ: & inimici nostri sunt iudices.

An Paulus Petro se æquauerit vel prætulerit.

Quod deinde Rex apertissimè constare dicit, *Paulum non modò se Petro æquare, sed etiam anteferre ausum* in Epistola ad Galatas: equidem mihi non constare, qui sint illi, quibus id constet, vltrò fateor. Illud quidem scio, in ea plerosq; omnes sententia esse, quod Petrum Paulus reprehenderit, sed vtrum meritò, & seriò ne an simulatè id fecerit, nondum satis conuenisse. si mihi Rex sententiæ dicendæ ius relinquat, tantum abesse censeo, vt in illo ad Galatas loco Paulus Petro se prætulerit, vt maiorẽ ei honorem, quàm narranda illa de Petri simulatione historia, nequaquã habere potuisse existimẽ. Nam pseudapostoli circũcisionis necessitatẽ docẽtes hoc potissimũ modo Paulo & doctrinæ ei[us] fidẽ & auctoritatẽ abrogare conabãtur, vt eius Euangeliũ ab eo, quod Petrus Apostolorũ Princeps prædicabat, discrepare contenderent. Contra illos igitur toto capite secũdo id agit, vt suam doctrinã ab Apostolis, in primisq; Petro, confirmatã & approbatam esse probet: quo ipsi maximè sanè Petrũ extollit. Quatuor porrò modos, quib[us] eam Petr[us] confirmauit, recenset. *Primus* fuit sentẽtia in concilio secũdũ Paulũ data, quæ Titũ circũcisionis necessitate liberauit. Et de hoc modo iam satis dixi. *Alter* fuit signũ, nẽpe porrectio dextræ & Societatis atq; concordiæ professio *Tertius* fuit ipsũ factũ, cùm cibũ vna cum Gẽtilib[us] sumpsit, & ita legem Mosaicam minimè necessariam esse, id quod Paul[us] prædicabat, docuit. *Postremus* mod[us] fuit silentium, siue tacitus Petri assensus, cùm Paulo se admonenti aliorumq; querelã exponenti nihil contradixit. Ex his omnibus perspicuè Galatis apparere potuit, Euangelium Pauli nequaquam, vt pseudapostoli iactabant, à Petri doctrina dissentire, sed magnoperè ab eodem probari. Igitur Palus etiam cum summo Petri honore historiam

Pseudapostoli iactabant Pauli doctrinã à Petri doctrina discrepare.

Paulus contra eã à Petro confirmatã probat.

Quot modis Petrus Pauli doctrinã confirmarit.

Paulus summo honore Petrum afficit

ſtoriam illam narrat, cum finem narrationis alium non habeat, quam ſuum Euangelium Petri cum facto, tum ſilentio cōfirmatū probare. At enim Petrum reprehendit, inquies: quid tum? non continuò quē quis vno aliquo in facto reprehendit, eo maior eſt, aut ei ſe præfert, ſicut neque Herodi ſe prætulit Iohannes, cum eum ob Herodiaden reprehendit. Sed ego Petrum à Paulo reprehenſum eſſe, quo magis conſidero, minūs inuenio. Tota Pauli narratio his verbis abſoluitur:

Vtrum Paulus Petrum reprehenderit.

Cùm veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſus erat (*Ita enim habet Græcus textus, & Lutherus ipſe non alio ſenſu Germanicè reddidit, quam vitio fuiſſe datum Petro ab alijs, fuiſſe aliquos, qui eum reprehenderent, ſicut & Syriaca verſio transtulit:* quoniam offendebantur in eo) Prius enim quā venirent quidam à Iacobo (*id eſt, cum tantum adeſſent Chriſtiani gentiles, non ex Iudaiſmo conuerſi*) cum Gentibus edebat (*cibos ſcilicet Lege Moſis vetitos, non tamen ſanguinem aut ſuffocatum aut Idolothyta, velut aliàs hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non ſatis memor putaui*) Cùm autem veniſſent (*illi Iudaizantes Chriſtiani, qui gentilium ciborū eſu ſcandalizabantur*) ſubtrahebat & ſegregabat ſe (*nec amplius cum gentibus edebat, vt putaretur Legem Moſis ſeruare*) timens eos, qui ex circumciſione erant (*ſiue eo fine, vt parceret Iudaizantium illorum infirmitati, timens eis, ſiue ſolicitus pro eis. Ita Galat. 4.* Timeo vos, ne ſine cauſa laborauerim in vobis- *id eſt timeo vobis, ſolicitus ſum pro vobis. Sic Iſai. 7.* 16. Derelinquetur terra, quàm tu deteſtaris. *Ibi 70. Interpp.* terra, quam times. *pro cui times, pro qua ſolicitus es.* Nam chaldæus paraphraſtes reddidit: *Terra, pro qua tu tribulationem pateris.* Sic Iſai 57. 11. Pro quo ſolicita timuiſti? *Ibi 70. interpp.* Quid times? *Chaldæus:* De quo anxia es. *Itaq; Petrus timebat Iudaizantes, ſiue de illis anxius erat, ſolicitus pro illis timebat, eiſq; velut infirmis parcere cupiebat*) Et ſimulationi eius conſenſerunt ceteri Iudæi (*id eſt, abſtinuerunt à cibis prohibitis, vt legem Moſis obſeruare, & neceſſario obſeruandam credere viderentur*) ita vt Barnabas ab eis duceretur in illam ſimulationem. Sed cùm vidiſſem, quod non rectè ambularent (*Iudæi illi*) ad veritatem Euangelij (*hocque Petri exemplo poſthac ad probandam Legis neceſſitatem, & ad euertendam doctrinam meam vſuri eſſent*) dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus ſis gentiliter uiuis, & non Iudaicè, quomodo cogis Gentes Iudaizare? *id eſt, tum tu ipſe natus ſub Lege, Legem non ſeruaueris paulò ante, quando cum Gentilibus cibos Lege vetitos commedebas, quomodo poteſt tuum exemplum iam cibis vetitis abſtinentis Gentiles ad Legem ſeruandam obligare?*

Hæc

Hæc Paulum ideò commemoraſſeRex putat, vt ſe Petro non modo parem, ſed etiam ſuperiorem eſſe oſtenderet. Ego autem eius conſilium ſic interpretor, quod ſuam doctrinam Petro cum facto, tum aſſenſu tacito confirmatam demonſtrare voluerit, & hoc ipſo Petrũ velut paſtorem ordinariũ, cuius eſſet ceteros confirmare, ſe maiorem agnouerit. Quod autem priore loco dicit: *Reſtiti ei in faciem, quia reprehenſus erat*, id poſterius ipſe ſic interpretatur: *Dixi ei coram omnibus, Quomodo cogis Gentes Iudaizare, cum tu ipſe paulò ante nõ Iudaizaueris?* Et Petr⁹ ſilentio ſuo, aſſenſũ declarauit, neq; gentib⁹ Iudaizandũ eſſe annuit. *Reſtiti ei in faciem*, id eſt, corã ſtans ei in faciẽ dixi, quid? *quia reprehenſus erat*, id eſt, quod reprehenderetur ab alijs, quod ei vitio daretur ſimulatio, propterea quia eius factũm videretur Gentilibus Legis ſeruandæ neceſſitatẽ imponere. *Quia* ἀντὶ τοῦ *Quod* per Enallagen dici ſolere, nemo neſcit, qui vel ſemel S. Biblia inſpexerit. Vt: *Credo quia tu es Chriſtus. Audiuimus, quia Chriſtus manet In æternum. Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* Non igitur Paulus ipſe Petrũ reprehendit, ſed tantùm eum admonuit, eiq; quid alij in ipſo reprehenderent, ſignificauit, tametſi eum iniuria ac ſine vllo ſuo merito reprehendi ſatis intelligeret. Et verò in his ipſis verbis, quæ tanta cũ inuidia ab Hæreticis contra ſummam Petri auctoritatẽ iactantur, ſingulari quadam ἐμφάσει honorem ei à Paulo habitum aduerto. Perinde enim videtur ac ſi dixiſſet: *Tantũ mihi ſumpſi ac tam audax fui, vt ſtans corã Petro eum admonere, & quid alij in ipſo reprehenderent, ei ſignificare non dubitarim* quo pacto ſatis innuit, neminem alium hoc facere auſurum fuiſſe. Similiter ſe Petri diſcipulis ſiue Romanæ Eccleſiæ excuſat, *Rom. 15.* Certus ſum, fratres mei, & ego ipſe de uobis, quod & ipſi (*non minus ſcilicet, quàm ego*) pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere (*adeoque mea admonitione non indigeatis*) Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte (*non tamquam Petri prædicatione non ſatis doctis, ſed*) tamquam in memoriam vos reducens] Quod porrò Paulus iudicarit, iniuria Petrũ à nonnullis reprehẽdi, id nullo negotio docere ac probare poſſũ. Nam verba illa, quæ ſumma omnis reprehẽſionis cõtinẽt: *Si tu cùm Iudæus ſis gẽtiliter viuis, et nõ Iudaicè: quomodo Gentes cogis Iudaizare?* Hæc, igitur, verba aut illud pri⁹ in Petto reprehẽdũt, quod cũ Iudæus eſſet, cum Gentibus tamẽ edere fuiſſet auſus: aut hoc poſterius, quod Gentes Iudaizare cogeret. Sed priùs reprehendi non potuit, quia Petr⁹ de cælo iuſſus fuerat ad Gẽtiles accedere, & cum ijs manducare, *act. 10. 14. et 28.* Idq; ſuũ factũ Iudæis ſecũ altercanrib⁹ cumulatè probauit.

Quomodo Paulus Petro reſtiterit in faciem.

Paulus non reprehendit Petrũ

Quàm humiliter Paulus cum Petri diſcipulis egerit.

Paulus ſiuit Petrũ reprehendi non poſſe.

Non enim peccarat edendo cum Gentibus.

Act. 11. 18. Fuit ergò reprehensũ posterius, quod Gentiles scilicet Iudaizare, & à cibis lege Mosaica vetitis abstinere cogeret. Sed in eo magnam Petro iniuriam fieri, nequaquã ignorare Paulus potuit. Si enim Gentes coëgit Petrus Iudaizare, aut doctrina siue verbo coëgit, aut vita siue exemplo, seu facto. Sed id neutro modo fecit: quod ipse Paulus hoc loco testatur. *Non doctrina*, confirmauit enim in concilio Pauli sententiam, & gentes lege Mosaica non teneri docuit. *Non facto siue exemplo*, quia paulò antè ipse cum Gentilibus comederat, & sic non necessarium esse Iudaizare docuerat: & deinde autem, quando Iudaizauit, & abstinendo à cibis vetitis se Legẽ Mosis seruare simulauit, nequaquam eo consilio aut fine id fecit, vt exemplo suo Gentiles Iudaizare cogeret, sed potiùs vt infirmitati Christianorũ ex iudaismo conuersorum parceret. *Timebat eos* (ait Paulus) *qui ex circumcisione erant*, pro timebat eis, solicitus erat pro eis, ne scilicet eos suus ciborũ vetitorum vsus scandalizaret aut contristaret. Sic eadem epistola *cap. 4.* de se ipso Paulus fatetur: *Timeo vos* (pro timeo vobis) *ne forte sine causa laborauerim in vobis.* Atq; hic timor, hæc cura, hæc solicitudo ita Petrũ decuit, vt nisi sic timuisset, hoc est, nisi ex cautione scandali simulasset, grauiter peccaturus fuerit. Sic enim Paulus ipse *Rom. 14.* scribit: Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas,] Ergò contra charitatis legem commisisset Petrus, si postquam superuenerunt infirmi fratres, cibis vetitis vesci cum Gentibus perrexisset. Fecit igitur, quod se ipsum fecisse Paulus gloriatur *1. Cor, 10.* Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite; sine offensione estote Iudæis, & Gentibus et Ecclesiæ Dei; sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant *1. Cor. 9.* Iudæis fact⁹ sum tamquam Iudæus (*id est. Iudaizaui*) vt Iudæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem (*sicut cũm Timotheum circumcidi, itaq; me Legem Mosis seruare simulaui* Actor. 16.) ijs qui sine lege erant (*Gentilibus*) tamquam sine lege essem, vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerẽ saluos.] Atq; huius Paulini moris & instituti peregregium legim⁹ exemplum *Act. 21.* Iacobus & seniores dixerũt Paulo. Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderũt, et omnes æmulationes

Neq; cogebat Gentes Iudaizare.

Quo consilio Petrus Iudaizauerit.

Petrus peccasset nisi Iudaizasset

Nam sic faciendum Paulus docuit.

Et sic Paulus ipse fecit.

Sic etiam docuit faciendum Iacobus Apostolus

latores ſunt Legis(*putant Legis Moſaicæ obſeruationem neceſſariam eſſe,quãuis non ad ſalutem,tamen ad perfectionem in illis præcipuè, qui Iudæi nati ſunt*) Audierunt autē de te,quod diſceſſionē doceas à Moſe eorum,qui per Gentes ſunt,Iudæorum , dicens non debere eos circumcidere filios ſuos,neq; ſecundum conſuetudinē ingredi,Quid ergò eſt?vtiq;oportet conuenire multitudinem : audient enim te ſuperueniſſe. Hoc ergò fac,quo tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor,votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis ſanctifica te cum illis,& impende in illis, vt radant capita : (*Sed quo fine ſic Iudaizabit Paulus?*)& ſcient omnes,quod falſa ſint,quæ de te audierunt,cùm& tu ipſe ambules cuſtodiens legē (*Ecce, quàm conſulatur Paulo,vt ſe Iudaizare et legē ſeruare ſimulet.*) De his autem,qui crediderunt exGentibus,nos ſcripſimus indicantes,vt abſtineant ſe abIdolis,immolato,& ſanguine& ſuffocato & fornicatione (*quaſi dicāt : cùm ijs Chriſtianis,qui Gētiles fuerūt præceperimus in gratiam infirmorū Chriſtianorū ex Iudæis conuerſorū aliqua legis Moſaicæ capita obſeruare,certè tu Iudæus natus multò plura in eorūdē gratiā meritò facere debes*)Tum Paulus aſſūptis viris poſtera die purificatus cū illis intrauit inTēplum annūcians expletionē dierū purificationis,donec offerretur pro vnoquoq; eorū oblatio *ſiue ſacrificiū*]Cum igitur Paulꝰ,qui præcipuè non IudaicorūChriſtianorū,ſed Gētiliū curam gerebat,tamen in gratiam Iudaicorum tam multa tamq; grauia ſibi facienda cenſuerit, quanto iuſtiùs Petrus,qui præcipuè Iudaicorum regendorum prouinciam ſibi reſeruarat,rem tam exiguàm, à cibis nempe gentilibus abſtinentiā gratificari eorū imbecillitati debuit:Itaq; tantum abeſt,vt in eo peccauerit,vt etiam ſingularis charitatis nomine plurimū commendari meruerit At enim (dicet Rex) ChriſtianosGentiles illa ſua ſimulata Legisobſeruatione offendit & contriſtauit, eoq; ipſo non Secundum Charitatem ambulauit. Sed ego etiam charitati erga Gentiles abunde ab eo ſatis factum puto,quod quamdiu id ſine Iudaicorum ſcandalo potuit,Gētilibꝰ factꝰ fuit tamquam gentilis,& cibis Legis vetitis ſimul cum ipſis veſci voluit. Poſtea verò quàm ſe ſineIudaicorum cōtriſtatione ampliùs id facere nō poſſe intellexit,prudētiſſimè , potius vt Iudaicis parceret,ſe cōparauit. Nam Gētilibꝰ iam non vna via conſultū. Primum enim ipſiꝰ Petri ſentētia &Concilij decreto àLegis obſeruatione liberatos ſe ſciebant. Deinde eundē Petrum iam modò ſibi gratificatum,& ſecū ſimul cibis vetitis veſcentem viderant Atq; adhuc ſatis datum Gentilibus ; de hinc etiam infirmitati Iudaicorum aliquid indulgendum putauit,cum præſertim propter ea , quæ iam

Paulus Iudaizat.

Rectiùs ergò IudaiZat Petrꝰ

Petrus non offēdit Gentiles.

Non erat veriſimile Gentiles Iudaizante Petro ſcandalum accepturos.

dixi,nullum metuendum videretur periculum, ne quid Gentilibus ſcrupuli inijceret, ſi Iudaizare eum viderent, maximè qui Paulum & Barnabam ſecum haberent, à quibus, ſi quid forte ſua Legis obſeruatione offenderentur, de vero ſuo conſilio, quod ſcilicet tantum Iudaicorum imbecillitati conſultum cuperet, doceri poterant. Quod autem res aliter, ac putarat,cecidit, eiusque poſterius factum non modò Iudæi ceteri, ſed ipſe quoq; Barnabas Gentilium Apoſtolus, imitari, & Iudaizare cibisq; vetitis abſtinere voluerunt, id à Petro nullo certè modo præſtari potuit. quomodo enim præuidere, imò vel ſuſpicari Petrus potuit, futurum vt ſuum exemplum auctoritati totius Apoſtolici concilij, & Pauli ac Barnabæ exemplo præferretur,in primis cùm nemo ignoraret,eum non ſolum doctrina in Concilio,ſed iam paulò prius proprio etiam exemplo Chriſtianorũ à lege moſis libertatem docuiſſe? Nihilominus id euenit, quod humana perſpicacia præuideri non potuit,vt eius Iudaizantis exemplũ pro lege acciperetur,quaſi eo ſcilicet ceteros quoque obſtringere & ad Iudaizandum cogere voluiſſet. Verum in hoc nullum Petri, ſed tantùm eorum,qui prudendiſſimum eius conſilium minùs intellexerunt,culpam in eſſe,nemo non ex hac mea diſputatione perſpicere poteſt. Si ergò Gentiles nec doctrina,nec facto Iudaizare Petrus coegit,nihil in eo fuit,quod Iure poſſet reprehendi: ac proinde nihil aliud fecit Paulus,quàm vt Petrum, quid alij in ipſo reprehenderent certiorem faceret,quod quidem ſummo artificio præſtitit. Sic enim concepit Admonitionis ſuę carmẽ ſiue formulã,vt neq; vllam Petro, qui nihil peccarat, iniuriam faceret,& ſimul tam Iudaizantiũ, quàm Gentiliũ errori omnem anſam præriperet. Cùm enim dicit Petro coram omnibus: *Si tu, cùm Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaicè: quomodo Gentes cogis Iudaizare?* Hoc nempe dicere videtur: Reprehenderis, Petre, à nonnullis,quod tuo nunc exẽplo Gentiles Iudaizare cogas: ſed ego eũ finẽ tibi propoſitũ eſſe non credo:alioqui paulò ante, cum Iudaicorũ nemo adeſſet, nequaquã nobiſcũ cibos Lege vetitos comediſſes. Sic certe nihil in Petro reprehẽdit, Gentiles quoq; eum,ab ipſis iniuria reprehendi docet: Iudæis autem,ne hoc Petri exẽplo ad veritatẽ Euangelij ſubuertẽdam vti poſſent, viam præcludit. cum ſuã doctrinã ipſo Petri facto paulò prius confirmatã fuiſſe,et nũc denuò eiusdẽ ſilẽtio ac tacito aſſenſu confirmari oſtẽdit. Atq; ita plusquã mathematicè demõſtraſſe videor, Petrũ ad quẽ Paulus doctrinæ ſuæ confirmationem impetraturus ADSCENDIT fuiſſe vnũ illum Paſtorem cuius

Petri factũ maioris auctoritatis, quam omnes Apoſtoli totũq; Concilium.

Prudentiſſimũ Petri concilium ab alijs non intellectum.

Pauli artificiũ.

Paulus ad Petrum velut ſummũ Paſtorem adſcendit.

cuius verba per Magiſtrorum ſiue Apoſtolorum Concilium data, velut Claui altè defixi Tabernaculum Chriſti ſiue Eccleſiam continebant, vt nullo falſæ doctrinæ vento aut turbine diſſipari poſſet: ſiue fuiſſe VNVM illud CAPVT, ad quod filios Iuda & filios Iſrael, hoc eſt, tam Iudaicos, quàm Gentiles Chriſtianos, ADSCENSVROS eſſe ſuperiori Oſeę loco prædictum didicimus.

CAPVT XXXI.

MICH. 2. Congregatione congregabo Iacob totum te: in VNVM conducam reliquias Iſrael: pariter ponam illum, quaſi gregem in ouili, quaſi pecus in medio caularum: tumultuabuntur, *ſiue, perſtrepent, ſtrepitum dabunt* à multitudine hominum. Adſcendet enim pandens iter ante eos: diuident & tranſibunt portam, & ingredientur per eam: & tranſibit REX eorum coram eis, & Dominus in CAPITE eorum] Hic duo diſcimus. Primùm Chriſtianos, quamuis ingens eorum ſit multitudo, tamen ſummam inter ſe cōcordiam & animorum coniunctionem, non tantùm in vno, altero, pluribuſue articulis, ſed omninò in omnibus habituros eſſe. *Congregabo te TOTVM*, inquit. Hoc ipſum docens Apoſtulus Rom. 12. Multi, *inquit*, vnum corpus ſumus in Chriſto. Et 1. Cor. 12. Omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Pſal. 67. Deus inhabitare facit vnius moris in Domo, *id eſt in Eccleſia*, quæ eſt domus Dei viui, 1. Tim. 3. *Ierem. 32*. Congregabo eos, & dabo eis cor vnum & viam vnam. *Sophon. 3.* Reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno, *ſiue vt verterunt 70. Interpp.* & ſeruiant ei ſub iugo vno, *hoc eſt, ſub obedientia vnius Paſtoris & Capitis.* Pſal. 123. Ieruſalem ædificatur vt Ciuitas, cuius participatio in id ipſum, *id eſt, vt Lutherus vertit*, ciuitas in qua ſimul habitari, ſeu concorditer viui oportet. Itaque hanc Eccleſiæ Vnitatem à Deo patre orauit Chriſtus *Ioh. 17.* Non pro eis Apoſtolis rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, VT OMNES VNVM ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.] Ad eam Corinthios cohortatur Apoſtolus 1. *Cor.* 1. Obſecro vos, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata: Sitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia.] Deinceps autem & hoc ex Micheæ loco diſcimus, cauſam huius tantæ tam multorum Chriſtianorum Vnionis & Concordiæ hanc eſſe, quia Vnum ſiue Paſtorem, ſiue Regem, ſiue Caput habent,

Chriſtiani quãuis multi, tamẽ vnum ſunt.

Chriſtiani ſeruiunt Deo ſub iugo vno, ſiue ſub obedientia vnius Paſtoris.

Cauſa vnitatis & Concodia in Eccleſia.

Quia omnes Ouium Caput habent, in cuius ore Christum loqui credunt.

in quo quia Dominum ipsum gregis, loqui persuasum habent (*Non enim vos estis qui loquimini*, ait Christ⁹ Matth. 10. *Sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et de se ipse Paulus. 2. Cor. 13. *An experimentum*, inquit, *quæritis eius, qui in me loquitur Christus?*) eiusq; vt pręcedētis Pastoris vocem sequuntur, velut Christus quoq; docet Ioh. 10. Pastor ouium intrat per ostium. Huic ostiarius (*Spiritus nempe sanctus per impositionem manuū Presbyterij datus*) aperit, & cùm proprias Oues emiserit, ante eas vadit, & Oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.] Est ergò

Pascere & Regere pro eodem accipiuntur.

Pastor idē, qui *Rex*, sicut etiam *pascere* & *regere* pro eadem re in scripturis passim vsurpantur. *Psal. 77.* Elegit Dauid seruum suū pascere Israel hęreditatem suam: & pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuū suarum deduxit eos, *Isai. 44.* Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnē voluntatē meam complebis. *Mich. 5.* Ex te mihi exiet Dux, qui regat, *siue vt est in Græco*, qui pascat populum meū Israel:] vnde intelligimus, Pascere esse regere seu Dominari, & Pastorem, Regē. nam de eodē Angelus dixit: *Regnabit in domo Iacob in æternū* Similiter *Apocal. 19.* de eodē Christo dicitur: *Ipse reget eos in virga ferrea.* Vbi Græcus text⁹ habet: *Ipse pascet eos.* Est igitur REX ille, qui ante homines domus Iacob iter pandit, supremus Ecclesiæ Pastor, qui omnes Christi oues pręcedit, quem Oues sequuntur, eiusq; vocē audiunt, neq; quicq̄ dubitant, quin Dominus ipse sit in hoc eorū capite & per os eius loquatur. Neq; potest Rex Anglus ad Hebraismum cōfugere ac dicere, *in Capite*, nihil esse aliud, quàm in principio: Nam *Regem* hoc loco pro *Pastore* Eccle-

Rex pro Doctore siue Pastore Ecclesiæ.

siæ dici, satis constat. Et Lutherus ipse *Psalmo 67.* Apostolos & Episcopos Reges dici fatetur. Nam hæc Psalmi verba: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti: & speciei domus diuidere spolia. Dum discernit cœlestis Reges super eam, niue dealbabuntur in selmon.* Sic in Germanicis suis Bibliis reddidit: *Dominus dat verbum, in magno numero Euangelizantes. Reges exercituum inter se diligunt, & species domûs diuidit spolia. Cum Omnipotens passim Reges inter eos constituit, lux oritur, vbi caligo fuerat.* Et in glossa dicit, sermonem hic esse de Ecclesia, Christi sponsa, deque Apostolis concorditer docentibus. Idque verè ab eo dici, quæ statim in Psalmo consequuntur, planum faciunt: *Adscendisti in altum, dona accepisti in hominibus* Nam hæc *Dona* Paulus ad Ephes. 4. interpretatur, Apostolos, Euangelistas, Prophetas, Pastores & Doctores, quibus Christus dixit: *Vos estis lux mundi*, postquam ego scilicet in altum adscendero. *Quamdiu enim sum in mundo, lux sum mundi*, Ioh. 9. Similiter quamdiu Christus

ſtus erat in mundo, erat Rex & Paſtor Eccleſię. *Adſcendens verò in altũ, dona dedit hominibus* (ita enim citat Paulus, cùm Hebręa Pſalmi verba potius dicant, *dona accepiſti ab hominibus*. quo Spiritus ſanctus docere voluit, Eccleſiæ Doctores & Rectores non immediatè, ſed per electionem humanam à Chriſto datum iri) & paſſim conſtituit Reges ſuper eos, qui luce & ſplendore verbi diuini ceteros illuſtrent. Sunt ergò Reges iſti Eccleſiæ Paſtores, quorum vnum aliquem CAPUT fore, ſatis ſupra hiſce Iſaiæ verbis docui: *Princeps digna Principe cogitabit, & ipſe ſuper Duces ſtabit.* Nam Duces eſſe Paſtores & Doctores, etiam ex *Zach. 9.* diſcimus: In die illa ponam Duces Iuda, ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut faciem ignis in fœno: & deuorabunt ad dextram & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu: & habitabitur Ieruſalem rursùs in loco ſuo in Ieruſalem.] Vbi *ignis* eſt prædicatio verbi diuini, de quo Chriſtus Luc. 12. *Veni ignem mittere in terram.* Ierem. 23. *Nonne verba mea ſicut ignis, dicit Dominus?* Itaque Duces Iuda, qui habent ignem in ore, ſunt Paſtores & Doctores qui populos omnes Chriſto per Euangelium ſubijciunt. *Ierem. 5.* Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem & populum iſtum in ligna, & vorabit eos.] De his ipſis Ducibus loquitur *Pſalmus* 44. Pro patribus tuis (*ò Eccleſia*) nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.] Patres ſunt Apoſtoli, qui Chriſto per Euangelium filios primos genuerunt, velut Paulus de ſe ipſo ait 1. Cor. 4. Poſt hos Eccleſia ipſa ſibi Epiſcopos paſſim conſtituit, per eos ſcilicet, qui eam prouinciam ſortiti ſunt per impoſitionem manuum Presbyterij. Et Rex, qui ſuper hoſce Duces Principeſque ſtat, ſiue, qui præſidet in his, quæ ad Deum pertinent, non Dominus eſt gregis Chriſti, ſed Paſtor tantùm. Itaque cùm Micheas dicit: *Tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in Capita eorum*, docemur Regem illum non Dominum eſſe Eccleſiæ, ſed caput in quo tamen capite Dominus ipſe habitet. De hoc ipſo eſt locus *Ierem. 30.* Ecce ego conuertam conuerſionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miſerebor, & ædificabitur Ciuitas in Excelſo ſuo (*id eſt, velut infra pluribus docebo, fundabitur Eccleſia Romæ*) Et erunt filij eius, ſicut à principio, & Cœtus eius (*ſiue Eccleſia*) coram me permanebit: & erit Dux eius (*ex cœtu Iacob, ſiue ex Eccleſia*) & Princeps de medio eius producetur: & applicabo eũ, & accedet ad me. quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuũ vt appropinquet mihi, ait Dominus?] Hic Dux nõ eſt Chriſtus. nam Chriſtus nõ fuit de medio cœtu ſiue Eccleſia ꝓductus, ſed ipſe demũ cõſtituere cœtũ cœpit, & velut

Epiſcopi ſunt Duces Eccleſiæ.

Ignis, prædicatio verbi diuini.

Apoſtoli Patres Eccleſiæ.

Epiſcopi, Principes.

Papa, Rex.

Idemq; Caput, in quo eſt Dominus.

Dux & Princeps Eccleſiæ ſummus.

lut Iohannes loquitur Ioh.11. *mortuus est, vt filios Dei dispersos congregaret in vnum*: deinde Christus sua sponte, non attractus, applicuit cor suũ, vt Deo appropinquaret. *Oblatus est, quia ipse voluit*, ait Isaias cap. 53. At enim hic talem Ecclesiæ Ducem commemorat, qui ex medio Ecclesiæ productus sit, nempe per electionem, quique sua sponte nequaquam animum ad Deum applicaret, nisi ab ipso attraheretur. De hoc ipso Rege, Duce, seu Principe siue capite legimus *Ezech.* 37. Hæc dicit Dominus. Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, & congregabo eos vndique, & faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel (*id est, in Ecclesia*) & Rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltra duę gentes, nec diuidentur amplius in duo regna] *Et mox*: Seruus meus Dauid Rex super eos, & PASTOR VNUS erit omnium eorum. *Et rursum*: Dauid Seruus meus Princeps eorum in perpetuum] Non est dubium, quin Christus sit Rex, Princeps & Pastor vnns Ecclesiæ, quoniam adscendens in altum VNUM suo loco Pastorem dedit: *Pasce Oues meas*: quod paulò priùs satis executus fui, vt eadem hic repetere minimè attineat. Similis locus est *Ezech.* 34. Suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, Seruum meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem: ego autem Dominus ero eis in Deum: & Seruus meus Dauid, Princeps in medio eorum] Hic ergo de tali Ecclesiæ Rege ac Pastore, qui non sit Deus, neque ab Ecclesia vt Deus colatur, sermo est, vt perspicuum sit, hunc Dauid non esse ipsum Christum (siquidem de illo Psal. 44. legimus: *Concupiscet Rex decorem tuum*, ò Ecclesia: *quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum*) sed filium Dauid, siue Christi, hoc est, vnum ex ijs, quos Christns per Euangelium genuit. Itaque se ipsum Deus sic interpretatur. *Ierem.* 33. si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo: & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes ministri mei. *Et mox*: si pactum meum inter diem & noctem, & leges cœlo & terræ non posui: equidem & semen Iacob & Dauid serui mei proijciam, vt non assumam de semine eius PRINCIPES seminis Abraham, Isaac & Iacob.] Quod hic Dauid sit Christus, discimus ex *Isai.* 55. Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi eum (*Dauid*) Ducem ac Præceptorem gentibus.] Promittit ergo Deus, semper vnum aliquem de semine, siue ex filiis Dauid futurum Pastorem vnum, siue Regem super Duces ac Principes

Vnus Ecclesiæ Rex.

Papa vnus Pastor & Princeps Ecclesiæ.

pes ſtantem, hoc eſt caput Epiſcoporum & Sacerdotum: Siquidẽ hoc Ieremię loco, quos priùs Sacerdotes & Leuitas dixerat, poſtea *Principes ſeminis Abraham* appellat, cùm ſe promittit de ſemine Dauid, ſiue de Chriſtianis, aſſumpturum Principes, quod *Iſai.66.* hoc modo explanat: *Et aſſumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus.* Cur autem eoſdem Principes ſeminis Abraham vocet, ibidem declarat: *Et ponam in eis ſignum & mittam ex eis, qui ſaluati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam: in Italiam & Græciam, ad Inſulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus &c.* Nimirum ex omni terra aliquos conuertunt & Chriſti ſemen faciunt iſti Sacerdotes, eaque re Principes ſeminis Chriſti, filij Abrahæ, rectè appellantur. Sed ne Imperium Eccleſiæ Ariſtocraticum potiùs, quàm Monarchicũ videretur, diſertim Deus dixit pręter hos Principes, Leuitas & Sacerdotes, etiam vnum ſemper fore Regem ſuper Principes ſtantem, vnum Paſtorem Chriſtianorum omnium, qui in throno Chriſti regnet, qui ante Oues omnes iter pandat, & corpori velut caput pręſit.

Epiſcopi Principes ſeminis Abraham.

Imperium Eccleſiæ plus Monarchicũ, quàm Ariſtocraticũ.

CAPVT XXXII.

IOH. 21. cùm prandiſſent, dicit Simon Petro Ieſus: Simon Iohannis, diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu ſcis, quia amo te: Dicit ei: Paſce agnos meos: Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te: Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Iohannis, amas me? Et contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? Et dixit ei Domine, tu omnia noſti: tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Paſce oues meas. Amen, amen dico tibi, cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas. Cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.

Petrum Chriſtus totius Ouilis ſui Paſtorẽ fecit.

Paſtor bonus pro ſalute Ouium mori paratus eſſe debet.

Cùm primùm Chriſtus Petrum vidit Ioh.1. nomen ei cõmunicauit, & *Cepham* ſiue *Lapidem, Saxum, Petram* deinceps vocari iuſſit, ipſius nempe Chriſti nomine. Siquidem ipſe ſe Lapidem à Spiritu ſancto appellari docuit Matth.21. vbi Pſalmi verba hæc adducit: Lapidem, quem reprobauerũt ędificantes, hic factus eſt in caput anguli.] Et Paulus ac Petrus Rom.9. & 1.Pet.2. Chriſtũ dicunt eſſe *Petram* illam, de qua

Chriſtus ſuum nomen cum Petro cõmunicat.]

Isai.8.& 28. prædictum fuerat: *Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, pretiosum, & Petram scandali &c.* Cùm ergò Simonem Christus suo ipsius nomine affecit, & Petram siue Lapidem dixit, simul eum sibi Vicarium, & suo loco Ecclesię Regem ac Pastorem vnum fore significauit, velut etiam bis ante passionem suam ei promisit. Primùm *Matth. 16.* Ego dico tibi, quia tu es Cephas (*siue Lapis aut Petra. nam Christus neque Græcè neque Latine locutus est, sed Syriacè* Cephas *dixit, quod est Petra*) & super hanc Petram, *super hunc Cepham* ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.] Deinde *Luc. 22.* vbi postquàm docuit Iesus, cuiusmodi inter Christianos imperium esse debeat, nempe non dominicum & violentum, (quale est Regum gentilium, qui dominantur, siue austerè & crudeliter imperant, & sicut illi olim Iudaici populi *Pastores*, *qui cum auctoritate imperabant ouibus & cum potentia,* Ezech. 34. Nam hoc significat *Dominari*, vt Ierem. 31. *Ego sum Dominatus eorum, quia irritum fecerunt pactum meum*, id est, non iam, vt priùs paternè, sed vt contumaces seruos heriliter eos tractaui, & velut Lutherus interpretatur, *vi eos coëgi.* Vult ergò Christus vt inter Christianos non modò Clericos, sed etiam Laicos, non sit eiusmodi violentum seu Despoticum aut Herile imperium) sed benignum & paternum, & eum, qui *Maior* siue Magistratus ac Dux futurus sit, quomodo se Magistratus officio adhibere debeat, admonuit, vt se scilicet eorum, quibus præest, vtilitati seruire, omniaque ad alienam vtilitatem referre oportere meminerit (nec enim prohibet, quo minùs aliquis inter Christianos sit Maior ac Præcessor, tantùm cuiusmodi esse ac non esse Maior debeat, præcipit) ad extremum, quis Maior ac Præcessor siue Doctor ceterorum esse debeat, hisce verbis explanat: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos (*omnes Apostolos ceterosque in me credentes*) vt cribraret sicut triticum (*id est, vt vos fide in me excidere faceret*) Ego autem rogaui pro Te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,] hoc est, quando ego in cœlum assumptus fuero, tunc volo vt te ad homines Ecclesiæ meæ conuertas, eosque in fide confirmes, siue tuæ fidei firmitate ceterorum fidem corrobores. Quod ergò his binis ante passionem locis Petro promisit, hoc ei in illo *Ioh. 21.* loco re ipsa contulit ac repræsentauit,

Christus promittit Petro, eũ fore fundamentum Ecclesiæ suæ.

Christiani Magistratus nõ dominantur, sed seruiunt subditis.

tauit, hoc est, Petrum suo loco Ecclesiæ caput, Regem seu Pastorem vnum constituit, eique non modò Agnos, id est Laicos Iudæos & Gentiles, sed Oues quoq;, quę Agnos pariũt, hoc est, Clericos & Episcopos pascendos commisit. Sed vt id fiat planius, neq; cuiquam hac omni de re dubium aut incertum esse possit, quæ causa fuerit, cur Christus de *Amore* Petrum tam accuratè percunctatus fuerit & examinarit, paulò altius ordiri, & velut à capite omnis Dominij atq; Imperij iura titulosq; repetere constitui.

Cur Christus de Petri amore ter tium sciscitari voluerit.

CAPVT XXXIIII.

AC primùm quidem illud apud omnes in confesso est, quod is demum verè dicatur Dominus *de iure ac de facto*, qui rebus vtitur, tamquam suis quocumque velit modo & tempore. Et sic solus Deus est Dominus vniuersi, quippe à quo solo res omnes habent, quicquid sunt, aut fiunt. *Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt* (ait Paulus act.17. in Areopago) *hic cæli & terræ est Domin⁹: ipse dat omnibus vitã, & inspirationẽ, & omnia: fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum. In ipso viuimus, & mouemur, & sumus.* Hoc suum Dominium nunquam in vllam creaturam transfert Deus, nisi ex parte tantùm & cum conditione, ad vsum scilicet ab ipso præscriptum, ita vt secus faciens, restituere rem teneatur (Isai.48. *Ego Dominus, hoc est nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo.*) Ita qui oculis, manibus, glad o aut re quacumq; abutitur, siue plus minusue, aut alio loco, tempore & modo, quàm Dei Lex æterna, naturalis aut scripta permittat, vtitur, eum restituere Deo rerum illarum Domino oportet siue pœna, siue pœnitentia, quæ est pœna voluntaria. Igitur à Deo est omne imperium & dominium, quo nemo afficitur, nisi rei quam possidet aut gubernat, bono aliquo diuino præstet. Nam in exsuperantia siue excellentia boni, seu per gratiam Dei propriam, seu per Naturam communem dati, omnes Imperiorum ac Dominiorum tituli consistunt. Itaque non gregi Caper aut Aries imperat, neq; armentis Taurus, sed Opilio aut Bubulcus, diuiniori nempe bono, hoc est ratione præditus: eaque re bestiæ, quæ Regem superioris generis non habent, aliæ in anarchia & sine vlla imperij forma viuunt, cuiusmodi sunt leones, vrsi, lupi, passeres, aquilæ &c. aliæ Democratiam seu popularem statum imitantur, vt Locustæ (Prouerb. 30. *Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas*) Grues,

Dominus propriè quis dicatur.

Deus solus Dominus vniuersi.

Deus quomodo & quatenus suum Dominium.

Omne dominiũ & imperium est à Deo.

Grues, Formicæ &c. Apibus, quæ Monarchia vtuntur, Regem Natura dedit, excellentioris generis, quippe reliquas colore & magnitudine superantem. Eadem Piscium nonnullorum est ratio, qui Regem habent à natura coronatum. Omnia porrò bona, quæ alterum alterius dominio aut imperio dignum habilemque reddunt, ad horum trium aliquod referuntur, *Potentiam* scilicet siue Vires, sapientiam siue *Prudentiam*, & Amorem siue Bonitatem, quę in dilectione Dei & proximi consistit. Aquila columbis imperat, quia maiores ei Natura vires tribuit. *Manus fortium dominabitur*, ait Salomon *Prou.* 12. Elephantis & Equis multò se fortioribus Homo dominatur propter Sapientiam. Filijs imperat *Pater*, quamuis & robustioribus & prudentioribus, propter Amorem: nec enim minùs eos diligit, quàm se ipsum, neque vllus ab eo dolus aut fraus in regendis filiis adhiberi potest. Hinc intelligitur, neminem hominem alterius hominis Dominum à Deo constitui, sed neque patrem, ducem, Rectoremue alteri præfici, nisi vel alter infra hominem se abijciat, & velut à conditione humana in belluam degeneret (quemadmodum hæc Salomonis verba significant *Prou.* 11. *Qui stultus est, seruiet sapienti*) vel hic priùs supra hominem extollatur, diuino aliquo bono siue naturæ, siue gratię affectus: Ita Mosen constituerat Deus *Deum ac Dominum Pharaonis*, cùm ei iam sapienti & bono *Potentiam* faciendi miracula insuper attribuit. Nabuchodonosor autem acceptis à Deo viribus ceteras Nationes sibi subiecit, velut Dei carnifex eos, qui per Idololatriam aliaque scelera ab humana natura & recta ratione defecerant, castigans. Atque huiusmodi sunt omnium Tyrannorum imperia, violenta scilicet & robore corporis nixa, tametsi nonnulli assimulatam sapientiam & fictum Amorem siue fucatam bonitatem aut Hypocrisin adiungant. Sicut enim verum & legitimum Regnum super animi robur, *Prudentiam* & boni publici Amorem siue veram Virtutem ædificatur: ita Tyrannis in suis satellitumque viribus corporis, itemque in Astutia, quę est priuatæ suæ vtilitatis perspiciendæ & procurandæ solertia (*Ius status*, siue, *Ragion di stato* vulgò dicta) postremò in adumbrata quadam Virtute simulatoq; Dei & sibi subiectorũ amore consistit. Atq; ex istis Naturalis Imperij gradus cognoscere licet. Est nempe primus & optimus, cùm qui pręest, ceteros animi robore, sapientia & amore seu bonitate antecellit: cuiusmodi fuit apud Romanos Antoninus Philosophus, apud Hebręos Dauid, de quo *Psal.* 77. legimus: *Pauit eos*, siue regnauit, *in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit*

Tres omnis imperij tituli.

Quæ res inter homines alterũ alteri subijciat aut præficiat.

Moses quomodo Deus Pharaonis.

Nabuchodonosor quo titulo ceteras nationes subiugarit.

Tyranni quos habeant imperij titulos.

Ratio status.

Gradus varij naturalis imperij.

duxit eos. Quæ verba duos modò Imperij titulos, Amorem & ſapientiam complectuntur. Sed de ipſius Potentia cum animi, tum corporis, alijs locis Scriptura teſtatur, vt Pſal. 17. *Deus præcinxit me virtute, docet manus meas ad prœliũ & poſuit vt arcũ æreũ brachia mea.* Proximè accedit, qui ceteris eſt fortior & ſapientior, velut Iulius Cæſar. Tertium locum tenet, qui præſtat ſapientia, velut Vliſſes ſed huius generis homines plerumq; Natura, non Fortuna ſunt Principes, vt Socrates, Cato, Pythagoras: ſicut è diuerſo nonnulli & natura & fortuna, ſiue, iure & facto imperant, velut Alexander, Cæſar &c. alii partim natura, partim fortuna, vt Annibal, Scipio, Camillus: quidam deniq; Fortuna, non natura, velut ij plerumq; ſunt, qui quarto loco imperant, ceteris nempe robuſtiores, vt Cambyſes, Attila, Dionyſius &c. quibus Deus, vt dixi, carnificibus ad expetendum à peccatoribus ſupplicium vti ſolet, tametſi ipſi de hoc Dei conſilio nec ſuſpicentur. Verũenimuero pro rerum humanarum conditione, quæ vix producit hominem æq; fortem, ſapientem ac bonum, ſatis à Deo ad Imperium habilis factus videtur, qui ſapientiam animi viribus non deſtitutam, & malitiæ expertem, ſortitus fuerit: Si quidem vnum quemq; in eo, quod plus aliis ſapit & intelligit, imperiò vti videmus. *Melior eſt Sapientia fortitudine, & melior, quam arma bellica,* Ecclæ. 9. quia *Ciuitatem fortium adſcẽdit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ eius.* Prou. 21. Tutor quidem certè pupillis, licet Nobilioribus & ditioribus, imperat, tantum quia plus iis videt ac ſapit *Seruus ſapiens,* ait Salomon Prou. 17. *dominabitur filijs ſtultis.* Nauclero ob rei nauticæ peritiam, inprimisq; cum mari magno nauis iactatur, Sacerdotes & Reges ipſi parere & dicto audientes eſſe ſibi ſalutare putant. Pædagogus vel Principum liberos ferula cædit, tantùm quia eſt doctior. Medicus poſtremò *mixtum & merum,* præbendis potionibus, omninò in omnes ægros, etiam Reges *imperium* exercet, quod morbum meliùs perſpicere, & quid remedii poſtulet, plus ſcire videatur, Sed cùm ſæpe ſapientiam in Aſtutiam conuerti contingat, vt is demum ſapere ſibi videatur, qui omnia priuato ſuo bono ſiue iucundo, ſiue vtili, ſeu deniq; glorioſo metitur, cumq; Principes ipſi nonnumquam alias res agant, ſeu minus in rem præſentem cogitatione intenti ſint, interdum etiam affectibus tranſuerſi agantur, & ab ipſius ſapientiæ regula deflectant: propterea ſapientiam Publici ſiue Communitatis Deus dedit, ad quam cùm Princeps in imperando, tum ſubiecti in parendo, velut ad normam ac regulam ſe componerent, eaque LEX dicitur, & eſt vel diuina, vel

Sapientia malitia expers ſufficiens Imperij titulus.

Sapientia in Aſtutiam degenerans.

Sapientia Societatis ſiue publica, hoc eſt, Lex.

Lex diuina sempiterna. Humana. Diuina vel æterna, vel Naturalis. Lex æterna est Verbum siue Sapientia Dei, per quam ducit, nec tamen cogit, omnes creaturas ad præscriptos à se fines, aliterque *Fatum* & *Fortuna* in euentibus humanis dicitur. *Lex diuina Naturalis.* Lex diuina Naturalis est participatio illius æternæ, quam post Adami præuaricationem Deus amicis suis reuelauit, & rursum postea obscuratam Moysi declarauit, per Christum denique suppleuit ac perfecit : & continetur in veteris ac noui Testamenti libris. *Lex humana.* Lex humana est vel æternæ illius per naturalẽ legem declaratio, vel vtriusque καθόλυ siue vniuersè præcipientis ad peculiaria tempora, loca personasque accomodatio : quæ quidem tanto rectiùs posita videtur, si, quæ præuideri possunt, omnia definiat ac decidat ipsa, quam fieri potest paucissima arbitrio ac potestati eorum, qui iudicijs & consilio præsunt, relinquens, quemadmodum pulchrè Aristotoles *1. Rhet. 11.* disputat. Promulgatur autem Lex siue ab omnibus è Societate promiscuè; siue tantùm à Sapientissimis Dei auctoritate commendatis, qualis erat Moyses; siue ab ijs, qui eam auctoritatem à Societate acceperunt, vt Solon, Lycurgus, Numa; siue quibus potestas illa partim à Deo, partim ab hominibus data est, qualis est *P*apa. *Lex humana mutabilis.* Et huiusmodi Lex humana cum propter bonum aut malum præsens, siue instans lata est, mutationi est obnoxia, rursumque abrogari potest. Sanctio verò legi naturali repugnans, Lex esse non potest, sed Regula à Tyrannis aut inpibientibus contorta aut deprauata, neque ea quisquam obligatur. *Quis Princeps habeat sufficiẽtes imperandi titulos.* Cùm igitur sic in medio sit communis sapientia siue Lex, omnes iam Imperij titulos habere rectè videbitur, si quis saltem Amore Dei ac proximi, seu virtute, ceteris præcellat. Nam quod viribus Principi deest, Societatis potentia suppletur, dum tamen animus ei adsit, ceteros Societatis viribus ad legum obseruationem, si opus sit, cogendi. *Bonus Princeps idem & sapiens.* Ipse quidem nulla suæ siue gloriæ, siue vtilitatis ratione habita, sed omnia ad Dei gloriam, & ad subiectorum, velut Dei filiorũ, emolumenta referens, neque quicquam non illorum potiùs causa, quàm sua, vt sibi scilicet suo ipsorum bono pareant, exigere ab ijs solitus, periculum non erit, ne minùs sit sapiens, tametsi literarum ac disciplinarum non æquè gnarus aut peritus sit. *Quamuis minus literarum peritus.* Nam Lex, communis Sapientia, minimè ab eo Legis tam studioso & obseruante ignoratur : *Habet enim sapientiã publicã.* cumque Lex sit perpetuò sui similis, neque affectibus aut morbis subiaceat, semper vt sit sapiens necesse est : *Et quidem perpetuo.* (*qui custodit Legem filius Sapiens est*, Prou. 28.) vt præteream, numquam eos, qui verè Deum

um amant, ita gratię diuinæ exsortes fieri, quin quo sua aliorumque vtilitas postulat, sine errore deducantur, cum præsertim Reges Christiani cùm regno ab Episcopis inaugurantur, & oleo precibus Ecclesiæ benedicto perducuntur, Gratiam Spiritus sancti ad fungendum munus suum necessariam accipere soleant, sicut de Iosua *Deut. 34.* legimus: *Iosue repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.* Atq; tunc locum habet illud *Prou. 16. Diuinatio in labijs Regis, in iudicio non errabit os eius.* Sed quantas Sacerdotalis benedictio ad impertiendam Regibus sapientiæ ac Fortitudinis gratiam vires habeat, quoque modo eam Reges gratiam subinde resuscitare possint, alio loco pluribus exsequemur.

Et à Deo peculiariter regitur.

CAPVT XXXIV.

ATQVE ex his apparet, quo consilio Christus Petro vniuersi sui ouilis curam, siue supremum Ecclesiæ regimen committens, tam accuratè, vtrum se plus, quàm ceteri Apostoli, amaret, percunctatus fuerit. Nempe non tam Petrum officij admonere, eumq; ad diligentissimam ouium suarum custodiam cohortari, quàm ceteris Apostolis dispensationis suæ iustitiam declarare voluit. Quomodo enim non iustè Petrus ceteris præferretur, qui & sapientia ceteris par esset, Potentia verò & Amore omnes superaret? De *Sapientia*, in confesso est, nam pariter omnes Legem siue voluntatem Dei ex Christo didicerant (Iohan. 17. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.*) & postea interpretationem Legis veteris ac Prophetarum ex eiusdem Christi iam glorificati ore audierunt (Luc. 24. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas*) vt autem quæ Deus generatim & vniuersè siue æterno suo decreto, siue naturali lege præceperat, pro re nata ad certa loca, tempora, hominumque genera accommodare siue applicare sine errore possent, Spiritus sancti gratiam omnibus ex æquo Apostolis distribuit, velut eis Christus promiserat. *Iohan. 16.* Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. *Iohan. 14.* Paracletum dabit vobis Pater, Spiritum veritatis, qui apud vos manebit, & in vobis erit. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumq;

Duæ causæ cur Christus Petrū de Amore percunctatus fuerit.

In Petro non erat minor sapientia, quàm in ceteris Apostolis

cumq; dixero. vobis *id est*, quę ego in genere præcepi, ea vos rectè ad peculiaria loca & tempora docebit applicare. *Matth. 10.* Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis] Itaque ex æquo omnes Apostoli in Concilio congregati lege lata sanciunt *Act. 15.* Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato & fornicatione] Igitur sapientia Petrus reliquis Apostolis par fuit, tametsi Gubernandi & ipsos quoq; Apostolos pascendi scientia, tanquam ad exercitationē muneris ipsi commissi necessaria, excelluisse eum oportet, cum *Isai. 28.* promissū fuisse legam: *Spiritus iudicij erit sedēti super iudiciū:* quibus verbis docemur, vnicuiq; membro donum spiritus, quo ei in fungendo munere suo vsus est, tribui Potentia certè & Amore Apostolis Petrus præstitit. *Potentiæ* quidem eius exsuperantia non ex eo tantum colligitur, quod Christus ei suum nomen *Petra* seu *Cephas*, quod est nomen fortitudinis ac potentiæ, impertiri, ab eoq; *fratres confirmari* & corroborari, siue vires accipere voluit, sed etiam quod miraculorum ac virtutum efficacia magis in ipso exsplenduit. Nam *Act. 5.* Ananiam cum vxore solo vocis suæ sono interficit, ægros autem umbra sua sanos reddit. Quod verò etiam *Amore* ceteros superarit, ex superioribus Christi verbis planum fit. Ideò enim Imperium in gregem suum ei committit, quia plus ceteris ipsum amet: ex quo maximè paternum eius regnum fore intelligi poterat.

Sapiētia gubernandi & pascendi Petrus ceteris Apostolis superior.

Petrus maiorē ceteris Apostolis Potētiā habuit

Maioremquoq; Amorem.

CAPVT XXXV.

ET adhuc quidem vnum à Christo Pastorem constitutum esse, qui Ecclesiæ totius, loco ipsius Christi, CAPVT sit, siue qui capitis, hoc est, totius Cleri supremum locum velut Vertex teneat, cumulatissimè ex scripturis probaui. Nunc de Duplici Corona, quam vertice sustineri, deq; gladio duplici, quorum alterum ore, alterum manu Ecclesiæ teneri dixi, scripturæ loca in medium afferam.

Zach. 6. Factum est verbum Domini ad me, dicens : sume tibi aurum & argentum, & facies coronas (*nempe duas, auream & argenteam*) & pones in capite Iesu filii Iosedec, Sacerdotis magni (*qui vir portendens erat, vt Zach. 4. legimus, hoc est, Iesum Christum Sacerdotem maximum præfigurabat*) & loquêris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum dicens : Ecce Vir, oriens nomen eius (*id est, ueniet vir, qui vocatur*

Prophetia de spirituali ac saculari potestate Ecclesiæ.

tur Oriens, *nempe Christus, de quo Luc. 1.* Visitauit nos Oriens ex alto. *Et Isai 60. super te Orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur*) & subter eum orietur, & ædificabit Templum Domino Et ipse extruet Templum Domino (*id est, Ecclesiam congregabit*) & ipse portabit gloriam (*id est, vtramq; Coronam*) & SEDEBIT (*in sede regia & Sacerdotali*) & DOMINABITVR (*siue regnabit*) super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illa duo. *id est, pulchrè vtrique potestati, spirituali & sæculari in Christo conueniet, nec alteram altera impediet.* Et mox: *Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in Templo Domini.*

Hinc duo discamus licet. *Primùm*, Christum non esse tantùm Sacerdotem, sed etiam Regem, hoc est, spirituali & sæculari potestate præditum: id quod etiam Psal. 109. significat: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdotes in æternum secundum ordinē Melchisedech*, hoc est, vt Hebr. 7, 15. explicatur, *secundū similitudinē*, siue instar Melchisedech, qui panē & vinū velut Sacerdos obtulit (Genes. 14, 18.) & simul Rex sæcularis fuit. Itaq; ne tantùm vt Sacerdos Melchisedechi similis Christ⁹ videretur, propter simile scilicet sacrificiū, disertim Psalm⁹ idē Regni commeminit: *Virgā* siue sceptrū *virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorū tuorū &c.*] *Deinde* discim⁹, hanc de Christi regno & Sacerdotio prophetiam in mēbris ei⁹ impleri. Quod enim priori loco de ipso Christo dicitur, eum Domino Tēplū ædificaturū esse: hoc posteri⁹ alijs tribuitur, quos nēpe Christ⁹ *in altū adscēdēs suo loco Pastores ac Doctores dedit in ædificationē corporis Christi*, Eph. 4. Itaq; modò cicat⁹ Isai. 60. loc⁹ *Christi gloriā* siue duplicē potestatē in Ecclesia *visum iri* affirmat: *super te orietur Dominus, et Gloria eius* (orientis) *in te videbitur.* Et Isai. 61. perspicuè Sacerdotib⁹ hui⁹modi duplex Gloria tribuitur: Vos autē Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinē Gentiū comedetis, & in Gloria earū superbietis (*regia potestate conspicui eritis. Mat. 6* Nec Salomō in gloria sua coopertus est sicut vnū ex istis *Gen. 45.* Nunciate patri meo vniuersam gloriam meam, *id est, regiæ similē dignitatē*) Pro confusione vestra duplici & rubore, laudabūt partē suam: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.] hoc est, quia à Sacerdotib⁹ eiecti & ludibrio habiti, à sæculari vero Regū & *Præsidū* potestate vexati & oppressi fuistis, vtroq; & sacerdotio & Regno potiemini, & eritis, quod Christianis S. *Petrus* tribuit 1. *Pet. 2. Sacerdotale Regnū* siue *Regale Sacerdotiū*, de quo Apo. 1. Iohannes testatur, cum dono & gratia Christi, *Principis regum terræ, Domini Dominorum & Regis Regum* (Apocal. 17.) *nos Regnum & Sacerdotes factos dicit.*

Christus Sacerdos & Rex.

Instar Melchisedech.

Christus Regno & Sacerdotio per suos ministros, Episcopos fungitur.

Sacerdotibus Deus dat suam gloriam.

Gloria pro dignitate Regia

CETERVM quia non modò Hæretici, omni sæculari Dominio & imperio Ecclesiam exuere contendunt, sed etiam Catholicorũ nonnulli regiam siue sæcularem potestatẽ à Christo Ecclesiæ, & propriè quidẽ Vicarijs suis, summis Sacerdotib⁹, relictam, exiguis spatijs circũ scribũt ac definiũt, idq; propterea, quòd neq; Christũ ipsũ quà homo fuit, vllam sæcularẽ potestatẽ habuisse existimẽt: allatis nũc in mediũ scripturæ locis, Christi & Ecclesiæ regnandi ius, nullis omninò terminis, nisi orbis terrarũ, definitũ, à malignis illis circũ scriptoribus vindicabo.

Christus duplici titulo Dominus est totius orbis.

Primùm omniũ duplici titulo Christum totius Mundi verũ Dominũ ac Regẽ fuisse & esse contendo, titulo nempe creationis & conseruationis, tũ Redẽptionis & instaurationis. Cum enim sit Dei sapientia & æterna ratio, per quam Deus Mundũ creauit & adhuc conseruat: cumq; vniuersũ Orbẽ terræ, homo postea fact⁹, sanguine suo emerit, omnesq; Reges, quomodo ad suam & aliorũ salutẽ regno vti debeant, docuerit, eoq; modo Regna omnia iã deprauata correxerit atq; instaurarit: vtrouis certè modo toti⁹ mũdi Imperiũ nequaq̃ ei negari potest.

Prou. 8. clamat ipse Christus Patris sapientia: Per me Reges regnant, & legũ conditores iusta decernunt. Domin⁹ possedit me ab initio viarũ suarũ, antequam quicquam faceret à principio. Cum eo eram cuncta componens] Igitur null⁹ Rex est aut Domin⁹, ne in lege quidẽ naturæ, quin à Christo suũ i⁹ aut titulũ mutuat⁹ fuerit, nam sine Lege nullũ est Dominiũ nec Imperiũ. At est Lex participatio primæ sapiẽtiæ, quę est Christ⁹, velut non multo antè in exponẽdis Imperiorum titulis disputaui.

Omnes Reges etiam Gentiles Christo subiecti

Ioh. 1. Deus erat Verbũ, *siue Christus*. Omnia per ipsũ facta sunt &c. Et verbũ caro factum est] Hoc loco vterq; Imperij titulus in Christo coniungitur, creationis scilicet & redemptionis.

Christus Dominus omniũ ratione creationis.

Coloss. 1. In Christo condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue Principat⁹, siue potestates: omnia per ipsũ, & in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso cõstant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ (*tã triũphãtis, quã militãtis*) primogenit⁹ ex mortuis, vt sit in omnib⁹ ipse prima tũ tenẽs etc. Pacificans per sanguinẽ crucis ei⁹, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.

Item ratione emptionis siue mortis.

Christus Caput omnium regnorum.

Colos. 2. Christus est caput omnis Principat⁹ et potestatis] Dupli ci nempe illo titulo, de quorũ posteriore, nẽpe Redẽptione, ibidẽ sic loquitur: delens quod aduersus nos erat Chirographũ decreti, ipsum tulit de medio affigẽs illud cruci: et exspolians Principatus et potestates

tes traduxit confidẽter, palam triũphans illos &c.] *Atq; Isai. hoc 41. prædictum iam fuerat:* Dabit in conspectu eius gentes, & Reges obtinebit.

Ephes. 1. Proposuit Deus instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt &c. suscitans illũ à mortuis & constituens ad dextram suam supra omnẽ principatũ, & potestatẽ, & virtutẽ, & dominationẽ, & omne nomẽ, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnẽ Ecclesiam] Hic perspicuũ est titulo instaurationis & Redemptionis Regnũ Christo tribui, non modò spirituale, sed etiam sæculare: si quidẽ Psalmi octaui verba citat: *Omnia subiecisti sub pedibus eius,* quo loco non tam de Animis, quàm de bonis fortunisq; hominum loquitur. Sequitur enim: *Oues & boues vniuersas &c.*

Christus habet etiam regnũ & dominiũ rerum secularium.

1. Cor. 15. Deinde finis erit, cùm tradiderit Regnum Deo & patri, cùm (*priùs ante nouissimum diem*) euacuauerit omnem Principatũ, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissima autẽ inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius] Ergò titulo redẽptionis omnia Regna & Imperia Christus euacuat, siue cessare facit, nõ vt nõ sint, sed vt libera non sint, verũ ipsi Christo subiecta, si minùs *de facto* (vt loquuntur) saltẽ *de iure.* Omnia enim sanguine suo emit Christ⁹ Amorẽ suũ, præstantissimũ, vt dixi, omnis dominij ac regiminis titulũ morte obsignãs. Regũ certè null⁹ est, quin libẽter pro populo suo mortem oppeteret, modò se in uitam reuocatũ iri sciret: quippe qui titulo omniũ optimo Regnũ tenere se vellet, quo scilicet sine controuersia animos prouincialium, et consequẽter corpora, et quæ ijs comitantur bona fortunasq; sibi deuinctum ac subiectũ iri intelligeret. Cum ergò omnia etiam Infidelium regna sint à Christo empta (quẽadmodũ ipse Zach. 10. verbis hisce Gentilium conuersionẽ prædicens affirmat: *Sibilabo eis, & congregabo illos, quia REDEMI eos, et multiplicabo eos, & seminabo eos in populis: et humiliabitur superbia Assur, et sceptrũ Aegypti recedet* id est, Infideliũ regna, quæ prius Ecclesiam oppresserant ei subijcientur, et ita Regna esse desinent) certè Pontificis, velut Proregis officio conuenit, vt eos de Christi supra ipsos iure certiores faciat, et Christo subijcere se recusantes, gladio materiali Regũ Christianorũ compellat velut deinceps Scripturarũ verbis docebitur. Isai. 9. Multiplicasti gentẽ, et magnificasti lætitiam. Lætabũtur coram te, sicut qui lætauntur in messe, sicut exultant victores capta præda. Iugũ enim oneris eius (*gentis uæ, siue Ecclesiæ*) & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti (*Hebraice: confregisti*) sicut in die Madian (*id est, sicut*

Christus deleuit omnia regna gentilia.

Quia iam sunt Christo subiecta

Mors præstantissimus regni consequendi titulus.

Christus morte sua emit omnia etiam Infideliũ regna.

Papa Christo regna cuncta subijcere debent.

Exemptio Ecclesiæ à potestate regũ gentilium

 populum

populum Iſrael per Gedeonem à Madianitarum tyrannide liberaſti ſimiliter Eccleſiam eximes ex ſeruitute Infidelium) Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine, erit in combuſtionem, & cibus ignis (*Eccleſia nulli Tyranno prædæ erit, nullius imperio ſubiacebit, ſaltem de iure : quod declaratur, cùm dicitur cibus ignis fore ſceptrum exactoris & violenta prædatio, hoc eſt, damnatum iri, qui Eccleſiæ more gentium dominari velit. Cauſa vero eſt, quia Eccleſia alium habet Regem, de quo ſequitur :*) Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis (*nempe Chriſtus*) & factus eſt Principatus ſuper humerum eius (*id eſt, Principatum ſeu Regnum meruit paſſione, quia Crucem, qua fixus fuit, humero portauit*) & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius (*ſiue magni conſilij Angelus*) Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi (*ſiue, æternitatis*) Princeps pacis. Multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis : ſuper ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit (*vt Rex ſæcularis*) vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia amodò & vſque in ſempiternum] Hic omnes Imperij tituli Chriſto tribuuntur. Prius dicitur *Deus:* deinde vt Homo natus, vocatur *Fortis*, *conſiliarius* ſiue Sapiens : poſtremò *Pater*, quo Amor deſignatur, cuius ſigillum quoque exprimitur Crux ſiue Paſſio. Cùm autem Meſſis fit mentio (*lætabuntur* Chriſtiani, *ſicut qui lætatur in meſſe*) ſignificatur ſæculare & in hominum oculos incurrens Eccleſiæ imperium non ita ſtatim à principio appariturum, ſed priùs in lacrimis ſeminandum fore *Pſalm. 125.* In conuertendo Dominus captiuitatem Sion (*id eſt, cùm Eccleſiam Deus à perſecutione omninoque à dominio Romanorum liberaſſet*) facti ſumus ſicut conſolati *ſiue ſomniantes & vix nobis metipſis præ lætitia credentes.* Tunc repletum eſt gaudio os noſtrùm, & lingua noſtra exultatione. Tunc dicent inter Gentes : Magnificauit Dominus facere cum eis etc. Qui ſeminant in lacrimis, cum exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua (*incipientes prædicare Euangelium*) venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.] Hos autem Manipulos, ſiue, conuerſos Gentiles ſæculari Eccleſiæ poteſtati ſubiectum iri, infra cap. LII. ex Mich. 4. docebitur.

Eccleſiæ nullus Rex dominari poteſt.

Cum Chriſtum habeat Regem:

Qui regnũ Cruce meruit.

Chriſtus vt Deus & Homo omnes habet imperij titulos.

Eccleſia prius erat affligenda, quam ex poteſtate gentiliũ eximeretur.

Hebr. 1. Locutus eſt nobis Deus in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula : qui purgationẽ peccatorum faciẽs (*ſiue, purgatione, facta, nẽpe per Paſſionẽ*) ſedet ad dextrã maieſtatis in

Chriſtus Heres vniuerſorum.

in excesis] Hoc loco rursum omnium rerum dominium duplici titulo Christus accipit,

Hebr.2. Non angelis subiecit Deus orbem terræ, de quo testatus est Dauid: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem nec dum videmus omnia subiecta ei] Itaque Christus habet dominium terræ, siue terrenum, nempe bonorum quoque externorum, quamuis possessionem ipse non ceperit, nisi paulatim procedente tempore per suos Vicarios.

Christi dominio subijci debet Orbis terræ, tamquam Heredis Vniuersorum.

Matth.28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, & docentes seruare omnia, quæcumque mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi] Hic docet, se iam per passionem suam Ius omnis Imperij consecutum esse, & Vicarios siue Legatos constituit, qui hoc suum ius omnibus regnis & nationibus promulgent, suisque Legibus ac ditioni omnes homines subijciant. quod quoniam sine potestate fieri non potest, certè dubium esse nequit, quin omni armorum ad id necessariorum genere eos ornarit & instruxerit. Sic enim Paulus de se ceterisque Christi Vicarijs loquitur 2.Cor.5.& 10. Nos Legatione pro Christo fungimur, *ad gentes scilicet, quas emit, ipso facto ei subijciendas.* Arma porrò militiæ nostræ (*quibus contumaces ad officium cogimus*) non carnalia *siue imbecilla* sunt, sed potentia Deo (*siue, Dei virtute*) ad destructionem munitionum, quibus cõsilia destruimus, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia. Et si ampliùs aliquid gloriatus fuero de Potestate nostra, quam dedit nobis Dominus, non erubescam.] Habent ergo Episcopi potestatem armis potentissimis infideles Christo subijciendi, & eos, qui iam crediderunt, sed peccando rursùs iugum excutiunt, vlciscendi. Itaque scribit idem *2.Cor.13.* Prædixi & prędico, quoniam si venero iterum, non parcam. Hæc absens scribo, vt non pręsens durius agam secundum Potestatem, quam Dominus mihi dedit.] *Et 1. Cor.4.* Quid vultis? in Virga veniam ad vos, an in charitate & Spiritu masuetudinis?] Nimirum non Directiuam modò Potestatem Christus Ecclesiæ dedit, qua scilicet, quid, quare, quomodo & cuius boni gratia fieri debeat, docetur, sed etiam coactiuam, qua populus ad le-

Christus Legatos constituit, qui suo loco Hereditatam Orbis adeant.

Quibus etiam Vires & arma necessaria tribuit.

Arma Episcoporum, quibus Orbem terræ Christo subijciunt.

Potestas Episcoporum Directiua:

Et Coactiua.

gem obſeruandam obligatur, ac pæna violatoribus infligitur. Cuiuſmodi porrò armis hanc Eccleſia poteſtatem vtramque exerceat, iam apparebit.

CAPVT XXXVII.

PSAL. 2. Fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania: adſtiterunt Reges terræ (*Herodes & Pilatus*) & Principes (*populi Iudaici*) conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius: Dirumpamus, inquiunt, vincula eorũ, & proijciamus à nobis iugum ipſorum (*id eſt, ne recipiamus fidem Chriſtianam*) Ego autem *Chriſtus* conſtitutus ſum Rex à Deo ſuper montẽ ſanctum eius, prędicans pręceptum eius (*Hæc eſt poteſtas Directiua*) Dominus dixit ad me: Poſtula à me, & dabò tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terrę. (*quid ſi autem nolint ſe mihi ſubycere, qua poteſtate eos cogam?*) Reges *ſiue* Paſces eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.] Cùm vtrumque ad Chriſti officium ac poteſtatem pertineat: *Prædicare præceptum Dei* de obedientia ipſi exhibenda, & *Paſcere ac comminuere virga ferrea* ſiue gladio refractarios (alioquin Legislator foret mancus & imperfectus ad inſtar Platonis, cuius Leges rationibus tantùm ac timore futuri ſeculi ſuadentur, non etiam Virgæ terrore vindicantur. Eſſe autem *Virgam* nihil aliud quàm ſecularem ſiue coactiuam poteſtatẽ, ex *Iſai. 14.* diſcimus, vbi ſic de exſtincto Chaldęo Rege loquitur: contriuit Dominus baculum impiorum, VIRGAM Dominantium, cędentẽ populos in indignatione plaga inſanabili, ſubijcientẽ in furore gentes, perſequentẽ crudeliter] ꝙ pariter ſe facturum Chriſtus minatur *Michææ. 5.* Faciam in furore & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quę audire me noluerint] Cùm ergò vtrumq; ad Chriſti officium pertineat, *Prædicare præceptum*, ſiue Legem promulgare, & eos, qui audire nolunt, *Virga ferrea paſcere*, ſiue *vltionẽ* aduerſus eos *in furore facere*) ipſe vtrumq; poſtquam in cœlum adſcendit, per eos, quos conſtituit Epiſcopos REGERE ſeu PASCERE Eccleſiam Dei (*Act. 20.*) exercet, in primis autem per S. Petrum, cui ſoli dixit: *Paſce Oues meas*. quibus verbis omni neceſſaria poteſtate, directiua ſcilicet & coactiua eũ donauit, vt reliquas oues ſiue Gentes adducere, vnumq; ouile facere poſſet, velut ſupra demonſtraui. *Sicut miſit me Pater* (ait ipſe,) *ita ego mitto vos.* Iam verò miſſus ipſe fuerat, vt non modò præceptum Dei gentibus prædicaret, ſed eas etiam virga ferrea

Chriſti poteſtas Directiua.

Eiuſdem poteſtas Coactiua.

Virga eſt poteſtas ſecularis.

Vtramque poteſtatem Chriſtus Petro dedit.

ferrea paſceret, ita tamen, vt morte priùs ſuum illum præſtantiſſimum Imperij titulum, nempe *Amorem*, obſignaret. *Luc. 24.* Hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. *Pſal. 109.* De torrente in via bibet (*ſiue patietur*) propterea exaltabit caput, *vt ſcilicet gloriam portet*, velut Zacharias ait, hoc eſt, vt omnem poteſtatem exerceat, ceteras autem poteſtates & principatus omnes euacuet. 1. Pet. 1. *Prænuntiauit Spiritus in Prophetis eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias*, quas ſcilicet Eccleſiæ ſuæ reliquit, ſed procedẽte demum tempore manifeſtandas, poſtquam ſcilicet ad iuſtam ætatem adoleuerit. Nam corpori humano aſſimilatur Eccleſia, quod contemptũ & imbecille eſt, donec ex adoleſcentia in virilem ętatem ingreſſum vires ad ſe tuendũ oportunas acquiſierit, & lacertos ac brachia roborarit. Idem argumenti habet illa Chriſti Parabola *Marci 4.* cùm Eccleſiam *Grano ſeminato* ſimilem facit, quod primùm fructificat herbam teneram ac delicatam, deinde ſenſim ſpica ſiue culmo geniculato erigitur, tum vaginis iam quaſi pubeſcens includitur, poſtea contra auicularũ aliarumq; beſtiolarum morſus vallo ariſtarum munitur. Itaq; nõ oportet, quæ de Chriſti regno ac poteſtate ſuper imperia terrena paſſim in ſcripturis legimus, ad prima Eccleſiæ exordia referre, ſed ad ea, quę ipſi matura iam ætate contigiſſe ſcimus, dirigere: quo facto fidem Prophetiis omnibus conſtitiſſe, neque rectè ſęcularẽ poteſtatem ab Eccleſia abiudicari comperiemus. Hoc ipſo certè Pſalmo ſecundo priùs *fremunt* & aduerſus Chriſtum conſpirant *Reges ac Gentes*, & poſteriùs demum *apprehendunt diſciplinam*, niſi virga ferrea paſci & conteri malint. Sed idem ex ijs, quæ iam producam, ſcripturæ locis, multò adhuc clariùs apparebit.

Chriſto priùs fuit moriendũ, quàm Regnum orbis terræ conſequeretur.

Eccleſia paulatim debuit maiores vires acquirere.

Prophetiæ de Chriſti regno ſæculari quomodo intelligendæ.

CAPVT XXXVIII.

PSAL. 44. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime. Sedes tua Deus in ſęculum ſæculi: virga directionis, virga regni tui] Vtrumq; hic Chriſto Regi Gladiũ tribui videmus. Prior eſt *gladius Spiritus*, ſiue *verbum Dei* (Epheſ. 6.) qui eſt *in labiis*, ſiue *exit ex ore*, Apocal. 1. Et hæc eſt *Virga directionis*. Alter eſt Gladius, qui accingitur *ſuper femur*, ſiue Virga ferrea aut coactionis, quem euaginat & diſtringit in vindictam eorum, qui obedire nolunt, ſicut ipſe Mich. 5. comminatur: *Faciam in furore vltionem in omnibus gentibus, quæ*

Chriſtus habet vtrumq; gladium.

non

non audierunt. Existimandum verò est ab ipso Christo fieri, quod eius loco & potestate facit Ecclesia: sicut Ecclesiæ persecutionē pro sui persecutione accipit, cum Paulo dicit: *Saule quid me persequeris?* Itaq; quod Mich. 5. de ipso Christo dicitur: *Et stabit, & pascet.* Hoc Isai. 61. de Sacerdotibus & Episcopis intelligendum esse discimus: *Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra,* Virga nempe Christi ferrea, siue gladio quam *Virgam emittit* Christus *ex Sion,* siue, ex Ecclesia, *vt dominetur in medio inimicorum suorum.* Psal. 109. Itaque eodem loco Micheæ de Episcopis dicitur: *Pascent Assur* siue infideles *in gladio & in lanceis eius,* nempe Assur siue Assyrij, à quo gladius & lancea ad Christum transferentur.

Eccesia siue Episcopi vtrumque Christi gladium exercent.

Psal. 149. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis (*hoc est, Christiani non modò in cordibus suis læti, sed etiam sæculari potestate ac gloria conspicui & illustres erunt*) Exaltationes Dei in gutture eorum (*id est, ore siue prædicatione Euangelij Deum exaltabunt*) & Gladij ancipites in manibus eorū, ad faciendam Vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis: vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius] Omnes sancti sunt Ecclesia Christi: huius est hęc gloria, siue vtriusque Gladij potestas. sed priorem, nempe spiritualem, Guttur siue Os, hoc est, caput Ecclesiæ: alterum sæcularem, Manus Ecclesiæ, siue sęcularis Magistratus exercet, *Dei nempe Minister, vindex in iram ei qui malè agit.* Rom. 13. Itaque cùm Indiani & Americani malè egissent, Legem Christi primę Rationis violantes Idololatria, Sodomia & Anthropophagia, fecit inter eos Christus vindictam, & manu Ecclesiæ suæ, quę est *Rex Catholicus Hispaniæ,* gladio seu virga ferrea eos pauit, & contriuit: id quod etiam *Isaias. 30.* futurum vaticinatur: Ecce nomen Domini venit de longinquo (*ex Europa scilicet*) ardens furor eius, & grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione (*non, vt priùs, diffusa gratia, idque propter anthropophagiæ atrocitatem*) & lingua eius quasi ignis deuorans. Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum (*vt desinant esse gentiles, erroribus valere iussis Christiani facti*) & ad perdendum frenum erroris, quod erat in maxillis populorum. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ (*id est, prædicabitur Christi fides inter Indos*) & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris & flamma ignis deuorantis (*Rex Catholicus, brachium Ecclesiæ, perterrebit Indos & Americanos igne tormentario nuper inuento*) Allidet. *infideles* velut, in turbine, & in lapide grandinis. A voce enim Domini

Ecclesiæ felix status.

Gladius Spiritualis.
Gladius materialis.

Americani gladio materiali Ecclesiæ subijciendi erant.

Euangelium ex Europa ad Americanos allatum.

Terror Regis Ca holici in Americanis.

pauebit Assur virga percussus (*hoc est, Infideles Americani prius perterriti & metu domiti, verbum Dei recipient &* pauebunt ad Dominum & ad bonum eius, *velut Ose. 3. scriptura loquitur*) & erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum (*super Assur scilicet siue Gentilitatem*) in tympanis & cytharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos] Id est, Gladius Ecclesiæ, per manum siue Regem Catholicum in Americam translatus, inde non eijcietur, sed ibi quiescet, omnesque eas gentes in Ecclesiam intrare compellet, cum summa Christianorum omnium lætitia. *Sequitur in Isaia:* Pręparata est enim ab heri Tophet, à Rege pręparata, profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam] *Tophet* locus erat in valle Hennom prope Ierusalẽ, vbi parentes Idolis filios suos immolabãt. Significat ergò Deus futurũ, vt sibi quoque Americanorum filij interficiantur, siue, certatim cõsecrẽtur, cùm ipse verbi efficacia eos tali desiderio inflammet. ꝙ etiam supra laudatus *Zach. 12.* locus docet: In die illa ponam Duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & deuorabunt *siue occident* ad dextram & ad sinistram omnes populos in circuitu.] Idem prorsus aliis verbis *Mich. 4.* Sic Ecclesiæ Deus promittit: Surge & tritura filia Sion (*boui trituranti similis*) quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam ęreas: & cõminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuersę terræ.] Hic rursus aduertendum est, ꝙ Ecclesiæ potestas sęcularis tribuatur, per *Cornu* significata, sed id in capite residet, postquam scilicet iam adoleuit & vitulus esse desijt. Sicut ergò Vitulus nouellus, nondum quidem re & actu Cornua vngulasq; triturando habiles & robustas habet, sed ita vt habere possit, certoq; cum ætatis maturitate habiturus sit, item Ecclesia sęcularem potestatem, simul ac congregari cœpta est, à Christo accepit, sic tamen vt ea tum demum, postq̃ adoleuisset, vteretur. *Vngulæ* huius bouis sunt iudices tam sęculares, quàm spirituales, quos Ecclesię iam tum viuentibus Apostolis habuit. 1. Tim. 5. *Aduersus Presbyterũ accusationẽ noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ex quibus verbis Episcopalis audientia, siue Iurisdictio super Ecclesiasticos exerceri solita colligitur. 1. *Cor. 6.* Audet aliquis vestrum habens negotium *siue litẽ* aduersus alterum, iudicari apud iniquos & non apud Sanctos? (*id est, Turpe est, vos litigare & iudicio contendere coram infidelibus Ethnicis, ac non potius Christianos constituere litium & causarum sæcularium iudices*) An nescitis, quoniam Sancti *siue Christiani* de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis, *seu per*

Barbari virga percussi conuertunt se ad Christum.

Hispanorũ imperium in America stabile ac fundatum.

Ecclesia similis Vitulo siue boui trituranti.

Eius cornu seu potestas sæcularis est in Capite.

Vngulæ siue Iudices Ecclesiæ.

Episcoporũ iurisdictio.

Sæcularis prima Ecclesiæ iurisdictio.

vos iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis, *ſiue de litibus ciuilibus* iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſæcularia?] Sed vtræq; iſtæ *vngulæ* tum nondum *æreæ*, nec ad triturandas gẽtes ſatis firmæ, hoc eſt, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum cauſarum iudices neceſſaria ad cogendos iniquos ac rebelles poteſtate nondum inſtructi erant, & *Caput* ſiue S. Petrus *Cornu* adhuc nõ ꝓmiſerat. Itaq; vt à Iudæorum calumnia & Feſti præſidis iniuſtitia ſe vindicaret Paulus, non S. Petrum Chriſtianorum caput, ſed Cæſarem appellauit. *Coactus ſum*, (ait Act. 28.) *appellare Cæſarẽ.* Atq; hæc ipſa cauſa eſt, cur Ecceleſiæ iudicium ſuper Gentiles cõuenire neget 1. *Cor.* 5. Scripſi vobis, Ne cõmiſceamini fornicariis (*id eſt, ne cõmunionem habeatis cũ fornicariis, ſed eos excõmunicetis & de medio veſtri auferatis*) nõ vtiq; fornicariis huius mundi (*ſiue ethnicis, infidelibus*) aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exijſſe. Nunc autẽ ſcripſi vobis non cõmiſceri, ſi is, qui Frater *ſeu Chriſtianus* nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut Idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare? (*id eſt, quid opus eſt Ethnicos excommunicare?*) Nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris ſunt Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.] Nondum ſcilicet completa fuerat hominum obedientia erga Euangelium: itaq; ſi cõmunicatio aut familiaritas cum vitioſis hominibus ꝓhibita tum fuiſſet, prorsùs ex mundo exire neceſſe habuiſſent, propterea ꝙ capiti Eccleſiæ, Cornu, ſiue poteſtas gladij ſæcularis ad vindictam, nondum eſſet enatum, neq; vngulæ eius ad triturandum, ſiue, ad refractarios vi cogendos, duratę forent. Nam Chriſtus Luc. 14. docet, *ſe primùm mittere ſeruos, qui vocent homines ad cœnam: deinde qui introducant, poſtremò deniq; qui intrare compellant, vt domus eius* ſiue Eccleſia *impleatur*: vnde diſcimus exercitium poteſtatis *Coactiuæ*, ſiue ſęcularis gladij, tum demum in Eccleſia futurum fuiſſe, cùm iam multi poteſtate *Directiua* ſiue prædicationis miniſterio in eam introducti eſſent. Quod etiam *Ierem. 16.* non obſcurè ſignificatur: Ecce dies venient, dicit Dominus, & reducam filios Iſrael in terram ſuam, (*id eſt, Gentes conuertam. Sed quomodo?*) Ecce ego mittam Piſcatores multos, & piſcabuntur eos: & poſthęc mittam eis multos Venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum] *Piſcatores* priùs mittuntur, qui prædicando præceptum Dei, homines capiant. Sed poſteriùs adulta iam Eccleſia mittuntur *Venatores*, id eſt, Epiſcopi ſęculari brachio, velut Cani-

Cur Paulus nõ ad S. Petrum ſed ad Cæſarem prouocauerit.

Qui foris ſunt, non poſſunt eijci, ſed compelli, vt intrent, poſſunt.

Eccleſia naſcẽs non debuit vi compellere infideles ad intrandum.

bus Venaticis adiuti, qui etiam nolentes in retia cogunt. Itaq; de Christo vaticinatur *Isaias 42.* Non clamabit neque vox eius audietur foris. Nõ erit tristis, neq; turbulentus, donec ponet in terra iudicium: & legẽ eius Insulæ exspectabunt.] Nam priùs sine armorum strepitu Terræ hereditatem creturus siue aditurus innuitur, sed postea Insulas Indiæ & Americam, quæ nihil est, nisi Insula, non eadem tranquillitate, verùm magno cum terrore à brachio Ecclesię occupatum, & Legi, siue fidei Christianæ subiectum iri colligimus, velut suprà Isaias prædixit: Auditam faciet gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris & flamma ignis deuorantis.

Quando & vbi Ecclesia vim sæcularem aduersus Infideles adhibere debuerit.

CAPVT XXXIX.

HOc ipsum etiam *Isai. 59.* ita prædictum inuenimus: Indutus est Dominus vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio Zeli. Sicut ad vindictam, quasi ad retriburionẽ indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis. Insulis vicem reddet (*barbariẽ Insulanorum puniet, nempe eos sibi vi ac terrore subiugando: quo facto erit id, quod sequitur*) Et timebunt, qui ab Occidente (*siue Occidentales Indiæ*) nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius] Hoc etiam est Zacharię vaticiniũ capite nono: Ecce Rex tuus venit tibi, iustus & Saluator. Et loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari vsq; ad mare, & à fluminibus vsq; ad fines terræ (*sicut autem non ipse, sed per suos Seruos Gentibus pacem prædicauit, sic nempe non ipse, sed Serui ac Vicarij eius tam amplam potestatem exercent. Ideò sequitur.*) Et suscitabo filios tuos, Sion (*Christianos*) super filios tuos Græcia (*super Ethnicos*) & ponam te quasi Gladium fortium (*id est, ius gladij fortiter exercebis per filios tuos*) Et Dominus Deus super eos videbitur (*prosperitatem eis largietur*) & exibit vt fulgur iaculum eius, & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri. Dominus exercituum proteget eos, & deuorabunt, & subijcient lapidibus fundæ] Si non velit Rex Anglię auctoritatem in eo defugere, quod pag. 74. Scribit: *In omnibus Prophetiis certissima est Regula, nunquam eas satis intelligi posse, vsque dum compleantur*: facilè meam huius loci interpretationem, rei scilicet iam gestæ euidentiâ comprobatam, ei me probaturum confido: Catholicos scilicet milites Austriacæ domus auspicijs fidem Christianam inter Americæ Insularumque gentiles Bombardarum igniuomarum fulmine perterritos promulgasse, & vi in Ecclesiam intrare compulisse. Cùm enim propter immanitatem, qua in odium totiùs generis humani, & ad concedendas carnes humanas

Americani & Insulani erant ad fidem compellendi.

Amplitudo Ecclesiæ, vt sit Catholica.

Christiani viribus pollentiores ethnicis.

Regis Angliæ Regula de intellectu Prophetiarum.

Hispanis reseruata erat Noui Orbis ad fidem conuersio.

Quare Hispanis vi aduersus Americanos vtendum fuerit.

Bombardarum terror Americanos ad recipiendum Euangelium praeparare debuit.

humanas efferati erant, prædicatione verbi parùm eos commotum iri appareret, nouo Bombardarum & sclopetorum inuento domandi fuerunt. Itaque Psalmo 96. quem Paulus *Hebr. 1.* de primo Christi *in orbem aduentu* interpretatur, vbi de Gentilium conuersione sermo est, *Ignis* quoq; fit mentio: Dominus regnauit, exultet terra: lætentur Insulæ multæ. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra(*seu barbara natio*) Montes *seu primates eorum* sicut cera fluxerunt &c. & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia &c.] *Et Isai. 66.* Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti(*nempe non ad internecionem, vt supra dixi, sed ad vitam, hoc est, ad fidem conuersi*) Venio vt congregem omnes gentes & linguas: & venient: & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint(*eos nempe, de quibus mox infra*: Assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas. *Hos ergo mittam*) ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad INSULAS longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino &c,] Hic primùm notandum est, quod modò se ipsum, modò suos Sacerdotes & Leuitas Ecclesiam ex omnibus gentibus congregare dicit. nam eo satis docet, suum opus esse, quod sui Vicarij, qui pro Christo Legatione funguntur, faciunt. Deinde, quod conuersionem Gentium non tantùm annunciatione verbi fieri significat, sed etiam gladij & ignis terrore. id quod per *Regem Hispaniæ, Ecclesiæ brachium*, in Insulis præsertim longè dissitis conficiendum fuisse superius laudata scripturæ loca docuerunt: quibus addatur licet locus hic Isai. 51. Egressus est Saluator meus, & Brachia mea populos iudicabunt(*id est, Reges Christiani populis iura dicent in terra scilicet. Sed*) Insulæ me exspectabunt & Brachium meum sustinebunt, *hoc est, nouissimis demum temporibus Rex Hispaniæ fidem Christianam in Insulis promulgandam curabit, easque suæ ditioni subijciet.* Isai. 60. Me enim Insulæ exspectant, & naues maris in principio, vt adducant filios tuos de longè (*vt Insulani, siue Americani, ad Ecclesiam adducantur*) argentum eorum & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te.] Quis nescit Indiæ nouiq; orbis Insulas, cum ferè mille quin-

Infideles conuertendi erant per sacerdotes & Leuitas, non per Prædicantes.

Soli Regi Hispaniarum debebatur Insularũ Nouique Orbis imperium.

Ecclesiæ seruire debebat aurum Noui Orbis.

le quingentos annos exſpectaſſent, opera demum Hiſpanorum ſimul cum auro ſuo ad Eccleſiam conuerſas eſſe? Tametſi autem Gallicanus ille Herodotus & Hæreticorum nutricula THVANVS, nihil Hiſpanis de Americanis ad Eccleſiam Dei conuertendis, ſed tantum de auro eorum exhauriendo curæ fuiſſe perſuaſum habet, nihilo minus ipſi Chriſtum Nouo orbi intulerunt, & inſcientes in fida vaticiniorum implenda Deo ſe inſtrumentum præbuerunt: qua quidē re quin Imperium ampliſſimum meruerint, non dubitabit, qui meminerit, quanta Nabuchodonoſori & militibus eius pro opera, quam Deo, inſcientes tamē, in expugnāda et puniēda Tyro nauarunt, merces à Deo perſoluta fuerit *Ezech. 29. & 30.* Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput militum ei⁹ decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neq; exercitui eius de Tyro pro ſeruitute qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo Regem Nabuchodonoſor in terra Aegypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, et deripiet ſpolia eius: et erit merces exercitui illius. Confortabo brachia eius, daboq; gladium meum in manu eius, & confringam brachia Pharaonis.] Nimirum Deus operam quamcumque ſibi nauatam eo ipſo, quod operarius ſpectat, bono remunerari ſolet. Si ergo Nabuchodonoſor ſpe conſequendi cæleſtis regni Deo ſeruijſſet, ſine dubio eius compos à Deo factus fuiſſet, ac fortaſſe ſimul regnum totius orbis terrarum accepiſſet. Sed quia propterea tantum Deo ſeruijt, vt mundanorum regnorum fieret Dominus, non niſi hanc, quam ſpectabat, mercedem retulit. Ceterum ſi omnino auri cupiditate illecti, velut *Thuanus* inſimulat, Chriſti fidem Inſulis illis intulerunt Hiſpani (quod quam credibile ſit, bellum tot annis in Belgica geſtum clamat, quod quidem ſuperſederi ac lucrum ducentis millionibus auri contra minime vile fieri ab iis poterat, niſi ſumma eis fuiſſet Catholicæ fidei tuendæ antiquitas ac religio) verum tamen ſi omnino aurum Indicum, non Religio Catholica ipſis cordi fuit, Apoſtolico illi uerbo ſimile quid rectè dixero: *Quidam propter inuidiam & contentionem, non propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. quid tum? Dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo*

Philip. 1.

Thuani de Hiſpanis calumnia.

Qui etiam inſcientes Deo ſeruiunt, mercedē accipiunt.

Quomodo Deus operam ſibi nauantes remunerari ſoleat.

Hiſpanorū Zelus Catholicæ fidei.

Perpetua successio Pontificum.

ISAI. 53. si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum (*longam seriem & successionem Vicariorum suorum, à quorum ore neque verbum, neq; Spiritus Dei recedere potest ex vi pacti cum Ecclesia fæderis,* Isai. 59.) Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur,

Manducantur à Sacerdotibus, qui ad fidem conuertuntur.

siue ad satietatem manducabit, & in sui corporis succum sanguinemque conuertet, hoc est, Ecclesiæ subijciet, velut de gentilibus conuertendis dictum Petro legimus: Occide & manduca] Quæ verba Rex noster pag. 22. sic absurdè & ridiculè à Cardinali Baronio, sanctæ & immortalis

Baronius à Regis Angliæ calūnia defensus.

memoriæ viro exposita dicit : *Age, Papa, confice Venetos, penitusq; disperde.* Apparet Regem alienæ fidei simpliciter nimis credidisse. nam Baronio talis sensus nnmquam nec per somnium in mentem venit. Rectè igitur Rex ei, quem hic auctorē secutus est, dicam Mendacij impingendam & calumniæ notam ad caput adfigēdam curabit. *Sequitur aput Isaiam:* In sciētia sua, *siue, per sapientiam suam* iustificabit ipse seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideò possidebit

Christus vt Homo totius orbis Dominus.

plurimos (*nempe terminos terræ,* Psal. 2.) & fortium diuidet spolia] Hic rursus Orbis terræ dominium Christo tribuitur, cum triplici perfectissimi iuris titulo. Nam primùm commemoratur eius *scientia* siue sapientia: deinde *potentia,* qua fortes spoliat, hoc est, qua Diabolo forti armato & Principi huiꝰ mūdi, vniuersa arma, in quibꝰ confidebat, aufert & spolia eiꝰ distribuit. *Luc. 11.* Postremū *Amor,* qui pro totius mundi peccatis mori nō dubitarit. Itaq; vtriꝰq; generis Regnū, sæculare scilicet, & spirituale eriam titulo Redemptionis obtinuit : quæ causa est,

Quare Christus demū post mortē sæculare regnū susceperit.

cur nō ante mortem suam, velut Amoris sui pignus & sigillum, & optimi ac præstantissimi sui Tituli documētum, Regnum suscipere, sed post resurrectionem demum per Legatos suos hæreditatem omniū gētium adire, & possessionem capere voluerit. *Zach. 2.* Hæc dicit Dominꝰ exercituū, *id est, Christus:* Post gloriam misit me ad Gētes, quæ spoliauerunt vos] Id est, post resurrectionem, & velut Iohannes cap. 7, 39 & 12, 16. loquitur, *postquam glorificatus fui,* misit me Deus Pater, vt Gentes, quæ Ecclesiam meam persequuntur, mihi subijciam *Rom. 14.* In hoc *seu propter hanc causam* Christus & mortuus est & reuixit, vt &

Christo prius populi contradicere, postea demū ei velut capiti subijci debeant.

mortuorum & viuorum dominetur. *Psal. 17.* Eripies me de contradictionibus populi, (*id est, prius mihi Reges ac populi contradicent, sed postea*) constitues me in CAPVT gentium, & *quidem in caput Cornutum siue sæculari potestate præditum.* Psal. III. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum: Cornu eius exaltabitur in gloria.] Quæ verba de Christo accipienda esse docet Paulus *2. Cor. 9.* de

quo

quo etiam canit Zacharias *Luc. 1.* Exaltauit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Et *Psal. 131.* Producam cornu Dauit: inimicos eius induam confessione, *quos scilicet Dauid siue Christus cornu suo ventilabit.* Psal. 43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu] Quæ Christianorum verba esse Paulus *Rom. 8.* docet, quo loco Psalmum hunc citat *Psal. 148.* Exaltatum est nomen eius (*Christi*) solius: confessio ei⁹ super cælum & terram, & exaltauit cornu populi sui.] Esse autem *capita cornuta*, Principes sæculares, *Amos 7.* docemur. Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, Optimates, *capita* populorum ingredientes pópaticè, qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsim⁹ nobis *cornua*?] Id est, qui nequaquam Deo, sed vestræ potentiæ acceptum refertis, quod Reges & Principes facti estis, nam de ijsdem *Oseæ 8.* sic loquitur: Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes exstiterunt, & nõ cognoui] Id est, non aliter se gerit Rex Ieroboam & Principes ei⁹, quàm si me inscio nec consentiente suis virib⁹ regnum sæculare Israël Regi Iudæ ademptum tenerent, adeoq; nec pactas leges siue conditiones, quibus eis regnum dedi, seruant. Itaq; quod hoc *Psal. 17.* dicit Christus; Constitues me in caput gentium: comminuam eius (*cornu meo*) vt puluerem ante faciem venti] Hoc idem alijs verbis dicit *Psal. 2.* constitutus sum Rex, pascere gentes in virga ferrea & confringere eas tamquam vas figuli.] Et quod Colos. 2. dicitur *Christus CAPVT omnis Principatus & potestatis*: hoc Apocal. 17. sic declaratur, quod sit *Rex Regum & Dominus dominantium*: quemadmodum etiam 1. Reg. 15. Saul modo CAPVT, modo REX super Israël dicitur. Alijs etiam verbis eandem rem Psalmus nonus sic complectitur: Exurge Domine, non confortetur homo. (*id est, non dominentur Infideles Christianis*) iudicentur Gentes in conspectu tuo: Constitue Domine Legislatorem, super eos (*à quo iudicentur. nam Hæbraicè est:* Pone eis Domine terrorem *hoc est, Da Legislatorem, qui eos terreat, & potestate coactiua siue sæculari peccata eorum coerceat*) vt sciant gentes, quoniam homines sunt] *Vt non committant ea peccata, quæ omnis humani moris & sanguinis expertes eos arguant, cuiusmodi est Americanorum Anthropophagia.*

Cornu siue potestas sæcularis Christi.

Capita cornuta sunt Principes sæculares.

Christus modo caput, modo Rex regum gentiũq; dicitur.

Christus Legislator terrens barbarorum.

CAPVT XLI.

ITAQVE constitutus est quidem Christus in Legislatorem gentium terrentem & iudicantem, in Regem cum virga ferrea, & in caput gentium cornutũ, hoc est, in sæcularis quoq; potestatis Principum, sed

prius

Christus priùs pati & contradictiones sustinere debuit quam orbis Rex fieret.

priùs tamen *positus fuit in signum cui contradiceretur* Luc.2. Et patienter contradictiones populi sufferendo, vt in caput gẽtium constitueretur Rexq; fieret, meruit. quo diligenter obseruato omnibus eorum argumentis, qui Christo regnum sæculare sententia sua abiudicant, nullo negotio responderi potest. Verbi gratia cùm illa Christi ad Pilatum verba opponunt *Iohan.18.* Regnũ meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc] Nec enim hoc loco Christus quale suum Regnum sit, spirituale an sæculare, exprimit, sed tantùm de regni sui titulis ac fundamentis loquitur, quasi dicat, se quidem ad hoc in mundum venisse vt regnum magnum instituat, non tamen vt id humano more armis paret (nam si hoc quæsiuisset, ministrorum armatorum copias Iudæis opponere debuerat) neq; etiam ad regnum se adspirare, sicut in mundo solet, per electionem, puta aut successionem, sed requum iam se tenere solo iure diuino tanquam Mundi creatorem. *Nunc autem regnum meum non est hinc.* id est: Nunc quidem totius mundi Rex sum solo creationis titulo : mox autem vbi passus fuero, etiam Redemptionis iure Rex ero. *Ioh.12.* Ego si exaltatus fuero à terra, *siue Crucifixus,* omnia traham ad me ipsum] *Id est,* adibo hæreditatem gentium & possessionem capere incipiam finium terræ. Quod autem *Ioh.19.* fatetur Christus, se Pilati subiectum esse potestati, non nisi de permissione diuina intelligi debet. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper* quasi dicat : Meo ipsius permissu habes hanc potestatem : ego me sponte mea tibi subieci, vt per te morte affectus, Regnum orbis terrarum etiam Redemptionis titulo acquiram. Similiter *Luc.22.* Iudæis ait : Hæc est hora vestra & potestas Tenebrarum *siue Diabolorum.* neq; tamen sequitur, Diabolos ullum in eum ius habuisse. Neque etiam sæcularem potestatem Christo adimit, quod *Luce 19.* ipse iudicem fratrum de hæreditate diuidenda litigantium agere recusat : *O homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* Dixi enim, sæcularem regnandi & iudicandi potestatem morte demum fuisse ab eo acquisitam. *Psal.2. Constitutus sum Rex super Sion, prædicans præceptum eius.* Hoc præcedit, postea sequitur *virga ferrea* seu sæcularis gladius, quo inobedientes pascendi erant. Itaq; Petrus *Act.10.* Præcepit nobis, *inquit,* prædicare & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.] Quemadmodum scilicet spiritus sanctus prędixerat *Psal.* 71.

Quomodo Regnũ Christi non sit de hoc mũdo

Christus post mortem demũ adire debuit Hereditatẽ suam.

Qualẽ potestatẽ Pilatus super Christũ habuerit.

Quare Christus noluerit litẽ de Hereditate decidere.

Christus Iudex viuorum & mortuorum.

71. Deus iudicium tuum Regi da: iudicare populum tuum in iustitia Iudicabit pauperes populi, & humiliabit calumniatorem. Liberabit pauperem à potente: animas pauperum saluas faciet (*an tantum à peccato? non, sed etiam*) ex vsuris & iniquitate (*potentiorum*) eripiet animas eorum &c. *Ierem. 23.* Suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam IN TERRA *Isai. 16.* Emitte Agnum Dominatorem terræ &c. Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustũ est.] Cum ergò Nicodemo dicit Christ⁹ *Ioh. 3.* Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum] Iudaicum eius errorem reprehendit, ne scilicet putet Messiam ideò potissimũ venisse, vt iudicia de rebus mundanis exerceat, & regnũ temporale instituat. Dixerat enim Christ⁹: *Exaltari oportet filiũ hominis*, siue crucifigi & mori. Et quia obijcere Nicodemus poterat, sicut & alij Iudæi fecerunt *Iohan. 12.* Nos audiuimus ex lege, quia Christus regnabit Rex & faciet iudicium & iustitiam in terra vsque in sempiternum: quomodo ergò tu dicis: oportet exaltari seu crucifigi & mori filiũ hominis? Propterea addit Christus, Messiam mitti nõ vt iudicia terrena exerceat, sed vt Mundũ saluet. quasi dicat: Venit quidẽ Messias vt regnet ac iudicet in terra, sed nõ is primari⁹ & vltimus eius finis est. nam etiam regnum ipsum propterea tenebit, vt omnium gentium ac populorum legibus per suam Legẽ de Amore Dei ac proximi correctis, totus mund⁹ salu⁹ fieri possit. Illud autẽ regnum diuino modo acquiret, nõ humano, quia regnũ omnium sæculorum instituere debet. Itaq; nõ per electionẽ, successionẽ, donationẽ, neq; etiam iure belli aut armorum ui illud obtinebit, sed Amore: & sui sanguinis effusione totius mundi imperium à Diabolo, cui Adam⁹ illud per peccatũ vẽdiderat, redimet. Non ergò consentaneũ erat, priùs iudicijs exercendis occupari Christũ, quàm illud Imperij & Iurisdictionis Fundamentũ posuisset, hoc est, quàm morte crucis summũ suũ generis humani Amorẽ obsignasset. Similiter *Mat. 15.* cum dicit Christ⁹: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*] Non negat se quoq; Gentium conuersendarũ causa missum esse, sed loquitur tantùm de eo, quod priùs, & per ipsũ fieri debebat. nam Gentes posteriùs, & per S. Petrũ, vnũ totius ouilis Pastorẽ, conuersurus erat. *Ioh. 10.* Habeo adhuc alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas OPORTET me adducere, & fiet vnũ ouile & vnus Pastor

Christus etiam de sæculi rebus iudicat.

Quomodo Christus non venerit iudicare mundum.

Iudæi putabant Messiam nõ passurũ, sed statim regnaturum.

Christus morte regnum sæculare mereri debebat.

Act.15. Vos ſcitis, *ait Petrus*, quia per os MEVM eligit Deus audire Gẽtes verbum Euangelij & credere] Sicut ergò nequaquam rectè collegerit, qui Ieſum aut Bonum aut Deũ ſe haberi nõ voluiſſe dicat, propterea quod *Luc.18. et Mat.19.* Principi illi adoleſcenti roganti eũ: Magiſter bone, quid faciam, vt vitam æternã percipiam, *reſponderit*: Quid me dicis bonũ? nemo bonus, niſi vnus Deus.] Eodẽ modo perperàm argumẽtatur, qui ex verbis illis: *Quis me conſtituit iudicẽ ſuper vos?* iudicandi poteſtatẽ Chriſto conuenire negat. Cùm enim alijs in locis diſertim & perſpicuè Iudiciũ in terra ſpirit⁹ ſanct⁹ ei aſſerat, velut iam ex ſcripturis docui, & Chriſtus ipſe id affirmet *Ioh.5.* Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent Filium (vbi non de ſpirituali ſolùm & illo extremo Iudicio, ſed etiam de ſæculari eum loqui, hæc Pſalmi 17. verba declarant: *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentet ſeruient ei: quia liberabit pauperem à potente, ex vſuris & iniquitate redimet animas pauperum.* Ergò Chriſtus hoc eodem ſenſu verba illa protulit: Honorabitur & adorabitur filius, quia tam pauperibus, quàm potentibus ius reddet, ſiue iudicum & iuſtitiam in terra faciet) quomodo veriſimile eſt eum verbis illis: *Quis me conſtituit iudicem?* poteſtatem reddendi ius ſibi non conuenire, credi velle? Igitur hæc vera demum eſt verborum iſtorum ſententia: Tametſi vt Deus, & vt homo diuinus: omnẽ iudiciariam poteſtatem habeo: tametſi etiam Homo factus ſum, vt Regnum in terra inſtituam: tamen non conuenit, vt relicto grauiori & præcipuo meo munere, illud quod leuius eſt & poſterius ſiue ſecundarium, obeam, Iam verò præcipuè miſſus ſum, vt hominibus euangelizem regnum Dei, *Luc.4,43.* Secundariò autem & minus præcipuè, vt reddam vnicuiq; quod iuſtum eſt, *Iſai. 16.* Itaq; non eſt, quod me relicto Euangelizandi munere iam priuatis veſtris litibus operam daturum, tuæque auaritiæ adiutorem fore ſperes, cum præſertim nondum exaltatus fuerim, neq; ea, quæ de Meſſia prædixerunt Prophetæ, impleuerim. Similiter non dubito, quin *Paulus* nonnumquam Baptizari ſe ab eo volentibus reſponderit: *Quis me conſtituit Baptiſten ſuper vos?* Sic enim de ſe ſcribit *1. Cor. 1.* Neminem veſtrum baptizaui, niſi Criſpum & Caium, & Stephanæ domum. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare] Quomodo? dicet quis. Non miſit Chriſtus Apoſtolos baptizare? quid ergo ſibi volunt illa Matth.28. *Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos?* Et ſi non miſit Paulum baptizare, quare ergò quosdam ſaltem baptizauit? Reſpondeo: Miſ-

Paulus negat ſe miſſũ ad baptizandum.

ſus

ſus fuerat Paulus ad vtrũq;, ſed ad Euangelizandum præcipuè, minus præcipuè vero ad baptizandum. Itaq; hoc officium minus præcipuũ etiam per alios obire poterat. Eodem modo cum Chriſtus vtriuſq; rei cauſa miſſus eſſet, Euangelizandi & Iudicandi, illi priori loco & præcipuè incubuit, alterum munus ſecundariò, & per ſuos adminiſtros ac Vicarios gerere voluit. Et ante quidem quàm exaltatus eſſet, Cæſare ceteriſq; Regibus ac Magiſtratibus ſæcularibus, Vicarijs vtebatur, quippe qui Dominus omnium foret ſiue, *Caput omnis Principatus & poteſtatis*, Colos. 2. titulo & iure Creationis. *Per me* inquit, Prou. 8. *Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: per me Principes imperant: quia meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo.* Hoc eſt, quia omnium quæ inter Gentes ſunt, regnorum tituli, nempe potentia & ſapientia meo beneficio habentur. Poſtquam verò glorificatus ſiue reſuſcitatus fuit, iam etiam vt Homo titulo emptionis ſiue redemptionis totius Orbis Dominus eſſe coepit, in caput Gentium, in Legislatorem populorũ, & in Regem ſuper montẽ ſanctũ Sion, velut ſupra didicimus, conſtitutus. Vicarios porrò ſuos ac Proreges conſtituit Apoſtolos, quos ius ſuũ morte acquiſitũ per totũ Orbẽ promulgare iuſſit, vt diſcerent ſcilicet Gẽtes, ſe nõ de hinc ſui iuris, ſed Chriſto, tamquam Mundi totius emptori, à Deo ſubiectos eſſe. Et quia futurũ erant, vt gentes fremerẽt, Regesq; ac Principes de abiiciendo huius noui Imperii iugo coniurarent, ſiue vt *nõ omnes Euangelio obedirẽt* (Ro. 10, 16.) neq; Legibus huius Regis vti vellent, *Virgam virtutis ſuæ in Sion* ſiuæ Eccleſia reliquit, hoc eſt, Poteſtate coactiua ſuos hoſce Proreges inſtruxit, quæ quidẽ non ſemper debebat eſſe vniusmodi. Nam principio, vt diuinitas huius imperii magis luceret, Miracula ac prodigia faciebant *Marci 16.* Euntes in mundũ vniuerſum prædicate Euangeliorum omni creaturæ. qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. (*Hic dat eis poteſtatem Directiuam, qua promulgarent Chriſti Legem, & quid, quomodo, cuius deniq; boni cauſa faciendum ſit, docerent. Iam propter eos, qui Euangelio obedire & Chriſtum pro Rege recipere nollent, adiungit poteſtatem coactiuam*) ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequẽtur: In nomine meo (*ſiue, nullo alio medio, neq; humano, neque diabolico, ſed ſola inuocatione mei nominis adhibita*) Dæmonia eiicent: linguis loquentur nouis: Serpentes tollent: etſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponẽt, & bene habebunt *2. Cor. 12.* Signa Apoſtolatus mei facta ſunt SVPER VOS (*id eſt, ad vos Euangelio ſubijciendos*) in omni patiẽtia,

Ita Chriſtus negat ſe miſſum ad exercẽda iudicia ſæcularia.

Cæſar ac Reges ethnici erant Vicarij Chriſti.

Vicarij ac Proreges Chriſti poſt reſurrectionem.

Chriſti poteſtas Coactiua eſt in Eccleſia.

Ea conſiſtebat primum in Miraculis.

Petrus maiorẽ poteſtatem cogendi habuit, quam reliqui Apoſtoli.

Poſterius Poteſtas coactiua cõtinebat etiam vſũ materialis gladij

Reges Chriſto rebelles ab Eccleſia iudicantur ac perduntur.

entia, inſignis, & prodigijs & virtutibus.] Et S. Petro quidem primo atq; ordinario eius Proregi ac Vicario iam ſupra poteſtatis tantũ dixi datam fuiſſe exſuperantiam, vt ſola vmbra ſua ægros ſanaret, & ſolo verborũ ſono peccatores interficeret. Deinceps autẽ, cum iam completa eſſet Chriſtianorum obedientia, ſiue cum Eccleſia, Chriſti corpus, ad maturam ætatẽ adoleuiſſet, *Virga ferrea* ſiue Gladio ſæculari eam accinxit, *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudiciũ conſcriptũ* Pſal. 149. ſiue, vt eos ſecundũ ius regium & ex præſcripto Legis Chriſti iudicent, id eſt, cum Chriſti Legem recipere, eumq; pro Rege ſuo habere nolunt, vt eos regno & vita ſimul exuant. Nam hoc iudicium conſcriptum eſt in Lege Chriſti *Iſai, 60.* Aperientur portę tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & Gentes ſolitudine vaſtabuntur.] Sed hac de re cùm ſupra dixi, tum plura poſteriùs in medium ex ſcripturis afferam. Nunc alia, quib⁹ nonnulli ſæculare Chriſti Regnum controuerſum facere moliuntur, perſequemur.

CAPVT XLII.

Quare Chriſtus à Iudaico populo noluerit Rex creari.

ADDVCVNT ergò locum *Ioh. 6.* Cùm cognouiſſet Ieſus, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & Regẽ faceret, fug:t in montẽ ſolus.] Hinc enim cogunt & efficiunt, Chriſtum nõ voluiſſe Regno ſæculari potiri, ac proinde Regem ſæcularem non eſſe. At ego quicquam aliud ex eo cogi poſſe nego, quam quod tali titulo, electione ſcilicet infimæ plebis, eſca delinitæ, & inertem vitam atq; otiũ ſectantis. potiri Regno noluerit. *Sequimini me* (inquit) *non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis de panibus.* quaſi dicat: Cuperetis me Regẽ facere, non quia me Deũ eſſe creditis, ſed quia futurũ ſperatis, vt vobis ſub eiusmodi Rege ſine omni manuũ labore & in otio ignauis viuere, & nihilominus bene paſtis eſſe liceat. Vt igitur alià nõ fuiſſent (cuiusmodi eſt, quod vt Regnũ velut Homo obtineret, *priùs oportuit illũ pati, & ita intrare in gloriam ſuam* Luc. 24. quodq; aliis exemplo eſſe debuit, vt virtutis via ad imperium graſſarentur, idq; etiam morte ſua acquirere nihil dubitarent ſicut ipſe hoc declarans Ioh. 10. *Bonus Paſtor*, inquit, *dat animam ſuam pro ouibus ſuis*, eaq; re Petrum ouilis ſui *Paſtorẽ* conſtituens, mortis, genus, quo Deũ glorificaturus eſſet, denunciat) Sed vt etiam iſta nõ fuiſſent,

hanc certè ob causam, per populi tumultum & colluuiem Rex fieri nō debuit, ne deteriore titulo, quàm pleriq; Gentium Reges, Regnum obtineret. Quod porrò Christi verba nobis opponunt *Marci 10.* Filius hominis nō venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis] Eandem prorsus, quæ superiora ad Nicodemum verba *Ioh. 3.* rationem habent: Non misit Deus filium vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.] Nempe Regnum totius orbis propter vtilitatem hominum institui à sese oportere, & obedientiam siue subiectionem vsq; ad mortem, hoc est, summum Amorem huius sui regni titulum esse significat. quasi dicat: Veni quidem vt Dominus (*Vos me vocatis Magistrum & Dominum, & benè dicitis. Sum etenim.* Ioh. 13.) quà tamen Homo sum, ius dominandi seruiendo, & me ipsum hominibus subijciendo, acquirere debeo: (*Vir obediens loquetur victoriam,* Prou. 21.) & ipsum meum Dominium, siue Imperium, nihil aliud est, quàm ministerium: quia regendo hominum vtilitati inseruio. Simul ergò Apostolos & omnes Christianos Magistratus, quà sęculares, quà Ecclesiasticos, docet, vt suum officium non tàm Dominium esse sciant, quàm laborem & seruitutem, quam sibi subiectis exhibere debeant. Scitis, quia hi, qui videntur Principari Gentibus, dominantur eis (*herile, non paternum imperium exercent*) & Principes eorum potestatem habent ipsorum (*id est, violentè eis imperant, suæ non subiectorum vtilitat seruientes*) Non ita est, autem in vobis(*Christianorum imperia paterna esse debent, & super Amorem boni publici fundata*) sed quicumq; voluerit fieri Maior *siue Magistratus,* erit vester Minister: & quicumq; voluerit in vobis primus esse (*seu Primatum obtinere*) erit omnium seruus. Nam & filius hominis (*quamuis Maior vester omniumque hominum Dominus*) non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.] Atq; hęc summis Pontificibus causa est cur se *seruos seruorum Dei* appellent, exemplo S. Pauli, qui Coloss. 1. *corporis Christi Ministrum per dispensationem Dei se factum dicit,* & 2. Cor. 4. se *Seruum Corinthiorum* profitetur, quo tamen nō negat paternum suum in eos imperium de quo 1. Cor. 4. scribit: *Vos vt filios meos charissimos moneo. nam in Christo per Euangelium ego vos genui. quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?*] Igitur Imperium Episcoporum est seruitus, non quod nō virgę aduersus contumaces adhibendæ potestatem habeant, sed quia eam potestatem ad hoc, vt subditis seruiant siue prosint, acceperunt. Eam ob rem Apostolus Episcopatum, *bonum opus*

Quomodo Christus nō venerit, vt ei ministraretur.

Quia ministrādo mereri debuit, vt sibi ministraretur.

Inter Christianos nullum despoticū siue herile imperium habet locum.

Omnes Christiani Magistratus sunt serui, nō domini reipublicæ.

Papa seruus seruorum Dei.

Episcopatus nihil aliud quàm seruitus.

esse dicit 1. Tim. 3. hoc est, munus multæ ac molestæ seruitutis, quod eius sit etiam tum, idque vel maximè, vigilias agitare, quando ceteri dormiunt. 2. Tim. 4. Tu *velut Episcopus* vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, *id est, nihil intermitte*, quod *ad seruiendum alienæ vtilitati pertineat.* Et tamen *Act.* 20. Episcopos super gregem ait esse positos, *regere Ecclesiam Dei.* Hebr. 13. vocat eosdem *Præpositos*, quibus ceteri obedire & subiacere debeant, cum illis vigilare & rationem pro animabus ceterorum reddere necesse sit. *1. Thess. 5.* eos alijs *in Domino* seu loco Domini *præesse* dicit. Ex quibus omnibus discimus, Regere, Præesse, & imperare secundum naturę & Christi regulam nihil aliud esse, quàm Ministrare & publicæ omnium subiectorum vtilitati seruire: *Dominari* contra esse vi potestatis cogere & opprimere, non ad subiectorum, sed ad propriam ipsorum, qui præsunt, vtilitatem, sicut Lupus Ouibus imperat, aut etiam sicut pręest Mercenarius. Tyrannus enim nullum imperij sui ius aut titulum habet, nisi falsam potentiam, hoc est, vires corporis siue suas, seu suorum: & falsam sapientiam, siue Astutiam propriâ vtilitate omnes actiones suas dirigentem. Itaq; velut Lupus, quo quisq; subiectorum est opimior, hoc est virtute, sapientia & opibus eminentior, eos deglutit aut de medio tollit. Reliqui, qui nō quidem præstantiores tollunt, sed vtilitatem modò ex subiectis percipiunt, nihil interea de ipsis conseruandis ac tuendis soliciti, sunt *Mercenarij*, quorum naturam sic describit Christus: Mercenarius, videt Lupum venientem & dimittet oues, & fugit: & Lupus rapit & dispergit Oues Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de Ouibus, *siue*, quia eius non sunt Oues proprię.] Lupus est hostis, siue quicquid subiectorum animis, corporibus aut fortunis nocet: cuius generis sunt bellum, pestis, fames, inundatio, in primisq; Hæresis seu falsa Religio. Ab his vt subiectos tueatur ac saluos pręstet, nihil Mercenario curę est, neque vllum subiectorum causa periculum adire animum inducit, ac propterea stultus Pastor à Deo vocatur *Zach.* 12. Dixit Dominus: Adhuc sume tibi vasa Pastoris stulti (*verbi gratia, lanceam aut gladium, quæ vasa siue instrumenta minime Pastori conueniunt: quid autem huiusmodi Vasa portendant ac significent, sic statim explanat:*) Quia ecce ego suscitabo Pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, id quod stat, non enutriet, sed carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. O Pastor

Et tamen Episcopi regũt, sunt præpositi & præsunt.

Quid differant Regere & Dominari.

Tyrannus Lupo similis.

Magistratus nō Pastores, sed Mercenarij qui?

Quid sit Lupus?

Mercenarius stultus Pastor.

Principis Macchiauellæi siue Mercenarij descriptio.

ſtor & Idolum, derelinquens gregem: gladius ſuper brachium eius,& ſuper oculum dextrum eius: brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur] Deſcribitur hoc loco Princeps Macchiauellæus: vtrum ſæcularis, an Eccleſiaſticus,adhuc in ambiguo habeo. *Oculus dexter* Principis, eſt vera ſapientia,qua,velut ait Salomon Sapient,6,14. *diſponi: populos, & nationes habet ſubditas.* Huius partes ſic idem Salomon recenſet: *Si multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit Sapientia præterita, & de futuris æſtimat* (hæc eſt praxis hiſtorica, ſiue prudentia hiſtoriarum lectione comparata) *ſcit verſutias ſermonum* (Rhetoricen) *& diſſolutiones argumentorum* (Dialecticen) *ſigna & monſtra ſcit, ante quam fiant, & euentus temporum & ſæculorum,* id eſt, ſcit Aſtrologiam & Prophetiam, illam ſaltem, de qua 1. Cor. 14. legimus: *Poteſtis omnes per ſingulos prophetare,* hoc eſt, ea quæ Prophetis Spiritus ſanctus de rebus futuris reuelauit,intelligere. Ad cuius Prophetiæ ſtudium nos S. Petrus ita cohortatur 2. *Pet.* 1. Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis, attendentes tamquam Lucernæ lucenti in caliginoſo loco.] Et S. Paulus *1. Cor. 14.* Æmulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis.] Et *1. Theſſ. 5.* Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere.] quaſi dicat,non eſſe continuò explodendum, ſi quis prophetias ſcripturæ interpretari, & ex ijs de futuris euentibus diuinationem eruere velit. *Spiritum enim, vbi velit ſpirare,* & donum intelligendi prophetias,cui velit,tribuere. Qualis autem & quàm neceſſarius Principi ſit Aſtrologiæ ac Prophetiæ vſus, proxima Parabola demonſtrabitur. Hoc loco ſatis eſt, quis ſit oculus dexter Principis, explanaſſe, habitus nimirum variarum ſcientiarum, quę ad rectionem & conſeruationem Reipub. requiruntur. quibus cùm Princeps, de quo Zacharias vaticinatur, inſtructus non ſit, oculo dextro captus eſſe dicitur: tametſi ſiniſtro vti non negatur, qui nihil eſt, aliud, quàm compendioſa illa Macchiauelli ſcientia, quæ *Ius Imperij,* ſiue *Ratio ſtatus* vocatur, & eſt aſtutia, ſiue priuatæ vtilitatis per fas ac nefas conficiendæ ſolertia, quàm legendis hiſtorijs Principum pręteritorum, in primiſque Tyrannorum, ſibi noſtræ ætatis Pſeudopolitici parare ſolent, ac tum demum, cùm ſimulando & diſſimulando, fraudibuſque componendis ad vota ſua adſpirare didicerunt, ſibi ſapientiſſimi videntur, Pharaoni illi,de quo ſupra, ſimiles: *Venite, ſapienter opprimamus eos.* qua tamen ſapientia eò tandem redactum ſe ſenſit, vt à ſubiectis ſuis Moyſe

Oculus dexter Principis.

Prophetia qualis Principi ſit neceſſaria.

Oculus ſiniſter Principis, ſiue Ratio ſtatus.

Pharaonē Ratio ſtatus perdidit.

& Aaro-

Princeps rationem status sequens quid facere soleat.

& Aarone penitùs perimeretur. Hoc sinistro oculo vti stultum Pastorem siue Mercenarium sic declarat Propheta, vt eum dicat, *carnes pinguium comedere*, hoc est, sua ex subiectis commoda comparare, siue priuato suo ac suorum propinquorum emolumento & honori seruire, ceterùm vbi nihil id sua referre putat, aut etiam vnde aliquid molestiæ, laboris, aut periculi oriturum suspicatur, *gregem derelinquere. id quod stat non enutrire* (siue de conseruando, quod integrum remansit, minùs curare, verbi gratia, si Prophetiam de Principe Ecclesiastico accipiamus, Catholicos non dirigere, neq; operam ad retinendos eos conferre) *quod derelictum, non visitare* (de infidelibus, Iudæis & Mahumetanis ad Christi ouile adducendis parum pensi habere) *dispersum non quærere* (vt à Lupis siue Hęreticis & Schismaticis peruersos ad Ecclesiam reducat, curę non habere(*contritum non sanare*, id est, Catholicis peccatoribus indulgere, neq; eis, quamuis ea committant, propter quæ damnari eos certò oportet, pœnarum & censurarum Ecclesiasticarum denunciatione molestum esse velle. Huiusmodi Pastoris stulti *Brachium exaruisse* dicitur, quia non facit, quod verus Pastor, vt scilicet vadat quęrere ouem, quę errauit, & eam in brachio suo congreget, inq; humeros sublatam ad gregem reportet, *Isai. 40, 11. Luc. 15, 5.* Sinistrum tamen Brachium illæsum ei esse credamus licet, quo nempe se ipsum ac suos pascat. quemadmodum Christus monens, ne bona nostra opera ad nostram potiùs, quàm Dei gloriam referamus: *Te faciente*, inquit, *Eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua*] Nam sinistra nobis propriè: Dextra verò siue Deo, siue propter Deum communiter Ecclesiæ sapimus ac laboramus. Ecclesiastæ. *10. Cor sapientis in dextra eius, & Cor stulti in sinistra illius.* Stultus porrò Pastor huiusmodi dicitur propterea quod Imperium suum sine Amore, soli Astutiæ inædificatum, durare, seq; perdito grege adhuc saluum esse posse persuasum habet. Atq; hoc erat *Dominari Regum Gentilium*, quo Christus vniuersè omnibus Christianis, non tantùm Ecclesiasticis, interdixit, suoq; exemplo veri Regis ac Pastoris officium nos docuit, vt scilicet qui regit, Imperium tam sęculare, quàm Ecclesiasticum super Dei filios, suosq; Fratres sibi commissum, paterno animo exerceat, vtilitati eorum seruiat, pro ipsis vigilet, & vitam denique, si res poscat, pro eis ponere paratus sit.

Episcopi status rationem sequẽtes cuiusmodi sint.

Macchiauellorum Principum & Episcoporum dextrũ brachium arefactum.

Sinistro tantùm brachio vtuntur.

Ratio status nihil aliud, quàm stultitia.

Inter Christianos nullus Rex dominari potest.

CAPVT

CONTRADICITUR etiam à quibusdam, Christum fuisse pauperem ac sępe omni prorsus dominio caruisse, neque sui quicquam habuisse: adeoq; Dominum aut Regem sęcularem non fuisse cogunt. Sed sæpe iam dixi, Christum venisse, vt priùs prædicaret præceptum Dei *docendo & faciendo* (velut Lucas ait *Act.*1.) animaque pro Mundo posita Regni Ius acquireret, & tum demum regnaret siue vt priùs paupertatem, contemptum & mortem ipsam *pateretur, & ita intraret in gloriam suam.* Luc. 24. qua responsione illud quoque diluitur, quod quidam negant Christo temporalem potestatem vtilem, quin potiùs impedimento futuram fuisse, propterea quòd hominibus contemptum gloriæ, deliciarum, opum & omnium rerum terrenarum persuadere debebat. Nam & ego adhoc, *vt prædicaret, præceptum Dei*, nullum ei Virgæ ferreę vsum futurum fuisse assentio, sed ad *regendas gentes & ad faciendam vindictam in nationibus*, velut copiosè iam disputaui. Ampliùs hoc modo contra sententiam meam disputatur: Christus potestatem sæcularem nunquam exercuit. Ergo nec habuit, *cum frustrà sit* (aiunt) *potentia, quæ numquam redigitur in actum.* Respondent nonnulli, exercitam hanc potestatem à Christo fuisse cùm ad Templum venit; & inde ementes ac vendentes flagello eiecit, quam rem Christus ipse potestate Dominatoris se fecisse significat, cùm rogantibus Principibus Sacerdotum, *in qua potestate id fecisset*, quæstionem de Iohanne Baptista opponit. quasi diceret: si Iohannes à Deo missus fuit & veritatem docuit, credere ei debetis, cùm Messiam me esse dixit. Iam verò de Messia prędictum fuit, venturum eum ad templum, velut Dominatorem siue potestate imperandi præditum. *Malach.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum (*Iohannem*) & præparabit viam ante faciē meam. Et statim veniet ad Templū suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.] Nihilominus potestatem illam regiam non vt ab homine, sed tamquam à Deo exercitam fuisse fateor. Sed non propterea quia nec ante, nec post resurrectionem sęculari potestate vsus fuit, nullam eiusmodi potestatem habuit. Satis enim est, eum per suos Legatos ac Vicarios ea vti: quemadmodū neq; gentes docuit (Matth. 15. *Non sum missus, nisi ad Oues, quæ perierunt, domus Israel*) neque tamen propterea potestatem docendi Gentes non habuit. Alioquin falsò dixisset ipse: Habeo alias Oues quæ non sunt ex hoc ouili, & illas OPORTET me adducere, & fiet vnum ouile & vnus Pastor.] Satis

Christus patiendo paupertatē totius orbis Hereditatem mereri debuit.

Quam ad rem Christo necessaria sit sæcularis potestas.

An Christus vt Homo vnquam exercuerit sæcularem potestatem.

Nihil necesse fuit Christum ipsum vti sæculari potestate.

ſcilicet fuit, Petrum Chriſti loco id effectum dare, velut ipſe in Concilio ad ceteros Apoſtolos verba faciens docet. Vos ſcitis, quia elegit Deus per os MEUM audire Gentes verbum Euangelij & credere.] Sicut autem non propterea Chriſto maior eſt Petrus, quod longè maiorem gregem, quàm Chriſtus, congregat, ita neq; Pontifices Chriſto maiores ſunt, quia poteſtate temporali, qua Chriſtus vſus non fuit, vtuntur: ſiquidem non ſua, ſed Chriſti virtute, quam per Spiritum ſuum in ipſis operatur, ſiue Gentes, prædicando eis Dei præceptum, ad Eccleſiam adducunt, ſiue virga ferrea & brachij ſæcularis gladio intrare nolentes paſcunt. Nam & miracula nonnulli maiora, vel certè plura, quàm Chriſtus fecerunt, velut ipſe prædixerat *Iohan.14.* Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.] neque tamen propterea Chriſto maiores ſunt, eò quod non ſuo, ſed Chriſti nomine ac virtute opera euiuſmodi feciſſent, quia Chriſtus ad Patrem adſcendens dona dedit hominibus per Spiritum ſuum, quem à Patre miſit, & per eum gratias varias membris corporis ſui ſiue Eccleſiæ deſcripſit ac diſtribuit: qua quidem re Chriſti gloria non minuitur, ſed augetur, quippe qui non ipſe modò per ſe, ſed per ſuos etiam miniſtros ac Vicarios opera diuina patrare poſſit. Itaque Petrus *Act 3.* claudo ſanato ad populum admiratione plenum: Quid, *inquit*, miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus glorificauit filium ſuum Ieſum, & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam &c.] Similiter Chriſti gloriam illuſtrat, quod etiam miniſtrorum ac Legatorum ſuorum operâ ipſe abſens & ad dextram Patris conſidens, *dominatur in medio inimicorum ſuorum, virga virtutis ſuæ*, ſiue ſæculari poteſtate *ex Sion* ſiue Eccelſia in totum Orbem *emiſſa*. An enim neſcitis, *ait Paulus* 1. Cor. 6. quod ſancti *ſiue Chriſtiani* de hoc mundo iudicabunt? Neſcitis, quod Angulos iudicabimus? quanto magis ſæcularia?] Quibus verbis nos reſpondere ijs docet, qui nullum Eccleſiæ ſæculare ius à Chriſto relictum dicunt, ſed tantùm poteſtatem remittendi ac retinendi peccata, non ſolùm ante, ſed etiam poſt reſurrectionem, verbi gratia *Iohan. 20.* Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.] Si enim animas & conſcientias poteſtati eorum ſubiecit, quanto magis corpora? Si corpora, quanto magis fortunas, illorum acceſſio-

Pontifices non ſua, ſed Chriſti poteſtate vtuntur.

Chriſto glorioſum eſt, quod eius Vicarij poteſtate vtuntur ſuper regna.

Poteſtas remittẽdi peccata eſt omnium maxima.

accessionem? quod ex eo quoque fit manifestius, quod si nemo peccaret, directiua potestas satis foret. Cùm autem omnia humana negotia peccata subiaceant (peccant enim in suo quisque munere, tam Reges in gubernando, quàm populi in parendo) nemo à iurisdictione Ecclesię eximitur, quin eius virga virtutis, siue virga ferrea pasci, & ad vindictam, siue ad suppliciũ expeti possit. Itaq; Petro exsuperantiam, huiusce potestatis promittens primùm (*Tibi dabo claues regni cœlorum: quodcumque tu solueris aut ligaueris in terra, erit solutum aut ligatum in cœlis*) tum post resurrectionem repræsentans. (*Pasce Oues & Agnos meos*) nullum omninò Regem ab eius potestate ligandi & pascendi excepit: quod etiam *Psalmo 149.* satis perspicuè docetur: Exaltationes Dei siue prędicatio verbi in gutture Christianorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in Nationibus (*Ideò enim gladium Magistratus portat, quia Dei minister est, vindex in iram ei, qui malè agit* Rom. 13.) ad ALLIGANDOS *siue vi cogendos Euangelio inobedientes* Reges eorum, vt faciant in eis iudicium, *siue vt Nationum quoque siue Infidelium Reges iudicent.* Hoc ipsum *Psalmi 109.* verba ista docent: Dominus à dextris tuis per virgam virtutis suæ ex Sion emissam confringet in die iræ suę Reges, *qui scilicet Ecclesiæ subesse & promulgatam apud ipsos Christi legem recipere nolunt:* Iudicabit in Nationibus, implebit ruinas (*vt nempe ijs regnis, quæ per peccata veram Fidem amittere meruerint, alia regna substituat.*) conquassabit capita in terra multorum] Perperam igitur faciunt, qui Christum quidem tam infidelibus, quàm fidelibus prętuisse, sed Petro non nisi Oues suas, id est, fideles commisisse dicunt. Nam modò in Psalmis disertim Nationes & Reges earum (*quæ non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam*, ait Deus *Isai. 66.*) iudicari, confringi, conquassari, alligarique virgâ virtutis ex Sion emissâ, siue gladiis non tantùm oris, sed & manus hoc est, sæcularis potestatis, audiuimus, & Christus perspicuè *Oues suas* vocat Gentes siue Infideles nondum ad Ouile adductos (*Ioh. 10.*) eosque Petro non minus, quàm Fideles, commissos esse ex supra citatis Petri verbis discimus: *Vos scitis, quia elegit Deus per os meum audire Gentes verbum & credere.* Sed id ea, que pòst ex scripturis afferentur, multo adhuc clariùs aduincent.

Quia omnes omnium hominum actiones ei potestati subijciuntur.

Petrus omnes Reges ligandi potestatem accepit.

[*Ecclesia habet Virgam ad cõminuendos Reges inobedintes.*

Petrus potestatem etiam super Infideles accepit.

IAM ijs reſpondebo, qui Eccleſię ius ſæcularis gladij propterea non conuenire pugnant, quia Chriſtus Petrum *gladium ſuum in vaginam ſuam recondere* iuſſerit Matth. 26. Nam ſine dubio non eum reprehendit, quod gladio ſui defendendi animo cinctus incederet (alioquin dicentibus Apoſtolis: *Ecce duo gladij hic*, non reſpondiſſet Chriſtus: *Satis eſt*, ſed Nimium eſt) ſed vt tempus præſens non ferre vſum gladij doceret. Primùm enim paſſionem ſuam impediri nolebat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Ioh. 18, Deinde Petrus, neceſſarijs ad reſiſtendum viribus non inſtructus, à Iudæis occidi poterat, itaq; iuſtè propter temeritatem cęſus fuiſſet. *Quicumque acceperit gladium* (temerè ſcilicet, ſiue ſine ratione) *gladio peribit.* Pręterea ſi vel maxime vſum gladij tum ei Chriſtus interdixiſſet, tamen neq; Chriſtus, vt Homo, ante paſſionem, velut ſępè dixi, poteſtatem illam acceperat, neq; niſi à reſurrectione demum Petro eam tribuit, *in ædificationem tamen, non in deſtructionem*, velut Paulus poteſtatem Apoſtolis datam interpretatur *2. Cor. 13.* In deſtructionem verò fuiſſet, ſi nondum completa Chriſtianorum obedientia, ſæcularis gladius fuiſſet in inobedientes diſtrictus, vel obedientia gentilibus Magiſtratibus pręmaturè negata. Suſpicionem enim mouiſſent, velle ſe Euangelij colore ac prætexto libertatem conſequi, & omne Magiſtratus iugũ excutere, neq: quicquam homine maius in Chriſto eſſe, cuius Lex niſi humano more, gladij nempe terrore, promulgari nequeat. Hoc fuiſſet *crucem Chriſti*, vt ſupra oſtendi, *euacuare*, & *Euangelio offendiculum ponere.* Itaq; naſcens & adoleſcens Eccleſia poteſtate ſæculari non niſi ad cognoſcendas lites vſa fuit, velut ex *1. Cor. 6.* iam docui, & S. Petrus ipſe Regibus etiam gentilibus Chriſtianos obedire iubet, non quod ipſa Eccleſia libertatem & ius ſęcularis poteſtatis non haberet, ſed quod eo tempore, ſine ſcandalo & offenſione, iure illo ſuo nõdum vti poſſet. Ita Paulus decimas ab ijs, quibus Euangelium prædicabat, non exegit, nec recepit: neq; tamen eas Eccleſię nõ deberi, inde conficitur. *Non quaſi non habuerim poteſtatem eos, quos docebam grauandi* (ait ipſe 2. Theſſ. 3.) *ſed vt meipſum formam aliis darem ad imitandum me.* Et 1. Cor. 9. *Non vſus ſum hac poteſtate, ſed omnia ſuſtineo, ne quod offendiculum dem Euangelio Chriſti. Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.* Similiter cum libera eſſet Eccleſia, Regum Gentilium ſe ſeruam fecit, omniaq; ſuſtinuit, vt eos lucrifaceret, ac velut Chriſtus vitandi ſcandali cauſa faciendũ docet Matth. *5. auferenti Pallium etiam tunicam*

An Petrus rectè vſus fuerit gladio.

Chriſtus noluit Petrum gladio vti propter rei circumſtãtias.

Vſum gladij Eccleſia accepit in ædificationem, non in deſtructionem.

Eccleſia naſcẽs quare gladio vti non debuerit, ad cogendos infideles.

Quare Chriſtianos Petrus Regibus ethnicis obedire iuſſerit.

Eccleſia naſcẽs quare Ethnicis Regibus ſe ſubiecerit.

tunicam reliquit, tametsi optimo iure vtri^oq; dominium haberet. Huius ipsius rei exemplo Christus fuit *Matth.* 17. qui Cæsari rributũ soluit, non quod non liber esset, sed *vt non scandalizaret publicanos*, hoc est, ne suspicionem eis moueret, Euangelium hominibus licentiæ & inobedientiæ auctoritatem dare. Ita Paulus cùm licentiam haberet comedendi carnes Idolis immolatas, de se nihilominus sic promittit 1. Cor. 8. *Si esca scandalizat* (siue ab Euangelio alieniorem reddit) *fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrẽ meum scandalizem.* Sed posteaquam completa fuit hominum obedientia, siue, cùm iam adoleuisset, & accessione Regum ac populorum aucta fuisset Ecclesia, neq; periculum iam esset, ne quid sæcularis gladius Euangelij cursum retardaret augmentumue impediret, iure suo vti, & virgam ferream aduersus contumaces expedire cæpit, velut à Prophetis iam olim prædictum fuisse, cum supra demonstraui, tum pluribus scripturarum locis posteriùs testatum faciam.

Quare Christus Cæsari tributũ dependerit.

Quando Ecclesia potestatem sæcularem exercere debuerit.

CAPVT XLV.

NVNC vni adhuc argumento, quo sæcularis Christi potestas à nonnullis in dubium vocatur, respondebo. Sic ergo disputant: Ieremiæ 22 de Rege Iechonia sic legimus: *Hæc dicit Dominus, scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* At enim Christus fuit vir de semine huius Iechoniæ, velut Matth. 1. legimus. Non igitur Christus sedet super solium Dauid, nec potestatem habuit in Iuda, nempe regiam sæcularem: quamuis potestatem regiam Spiritualem habiturum eum esse Angelus Luc. 1. prædixerit: *Dabit ei Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Respondeo, hoc argumento rectè vti eos, qui Christo regnum sæculare hereditariæ successionis iure conuenisse negant: in quo etiam me suæ sententiæ fauentem habent, qui Christi regnum non de hoc mùndo fuisse, siue nequaquã mundano more, aut vsitato alijs Regibus titulo, cuiusmodi est hæreditas aut successio, sed Redemptionis iure ei obtigisse affirmo. Itaq; non habuit regnum Dauid, quale Dauid ceteriq; Iudæ Reges obtinuerunt, (& illud nemo ex Iechoniæ posteris recuperaturus erat, sicut hic Deus comminatur) sed quale Deus Dauidi, siue semini eius, daturum se promisit. Dauidis porrò regnum fuit sæculare tantùm,

An Christus vt Rex sedeat super solio Dauidis.

Christus Rex sæcularis est non tamen iure hereditariæ successionis.

Quale sit regnũ Dauid, quod Christus habet.

1. Sacerdotale. *2. Vniuersale.* *3. Æternum.*

tùm,& Palæstinæ finibus circumscriptum,& aliquando desiturum. Sed regnum Dauidi, promissum fuit, primùm Sacerdotale secundum ordinem Melchisedech, cum vtraq; potestate: deinde vniuersale seu Catholicum, quod totum Orbem complecteretur, omniaq; alia Imperia funditùs deleret: postremò æternũ, quod numquam desineret, neq; ad aliam gentẽ transferretur. Cùm ergò Ecclesia regnũ Dauidis dicitur, nõ eo dicitur, quia ei⁹modi regnũ Dauid aliquando possederit, sed quia spes talis regni ei à Deo facta fuerit, & quia Christus, Mysticus Dauid, id regnum in terra instituerit. Ac tametsi horum omnium trium capitum veritas plus satis iam à me demonstrata videri debet: quia tamen plùs hoc sæculo, quàm vmquam aliàs, Regno Dauidis à Satana eiusq; Apostolis, Hæreticis & Macchiauellæis Politicis, controuersiam moueri, ac primarios quoq; nostros Theologos, eius iusta tueri promittẽtes, nefariè susceptæ causæ præuaricari intelligo: nõ vereor ne cui putidus aut περίεργος & in superuacuis operosior videar, si iurium Regni eius documenta accurratè conquisita diutius publico debere nolim, sed simul omnia Lectorum oculis subijciam.

Quomodo Ecclesia sit regnũ Dauidis.

Hostes regni Dauidis.

Aduocati iuriũ huius regni præuaricantur.

CAPVT XLVI.

PSAL. 109. Dixit Dominus Domino meo (*id est, Christo, semini meo secundum carnem,* Matth. 22.) sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*donec omnia regna, principatus & potestas per tuum regnũ euacuentur, seu tollantur,* 1. Cor. 15.) Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum (*tu quidem interea ad dextram meam in cælis sedebis, sed Sion, siue Ecclesia tua, in terea virga, seu gladio tuo, inimicos tuos, Reges ac populos contra te frementes & conspirantes, tuamq; Legẽ recipere nolentes, tuo imperio subijciet*) Iurauit Dominus & non pænitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundũ ordinẽ Melchisedec (*tu regnum Sacerdotale ad finem vsq; mundi duraturum habebis*) Dominus à dextris tuis confringet in diè iræ suę Reges(*inobedientes*) iudicabit in nationibus, implebit ruinas(*alium populũ post aliũ Ecclesiæ inseret, & ruinã huius, illius conuersione compensabit*) conquassabit capita in terra multorũ (*delebit ac disperdet Reges illorũ populorũ, qui Multi sunt, siue, qui nolunt vnũ fieri, neq; in vnitatẽ fidei conuenire, Ephes. 4.*) De torrente in via bibet(*id est, priusquam regnum accipiat, patietur*) propterea exaltabit caput.

Christi potestas super omnes Reges inimicos est in Ecclesia.

Christi regnum Sacerdotale & æternum.

Psal. 88. Dixisti Domine: Iuraui Dauit seruo meo: vsq; in æternum

Regnũ Dauidi promissũ est æternum.

præparabo

præparabo ſemen tuū,& ædificabo in generationē & generationē ſedem tuam. In æternū ſeruabo illi miſericordiam meam,& teſtamentū meū fidele ipſi. Et ponam in ſæculū ſæculi ſemē ei⁹,& thronū eius, ſicut dies cæli.] Hic regnum Dauidi promiſſum æternū eſſe diſcim⁹.

Pſal. 17. Eripies me (*hoc eſt, Chriſtum, myſticum Dauidem*) de contradictionibus populi: conſtitues me in caput gentium. Populus, quē nō cognoui, ſeruiuit mihi. Deus qui das vindictas mihi (*vt faciā ſcilicet per Vicarios meos, in quorū manibus ſunt gladij ancipites, vindictā in nationibus*, Pſal. 149.) & ſubdis populos ſub me. Faciens miſericordiam Chriſto tuo Dauid,& ſemini eius vſq; in ſæculum.] Hic diſcimus Regnum Dauidi promiſſum eſſe vniuerſale & æternum.

Chriſtus eſt caput:

Cui ſubditi ſunt populi.

In æternum.

Pſal. 71. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis (*id eſt, Chriſto Regi & Regis filio*) Iudicabit pauperes populi, & permanebit cum ſole,& donec auferatur Luna (*Ecce regnū æternū*) Et dominabitur à mari usq; ad mare,& à flumine usq; ad terminos orbis terrarū. Coram illo procident Aethiopes,& inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei] Ecce regnū vniuerſale, quod cetera omnia tollit. nec enim prropriè Rex eſt, qui vllū hominē ſe ipſo ſuperiorē agnoſcit, quod illi faciunt qui Chriſto, vt Homini, ſeruiunt, ſeu ſubiecti ſunt, quippe qui eos ſanguine ſuo ſibi peculiares emerit. Itaq; de ſe ipſo dicit Aggæi 2. *Conteram fortitudinē regni gentiū, ſubuertam ſoliū regnorū*, id eſt, delebo Imperium Romanū. nam *Roma* Græcè *Fortitudinē* ſignificat,& *habebat regnū ſuper reges terræ*, Apocal. 17. Iam ſequitur in Pſal. 71. Quia liberabit pauperem à potente: & animas pauperum ſaluas faciet *non modò ex peccato, quod eſt Spiritualis poteſtatis, ſed etiam* ex vſuris & iniquitate(*potentiorum*) redimet animas eorum (*Hæc eſt poteſtas iudicandi ſæcularia: ſequitur nunc poteſtas Spiritualis ſeu Sacerdotalis*) Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum; replebitur maieſtate eius omnis terra.

Chriſti regnum æternum.

Idem vnuerſale totius orbis.

Regnū Chriſti tollit omnia alia regna.

Imperium Romanū eſt Chriſto & Eccleſiæ ſubiectorum.

Eccleſiæ poteſtas ſæcularis.

Et Spiritualis.

Zach. 6. Sumis tibi aurum & argentum,& facies coronas(*duas nēpe, auream vnā, alterā argenteā*) & pones in capite Ieſu Sacerdotis magni (*ad portendendum Chriſti Sacerdotale regnum. Nam Chriſtus*) portabit Gloriam *ſiue vtramq; coronam*, & SEDEBIT & dominabitur *ſiue Dominus ac Rex erit* ſuper ſolio ſuo,& erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo,& conſiliū pacis erit inter illa duo, *id eſt, neutra poteſtas alterā impediet, ſed amicè vtrūq; regnum, Spirituale & ſæculare, in Eccleſia conſpirabit.*

Chriſtus habet poteſtatem Regiam & Sacerdotalem.

Amos

Ecclesia habet vtraq; potestatē. Super omnes nationes.

Amos 9. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit (*pro sæculari regno Dauidis in Iechonia vel Zedechia exstincto, aliut regnum Dauidicum instituam*) & reædificabo illud, sicut in diebus antiquis (*in lege nempe naturæ, cum Patriarchæ simul Reges & Sacerdotes essent, velut Adam, Noe, Moyses & Ietro socer eius, Melchisedec, alij*) Vt possideant reliquias Idumęæ & omnes nationes, eò quod inuocatum sit nomen meum supet eos. *Id est, non modò Palæstinam, sed omnes etiam gentes regno suo subijciant meo nomine ac loco, quia Christiani sunt, & potestatem à me acceperunt, qui morte merui, vt constituerer caput gentium.*

Regnum Dauidis æternum.

Isai. 9. Paruulus datus est nobis, & filius natus est nobis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid (*id est, Dauidi promissum*) & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iuditio & iustitia, amodo & vsq; in sempiternum.

Potestas Ecclesiæ sæcularis in subijciendis infidelibus.

Zach. 12. In die illa ponam Duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & deuorabunt ad dextram & ad sinistram omnes populos in circuitu: & habitabitur Ierusalem rursus loco suo in Ierusalem. Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio (*quando scilicet Sacerdotes regnabant*) vt non magnificè glorietur Domus Dauid & gloria habitantium Ierusalem (*siue Iudaicum regnum*) contra Ierusalem *siue Ecclesiam.* In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem (*siue Christianos*) & erit qui offenderit ex eis, quasi Dauid (*qui peccauerit, dicet cum Dauide* (2. Reg. 12.) *ad Nathan siue Confessarium suum*: Peccaui Domino: & respondebit Natham seu Sacerdos: Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris *id est, a peccatis eum absoluet*) & domus Dauid erit quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum, *id est, Ecclesiastici aut Sacerdotes in domo Dei, siue in Ecclesia erunt quasi dij, & angeli seu Legati, Domini pro Christo legatione fungentes 2.* Cor. 5. Labia Sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore eius quia Angelus Domini exercituū est, *Malac. 2.*

Spiritualis in dimittendis peccatis.

Sacerdotes sunt sicut Angelus Domini

Omnia regna terræ sunt Ecclesiæ subiecta,

Zach. 14. Et erit Dominus, Rex, (*non modò super duodecim tribus Israel, sed etiam*) super omnem terram: in die illa erit Dominus Vnus, & erit nomen eius Vnum, & omnis Terra reuertetur Ierusalem (*siue, Ecclesiæ subiecta erit, adeoq; nullus propriè in terra Rex erit, cum omnes Reges homine Christo inferiores sint, Et Ecclesiæ si minùs de facto, saltem de iure subiaceant*) Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Hierusalem: Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos (*super persuasionem suam, non super pastorum Decreta suæ Fidei fundamenta collacantis*) & oculi eius contabescent in fo-

Pœna Hæreticorum, qui aliter Scripturas intelligunt, quā Ecclesia.

raminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo (*id est, excæcabuntur & obmutescent, qui suo marte scripturas intelligere & interpretari volent, nec Ecclesiam audient*) In die illa erit tumultus Domini magnus in eis, & apprehendet vir manũ proximi sui, & conseretur manus ei⁹ super manum proximi sui (*id est, frement gentes, adsistent reges terræ & principes conuenient in vnum, & consociatis viribus Ecclesiam oppugnabunt*) sed & Iudas (*seu populus Iudaicus*) pugnabit aduersus Ierusalem, & congregabuntur diuitiæ omnium gentiũ in circuitu, aurum & argentum, & vestes multæ satis (*id est, omnes opes suas ad exugnandam Ecclesiam conferent*) Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in Castris illis, sicut ruina hæc. (*id est, bestiæ illæ & asini, Ecclesiam oppugnantes, corruent*) Et omnes, qui reliqui fuerint de vniuersis Gentibus, quæ venerunt contra Ierusalem, adscendent ab anno in annum, vt adorent Regem Dominũ exercituũ, & celebrent festiuitatẽ tabernaculorũ, *id est, electi ex Gẽtibus Christiani fient.*

Tã Iudæi quàm Gentiles Ecclesiã oppugnant.

CAPVT XLVII.

NVMERI 24 Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël (*nempe Christus*) & percutiet Duces Moab, vastabitq; omnes filios. Seth (*totũ mundũ sibi subijciet*) Et erit Idumæa possessio eius, hereditas seir cedet inimicis suis. Israël verò (*siue Ecclesia*) fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias Ciuitatis.] Id est, Christ⁹ etiam Romani imperij sæcularis Domin⁹ erit. nam reliquiæ *Ciuitatis illius magnæ, quæ habebat regnũ super reges terræ* (Apo. 17.) siue Romani ad Christũ conuersi, se Christo Domino ac Redẽptori suo subijcient, & Ecclesiæ ministrabunt, eamq; vultu in terram demisso adorabunt. Esse autem hæc de Romanis intelligenda, hæc eiusdẽ prophetæ verba declarant: Venient intriremibus de Italia (*chald. de Romanis*) superabũt Assirios, vastabũtq; Hebræos, & ad exrrẽũ etiã ipsi (*Romani*) peribũt] hoc est, sicut Romani Assirios & Hebræos regno spoliarũt eisq; Leges imposuerũt, ita etiam ipsis per Christũ eripietur Imperiũ Legesq; imponẽtur: nõ quod null⁹ futur⁹ sit Roman⁹ Imperator summa sæculari potestate prædit⁹, sed quia se Christi vt Domini beneficio, regnare credet, ac velut Ecclesię brachiũ, eam nutriet & defendet gladiumq; siue potestatẽ sæcularẽ, ad capitis siue Ecclesiastici ordinis nutũ distringet. Nam Respublica Christiana vnũ est corpus, nõ multa, & omnes Christiani ei⁹ dẽ corporis mẽbra sũt. *Nã in eo nõ est gẽtilis et Iudæus, circumcisio*

Christus Dominus Romani Imperij & totius orbis.

Romanũ Imperium quomodo per Christũ deletum.

Omnia Ecclesiæ membra etiam Reges ac Imperatores sunt sub

& præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus Colos. 3. Itaq; omnia membra in omnibus, quæ ad vtilitatē ac salutē, cum toti⁹ corporis, tum singulorū eius mēbrorū capitis iudicio pertinere visa fuerint, subesse, subiacere & obedire capiti suo debent. nam *ex capite totū corpus compactum & connexū per omnem iuncturam subministrationis secundū mensuram vniuscuiusq; membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate* Eph. 4. Et quoniam supra docui, nulla Lege homines teneri, nisi quæ Christi Legi siue æternæ, siue hominibus aut naturalis luminis beneficio, aut Prophetarum & Apostolorū opera declaratæ consentiat, & eam siue explanet, siue ad certa & peculiaria loca, tempora, hominumq; genera applicet atq; accommodet, propterea quod siue sanctio, siue consuetudo, quæ Legi illi aduersatur, nequaquam Lex vocari debeat, sed Regula siue è Tyranno, siue ab insipiente deprauata: certè vel hoc quoq; nomine omnia regna & imperia tam gētiliū, quàm Christianorū, Sacerdotio subiecta sunt: siquidē scientiam siue veram Legis ac voluntatis diuinæ interpretationē, vtq; sciri possit, quid ei consentaneū sit, vel aduersetur, in ore Sacerdotum De⁹ posuit, eorūq; imperio omnes subiecit, & obedientiam eis negantes interfici præcepit. Et in veteri quidē Testamento quoties Regnū à Sacerdotio diuisum esset, Legis interpretationē, siue summi Sacerdotis sententiam, magistrat⁹ sæcularis exsequebatur, & eos, qui obedire Sacerdoti nollēt, interficiebat, velut supra demonstraui. Sed cùm aut vtraq; potestas Sacerdotalis & regia in Sacerdotio coniuncta esset, aut à Sæculari magistratu nullam Sacerdos sententiæ suæ, exsecutionem sperare posset ipse Sacerdos ius gladij ergà noxios exercebat, hoc est, potestatē legis diuinæ, siue interpretandæ, siue ad certa tempora, certosq; homines accommodandę, eorum pæna, qui sibi dicto audiētes esse nollēt, vindicabat. Hoc nō modò Heli & Samuelis Sacerdotale imperiū, sed Ioiadæ quoq; summi Pōtificis historia docet. Is enim contra socrū suam, Athaliam Reginam Iudæ, quod & Hæretica esset, & tyrannicè imperaret, cum centurionibus & militibus clàm coniurauit, eam interfici præcepit, Ioan quoq; cognati sui filium, Regē inaugurauit, pactis tamen legib⁹, vt populū, Domini esse, siue Domino seruire, & à Sacerdotibus gubernari non impediret. Sic enim narrat scriptura. *4. Reg. 11. & 2. Paral. 23.* Athalia regnauit super terram annis sex. Anno autem septimo confortatus Ioiada Pontifex assumpsit centuriones & milites, & inijt cum eis fædus, & adiurans eos, ostendit eis Ioan filium Regis, dixitq; ad eos: Ecce filius Regis regnabit, sicut locutus est Domin⁹ super filios David (*Hic Legem seu*

Omnia Regna Legibus Christi vtuntur.

Non potest esse Lex, quæ Christo aduersatur.

Sed Legis sensū à Sacerdotibus oportet discere.

Sacerdotis Imperium Magistrat⁹ sæcularis exsequitur.

Sin minus: ipse Sacerdos inobedientes punit.

Quomodo in rebus sæcularibus Sacerdos summus imperet.

ſeu Verba Dei ad certum tempus & hominem applicat, quaſi dicat: Scriptum eſt, Dauid & ſemini eius regnum eſſe datum. Iuſtum ergo eſt, Ioan filium Regis regnare & auiam eius Hæreticam, regno & vita pariter ſpoliari) & PRÆCEPIT illis dicens: iſte eſt ſermo, quem facere DEBETIS (*Iam ſuam ſententiam, ſiue Legis interpretationem de inaugurando Rege & occidenda Regina exſequi incipit*) Tertia pars veſtrum obſeruet excubias Regis &c. Et dedit eis haſtas & arma Regis Dauid, quæ erant conſecrata in domo Domini, produxitq; Ioan, & impoſuit ei Diadema & Teſtimoniũ (*ſiue Regium habitum, qui Regẽ eſſe teſtaretur*) deditq; in manu eius tenendam Legem (*hoc eſt, iuſsit eum iurare, quod Legis & Sacerdotum ſententiæ Deſenſor futurus eſſet*) & unxit eum (*veluti nouum & electum à populo Regem. nam alioquin Regum filij non vngebantur*) fecitq; eum Regem, vt eſſet populus Domini. (*Hoc loco Ioiadas inter SE, regem ac populum, ſed 4. Reg. 11. inter DOMINVM & inter Regem, & inter populum, vt eſſet populus Domini, & inter regem & populum fædus pepigiſſe dicitur, quo docemur, Regem & populum iuraſſe Sacerdoti, velut ipſi Deo, obedientiam, tum Regem & Populum mutuis fæderibus deuinctos fuiſſe*) Egreſſus autem Ioiada Pontifex ad centuriònes & Principes exercitus dixit : Educite Reginam extra ſæpta templi, & interficiatur foris gladio. Et fecerunt iuxta omnia, quæ PRÆCEPERAT eis Sacerdos, & interfecerunt eam, ingreſſiq; domum Baal (*Eccleſiam Hæreticam*) deſtruxerunt eam, Mathan quoq; Sacerdotem Baal (*ſiue Prædicantem*) interfecerunt ante aras. Regnauit ergò Ioas, fecitq; rectum coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuit Ioiada Sacerdos. Poſtquam autem obijt Ioiada, ingreſſi ſunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem (*id eſt, ſupplices ab eo Libertatem Religionis, vtq; deinceps Sacerdotibus parere non cogerentur, petierunt*) qui delinitus obſequijs eorum, acquieuit eis (*id eſt, Iuriſdictionem Sacerdotum impediuit, & Libertatem Principibus Proteſtantium conceſsit*) Et dereliquerunt Templum Domini, Dei patrum ſuorum (*impingentes*, vt ait Ieremias Cap. 18. *in vijs ſuis, in ſemitis ſæculi, vt ambularent per eas in itinere non trito*, hoc eſt, à veteri Religione deſciuerunt & ſibi quisque nouam elegit, ante non tritam) ſeruieruntque lucis et ſculptilibus, et facta eſt ira contra Iudam propter hoc peccatum. Mittebatque eis Prophetas, vt reuerterentur ad Dominum, quos PROTESTANTES illi audire nolebant] *Hæc omnia*, ait Paulus 1. Cor 10. *contingebant illis in figura, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt.* Itaq; ſatis hoc vno exemplo, quanta Sacerdotij Chriſtiani ſit poteſtas, docẽur, cùm præſertim id nõ Leuiticum, ſed ſecundum ordinẽ ſeu ſi-

Primùm docet, quid ſit faciendum declarata Dei Voluntate ſiue Lege.

Deinde exſecutionẽ militibus committit.

Eos armis inſtruit.

Regem iurare facit defenſionẽ Veræ religionis.

Et ſic Regem eum Conſtituit.

Populum ei iurare facit.

Regẽ Hereticũ interficiendum iubet.

Eccleſias Hæreticorum deſtruit, falſos doctores occidit.

Auctoritate ſua Regem in officio continet.

Rex à Principibus delinitus Religionis falſa libertatẽ tribuit.

Itaq; ſibi nouã quisq; religionẽ elegit.

Et neq; moniti ad veterẽ religionẽ reuertuntur.

militudinē Melchisedech esse oportere, supra probauerim, eiq; Deus ipsorū quoq; Regū subiectionē, ministeriū & adorationē promiserit, velut ex ijs, quæ posteriùs afferam, cognoscetur. Non est ergò, quod quis Reges à populo regnum accepisse iure naturæ, ac propterea Sacerdotio non subiectos esse dicat. Christus enim ius regnandi super omnes populos, & quicquid ipsi habēt, sanguine suo emit, & facultatē ius illud ꝓmulgandi eiusq; possessionē capiendi Sacerdotib⁹ tribuit vtq; id facere possent, nō modò gladiū Spiritus ad prædicantū præceptū eius, sed virgam quoque ferream ad faciendam vindictam in nationib⁹, & ad ipsos quoq; REGES alligandos, ac iudiciū in ijs faciendū, eis reliquit. Cùm igitur Populus ipsi Lege Christi & Pontifici subiectus sit, non potest potestatem talē in Regē, quē eligit, conferre, vt is ab obedientia erga Christi Legē & Vicariū exemptus ac solutus sit. Iam verò Lex Christi potestatem, qua Reges gentium dominantur, penitùs de medio tollit, & inter Christianos exerceri prohibet *Matt.20.* Scitis quia Principes gentiū dominantur eorum, & qui Maiores *siue potētiores* sūt, potestatē exercent in eos (*hoc est, velut Ezech.34. loquitur, cum auctoritate imperant eis & cum potentia*) Non ita erit inter vos: sed quicūq; voluerit inter vos Maior *siue magistratus* fieri, sit vester minister: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare & dare animam suam redemptionem pro multis.]

Populus non potest Reges suos à Sacerdotum potestate eximere.

Nam populus non est sui iuris sed Christo subiectus.

CAPVT XLVIII.

IGITVR nullum inter Christianos verum & legitimū est Imperiū, quod nō sapiētiæ potiùs & Amoris, quam Potestatis viriūq; titulo innititur. Iam amoris est, populo Christiano seruire, omnia ad eius vtilitatē referre, vitā deniq; pro salute populi ponere paratū esse. Sapientię verò est, secundū Legis præscriptum imperare, cumq; Legis sensus ambigu⁹ est aut obscurior, vt quid sit iustum, & saluti publicæ, in magni momēti rebus, conducibile, non ita promptum sit peruidere, supremi Sacerdotis sententiam consulere (*oculi enim Sapientis in capite eius* Eccl.2. hoc est, qui sapit, capiti suo velut oculato paret, nec ipsi sibi sapere permittit) Nullus ergo Christianus Rex populo dominari seu violentè præesse, eum opprimere, vita fortunisq; spoliare, neq; vectigalibus imponendis onerare, sed neq; Regnum, aut partē ei⁹, quouis titulo alienare, multò autē minùs Hæresin sectari aut in regno tolerare, aut docendam permittere potest, quod illa non solùm Amori, sed etiam sapientię plurimùm aduersentur. Si enim populū *amat*, non aliter

Imperia Christiana debētpro fundamēto habere Amorem. Et Sapientiam.

Regibus inter Christiāos quid nō liceat,

Hæresin nullus Rex tolerare potest.

aliter, quàm filijs pater, vtilitati eius inseruit. Si *sapit*, Hæreticus neque ipse est, neque alios esse aut fieri permittit. *Hæresis* enim falsa est sapientia, siue, vt Paulus vocat 1. Tim. 6. *falsi nominis scientia*, hoc est, falsa Legis Christi interpretatio, aut *verbi Dei.* vt 2. *Cor.* 4. dicitur, *adulteratio*, siue pellis ouilla, qua Lupus occultatur. Qui ergò tolerat Hæreticos, Lupis cum ouibus commorandi potestatem facit. quod quanto cum ouium periculo fiat, si nescit, certè insanus est & velut furiosus merito à summo Pastore vinculis alligatur. *Lupus enim*, ait Christus, *rapit & dispergit Oues*, hoc est, animorum diuisionem in ouibus, siue dissidia & contētiones inducit, primumque & potentissimum Imperij vinculum dissoluit. Itaque Princeps, propria saltem vtilitatis causa, si minùs propter Deum, omni ope, ne quid in Religione antiqua nouetur, prouidere debet. Cùm enim primo loco & omnium validissimè animos hominum colligatos teneat Religio eadem, quo vinculo Pontifex Europæ, Asiæ, Africæ, Americæque Christianos sub ditione sua coniunctos habet: sicut secundum Reipub. vinculum est, colligatio ac cōsociatio corporum, qualis in Imperio Turcico videtur, quod Mahometanos, Iudæos & Christianos pariter complectitur, quamuis animis Religionum diuersitate dissidentes: tertium verò coniunctionis locum Fortunæ siue externa bona possident, quemadmodum Turcarum Imperator tam Ragusęis, quàm Turcis imperat, cùm tamen nec animis, neque corporibus alioquin colligati sint, quod illi Christiani sint, & corporum libertate perfruantur, hi verò Mahometani & Sultani sui mancipia: Sicut etiam Rex Catholicus Hispaniæ, non minùs Genuensibus, quàm Mediolanensibus dominatur, quod illi quamuis corporibus liberi, suas fortunas priuitas, quibus plus, quàm publicis opibus student, in Regis Catholici sicut Ragusæi in Turcarum Imperatoris prouinciis teneant (*Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum* Matth. 6.) cùm igitur Religione velut arctissimo modo deuinciri hominum animos colligariq; cōstet, fieri nisi armorum terrore & vi maxima nequit, quin illi, qui per Religionis mutationem à Principe suo animis seperantur, etiam corpora fortunasq; eiusdem ditioni eximant. Cùm enim populi, qui Principem viribus numeroq; superant (nam de illo subditorum genere non loquor, qui tyrannicè seruorum more comprimuntur & inermes victitant, velut apud nos, & olim in Ægypto Iudæi, & hodie inter Turcas Christiani, & in Triremibus nauales pedes, siue compediti remiges) cùm, inquam, ij qui Principe suo fortiores sunt, atq; adeò viribus suis

Pastor, qui Lupos cum ouibus commorari permittit, insanit.

Vincula Societatum & Rerumpub.
I.
II.
III.

Religionis dissidium dissoluit contextum Reipubl.

Eadem vna Religio quantum Regib. ac Principibus prosit.

Principem confirmant, eandem, quam Princeps Religionem sequuntur, non est periculum ne capiti, cum quo religione, velut anima, colligantur, rebellēt, tametsi vectigalium iniquorū impositione, rei priuatę ac publicę dilapidatione, iuris reddendi negligētia, alijsq; modis grauari opprimiq; sibi videantur. Facit enim Religio, vt mala illa velut diuinitùs immissa æquiore animo tolerent, cumq; Principē Dei ministrum & Vicarium esse persuasum habeant, fit vt Principi rebellantes, Deo rebellare putent, populi peccata per Principem punientis, sicut *Amos.3. & 4. & 6.* scriptum est *de* Principibus & *capitibus populorum Israel, qui calumniā faciebant egenis & conterebant capita pauperū: Non est malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Sed cùm à Principe de religione dissentiunt, iam eum pro Dei inimico habere incipiunt, neq; vllo conscientię scrupulo, quin ei rebellent, cōtinentur, maximè si aliquo plausibili colore (verbi gratia, quòd iustitia minùs Principi curæ sit, q Priuilegia prouincialium no obseruentur, quod peregrini indigenis pręferantur) seditionem suam tueri, & apud alios purgare queant.

Subditi diuersam à Principe suo religionem habentes facilè rebellant.

Stultitia Principū, qui nouari aliquid in Religione permittunt.

Apparet igitur insipientissimè facere Principes, sibique ipsis & vtilitati suæ priuatæ pessimè consulere, qui vel aliquid in Religione nouari permittunt, vel ijs, qui iam nouis opinionibus assenserunt, religionis suæ palàm exercendæ, pluriumque ad eandem inducendorum, & à Principe alienandorum potestatem faciunt: Si tamen aliter facere ipsis sit integrum. nam de ijs hoc loco non loquor, quibus id prohibere, cùm cupiant, minimè licet, quod fieri necesse est, cùm principio, ne quid nouaretur, minùs prouisum fuit, eorum scilicet opera, qui aliter Imperium desperant, nisi Religionis nouatores & adulteratores, fenestra ijs aperta, in Societatem adsciscant, *Eteoclis* illius Euripidæi sapientiam imitantes, qui cùm fratri *Polynici* regnum spreta iurisiurandi religione eriperet, hac memorabili & Macchiauello iudice verè aurea sententia factum suum defendit: *Si violandum est ius, regnandi causa violandum est: in ceteris rebus pietatem colas.* Sed euentus, stultorum magister, consilij eius insipientiam declarauit, cùm se ipsum, fratrem, populum, ipsasque Deorum patriorum aras & focos in perpetuum perdidit & afflixit: quod omnibus ista Macchiauelli sapientia imbutis Principibus vsu venisse historię loquuntur, & sacræ literæ in Ieroboamo id accuratè notant. Is enim vt Regnum Roboamo per rebellionem ereptum retineret, primùm animaduertit, si subditi sui eandem, quam Rex Roboam, Religionem retinerent,

Macchiauellicos Principes euentus stultitiæ conuincere solet.

nerent, diuturnam esse rebellionem non posse; deinde vt secum etiam Religionis communione coniunctos retineret, nouam Religionem induxit. *3. Reg. 12.* Dixitque Ieroboam in corde suo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si adscenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem: & conuertetur cor populi huius ad Dominum suum Roboam, Regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit populo: Nolite vltrà adscendere in Ierusalem. Ecce Dij tui, Israel] Nihil nempe credebat Macchiauellæus iste, nulliusque Religionis erat: alioquin si Deo quicquam credidisset, facile scupulum hunc ex animo eiecisset. Prædixerat enim illi Deus per Ahian Siloniten Prophetam: *Si feceris quod rectum est coram me, ædificabo tibi domum fidelem & tradam tibi Israel.* Sed ipse casu, non Dei voluntate illam Israelis à Rege Iuda alienationem accidisse ratus (Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes exstiterunt, & non cognoui: argentum suum & aurum suum fecerunt sibi Idola.* hoc est, non mihi, sed Idolis regnum suum acceptum retulerunt) prudentia illa, quam *Rationem status* hodie vocant, sibi ad regni conseruationem vtendum statuit, *fecitque fana in excelsis, & Sacerdotes de nouissimis* siue de ima fæce *populi, qui non erant de filiis Leui, ita vt quicumque vellet, impleret manum suam* siue victimam in manus sumeret, *fieretque Sacerdos excelsorum.* Quis autem Macchiauellæi huiusce consilij euentus fuerit, sic scriptura declarat: *Propter hanc causam peccauit* (id est, punita est, vt Isai. 24, 6.) *domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ.* Sed etiam populus semel à Deo per falsam religionem alienatus, adeò binis illis vitulis contentus non fuit, vt suum quisque Deum sibimet ipsi poneret, totque colendi Deum genera, quot hominum capita inuenirentur, donec tandem Assyriorum Rex, religionum varietate diuisos, simul omnes armis subactos in captiuitatem abduceret. *Ierem. 11.* Secundum numerum viarum tuarum posuisti aras confusionis. *Oseæ 10.* Vitis frondosa *seu palmites multos habens* est Israel: fructus adæquatus est ei, *id est, æquè numerosus est.* Secundum multiudinem fructus sui, multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulacris. Diuisum est cor eorum: nunc interibunt. Nunc dicent: Non est Rex nobis: non enim timemus Dominum: & Rex quid faciat nobis? *Quasi dicant*: Caput non habemus, qui nostra dissidia componat, quia falsas religiones

Ieroboami Macchiauellicum cõsilium.

Ieroboamus ob rationem status induxit religionis mutationẽ.

Mutationis eius euentus.

I. *Ieroboami domus fuit exstincta,*

II. *Vnusquisque subditorum peculiarẽ religionem sibi elegit.*

III. *Regnum totum in se diuisum hosti externo præda fuit.*

nes sectamur, ac tametsi nobis caput constitueremus, nihil tamen nobis prodesset, cum vnusquisq; suam religionem veram putet, nec alteri velit cedere?

CAPVT XLIX.

Populus nõ potest Regi suo potestatẽ tribuere Imperio Pontificis exemptam.

SI c ergò manifestum est, sine certissima regnorum ac rerumpub. pernicie Hæresin siue Religionis nouationem nec induci, nec tolerari posse: cumq; Lex Christi, Reges ac Magistratus *non dominari*, sed *seruire*, hoc est, potestate non aliter, quàm ad populi salutem vti iubeat, non potest certè tantam populus in Regem, si vel maximè cupiat, potestatem conferre, quæ ipsum imperio Christi, eiusq; Vicarij eximat, & obligatione standi sententia Pontificis de eo, quod populi salutem attingit, liberet. Etiamsi autem Rex quispiam *de facto* potestatem eiusmodi teneret (nam *de Iure* nec Gentilis Rex vllus eam habere potest, cùm etiam Lex naturæ id Reges curare atq; illuc omnia referre iubeat, vt qui sunt eorum in imperio, sint quàm beatissimi velut scitum illud docet: *Salus populi suprema Lex esto*) sed tamẽ si tam iniquam super se potestatem Regi populus tribuisset, Christi fidem amplectens Rex, ea se abdicare cogeretur. Per fidem enim & Baptismum in Ecclesiam recipitur, membrumq; corporis Christi efficitur, adeoq; fieri nequit, vt potestatem ceteris membris nocendi retineat, sed Regia potestate, velut brachium aut manus, ad vniuersum corpus alendum, & à frigore, fame, siti, hostiliq; iniuria defendendum vti de hinc tenetur, ad capitis nempe imperium, tametsi charitas, quę Christianos omnes inter se deuincit, sua sponte, quęcumq; corpori vtilia sunt, facere eum impellat. Atque hoc est non tam regnare, quam seruire. eamq; Regum seruitutem Ecclesiæ Deus apud *Isaiam* promisit *cap. 60.* Filij tui de longè venient. Tunc videbis, & afflues, mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Me enim Insulæ exspectant, & naues maris in principio, vt adducant filios tuos de longè: argentum eorum & aurum eorũ cum eis nomini Domini Dei tui & sancto Israel, quia glorificauit te. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum (*peregrinorum, siue Ethnicorum*) MINISTRABVNT tibi. Gens & Regnum, quod non SERVIERIT tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Et venient ad te curui *siue humiles* filij eorum, qui humiliauerunt te (*id est, Successores Ethnicorum Imperatorũ*) & ADORABVNT

Rex tãtam potestatem adeptus Christi fide suscepta eam mittere teneretur.

Reges Christiani sunt serui, nõ Domini reipub.

Reges Ministrant & seruiunt Ecclesiæ. Humiliter adorant Ecclesiam.

RABUNT vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant, tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini Sion sancti Israel. Pro eo quòd fuisti derelicta (*priùs*) & odio habita, & non erat, qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum (*seu, multis sæculis duraturam*) gaudium in generationem & generationem : & suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum : & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & ponam Visitationem tuam (*Visitatores siue Episcopos tuos*) Pacem, & Prępositos tuos iustitiam.) id est, tam sæculares, quam Ecclesiastici Principes tui in vinculo pacis vnitatem Spiritus inter membra omnia conseruabunt, & iustè, non, vt Gentiles, violentè præerunt. Huic consentaneam promissionem apud eundem Prophetam legimus cap. 49. Hæc dicit Dominus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum (*ad Ecclesiam priùs tyrannide oppressam & ab omnibus odio habitam*) Reges videbunt (*TE*) & consurgent *honoris habendi causâ* Principes, & *non modò Dominum, sed etiam Te* adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & propter sanctum Israel, qui elegit te. Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum, *dum eos exosculantur*, lingent] Hoc vtroque loco obseruari debet, quod futurum Ecclesiæ prædicitur, vt priùs odio habeatur, dominis siue Regibus Gentilibus seruiat, omnibusque contemptui & abominationi sit, sed postea demum à Regibus ac Principibus honoretur, nutriatur, lactetur, diuitijs augeatur & propter Deum humillimè adoretur. Illud nempe est, quod iam non semel dixi, sicut *Christum priùs oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam* Luc. 24. Similiter Ecclesiam in sua adolescentia, cùm Gentium obedientia nondum completa foret, oppressionem & persecutionem perpeti, post demum adultiorem sæcularis quoque gladij, siue imperij potestate, vti debuisse. Id quod etiam *Isai. 54.* docemur. Lauda sterilis, quæ non paris (*Ecclesia, quæ primùm valde exigua & verè pusillus grex eras*) quoniam plures filij desertę (*Ecclesiæ*) quàm quæ habet virum, *siue Synagoga.* Ad dextram & ad læuam (*ad Orientales & Occidentales Indias*) penetrabis, & semen tuum gentes hereditabit, & Ciuitates desertas inhabitabit. *Quamuis autem futurum sit, vt principijs tuis omnes Reges & populi sese opponant, tamen* Noli timere, quia

Ecclesia priùs à Regibus affligi, postea adorari debuit.

Ecclesia adolescentia plena confusione.

non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis ADOLESCENTIÆ tuæ obliuisceris, & opprobrij viduitatis tuę non recordaberis ampliùs: quia dominabitur tui, qui fecit te, & redemptor tuus, Deus omnis terrę vocabitur (*etiamsi priùs pauci erunt Christiani, postea tamen totum mundum Ecclesia occupabit*) Quia vt mulierem derelictam & mærentem Spiritu vocauit te Dominus, & Vxorem ab ADOLESCENTIA abiectam dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te] Hoc ipsum *Psalmus 128.* docet: sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum (*cùm humi iacerem oppressa*) fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Dominus iustus concidet funes peccatorum, confundentur & conuertentur retrorsum omnes, qui oderunt Sion &c.] Talis ergò Ecclesię adolescentia, iuuentus & media ætas esse debet: de Senectute *Psalmo 91.* discimus: Inimici tui Domine peribunt & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur sicut Vnicornis Cornu meum (*sæcularis Ecclesiæ potestas erit in gloria*) & SENECTVS mea in misericordia vberi. Et despiciet (*ex alto*) oculus meus inimicos meos, & in insurgentibus in me malignantibus audiet (*pœnam*) auris mea. Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atrijs Domini Dei nostri florebunt: adhuc multiplicabuntur in SENECTA vberi, & bene patientes erunt, vt annuncient.] Id est, Ecclesia etiam cum iam senuisse videbitur, viridis ac florida erit, & per annunciationem Euangelij plurimos Christianos efficiet, nempè in INSVLIS, de quibus supra Dei verbum audiuimus: *Me Insulæ EXPECTANT* (vsque ad senectutem tuam scilicet) *& naues maris in principio, vt adducant filios tuos de longè &c.* Cùm ergò Rex quispiam per Baptismum Ecclesiæ inseritur, non ei regnum eripitur, sed ad fungendum Brachij seu Manus munere obligatur, vt scilicet Ecclesiæ seruiat ac ministret, eam nutriat atque ab omnibus noxijs, in primis autem ab Hæresi tueatur. Sin etiam aliquid Gentilitatis Regnum eius habuit, hoc est, si vel consuetudine, vel populi consensu, potestatem herilem in subiectos exercuit, illud omne propter Christum ac regnum cœlorum relinquere tenetur. Simile est enim regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem inuenit homo, abscondit & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum. Iterum

Ecclesiæ Senectus plena gloria.

Reges ethnici ad Ecclesiam conuersi quid perdant & lucrentur.

Perdunt imperium despoticũ siue dominationem in subditos.

rum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam *Matth. 13.* Si ergò Reges hunc thesaurum, regnum nempe Christianum, quod ex præscripto Legis Christi gubernatur, & nihil nisi seruitus est, quæ Ecclesiæ ac membris eius exhibetur, possidere, hancque pretiosam margaritam emere cupiunt, siue, si Ecclesiæ brachia fieri volunt, necesse habent, vt, herilem illam in Subditos potestatem vendant, seque Christo, & quem ille suo loco caput Ecclesiæ suæ militanti dedit, subijciant, idque nutriant, colant & adorent. neque enim Christus in corpore suo Brachium tolerat, quod reliqua membra cædendi ac vulnerandi potestatem habere velit. *Reges Gentium dominantur & potestatem exercent: Vos autem* Reges Christiani *non sic.* nec enim Ecclesiæ meæ capita vos constitui, sed Brachia: non Dominos, sed Ministros. Atque hoc modo impleta est Balaami prophetia, quæ Romanum Imperium post exstincta cetera Orbis Imperia, etiam ipsum periturum, & à Christo vastatum siue sublatum iri cecinit: quia Christo scilicet subiectum, & recepta eius Lege, Gentile regnum esse desijt, & potestatem, qua priùs in populos tyrannica siue herili vtebatur, in paternam, omnia scilicet subiectorum vtilitate metientem, commutauit.

Lucrantur regnum Christianum.

Romanum Imperium quomodo à Christo deletum.

CAPVT L.

DANIEL. 2. In diebus regnorum illorum suscitabit Deus regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.] Hic docemur Regnum Dauidis, siue Dauidi promissum, non modò æternum, id est, quod ad alium populum non transferatur, sed etiam sæculare esse oportere, quod scilicet cùm reliquas Monarchias, tum Romanum Imperium de medio tollat & conterat, quam contritionem non modò *prædicando præceptum Dei*, sed etiam *pascendo virga ferrea*, nec tantùm *exaltationibus Dei in gutture*, sed etiam *gladiis in manibus*, hoc est, non tantùm spirituali, sed sæculari quoque potestate perfici oportere iam sæpius probaui, & hunc quoq; *Aggæi cap. 2.* locum iam supra produxi: *subuertam solium regnorum,*

Regnum Christi æternum & sæculare.

Christiani à iugo Regum infidelium liberi.

rum, & conteram fortitudinem regni gentium, id est, Regnum Romanorum, quod gentibus & regnis ceteris dominatur, delebo. *Ierem. 30.* In die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni: sed seruient Domino Deo suo, & Dauid Regi suo, quem suscitabo eis?] Hic videmus in regno Dauidico omnes Deo & Regi suo siue Pontifici seruire, ceterum ab omni iugo & obedientię Gentilium Regum liberos ac solutos esse. *Alieni*, siue Gentiles Reges Christianis *de iure* (vt aiunt) dominari nõ possunt. Sed quid si Alieni esse desinant, & Christiani fiant quid tum facient? an Domino suo excident? Respondet Deus per Isaiam: cap. 61. *stabunt* ALIENI (vt Ministri. Isai. 60. Reges alienorum ministrabunt, *siue, vt est in Chaldeæo:* adstabunt, *id est, vt ministri adstabunt* tibi) *& pascent pecora vestra* : *& filij peregrinorum agricolæ & vinitores vestri erunt*, hoc est, non domini Christianorum, sed ductores erunt, qui eis ministrent, & regendo nihil, nisi vt eis benè sit, propositum habebunt. Hoc ergo est *conterere & subuertere regna gentilium*, facere nimirum, vt Reges quidem maneant, sed Christo tamen subiecti sint, & vtilitati Ouium eius inseruiant. quo reuera nihil de dignitate eorum deminuitur, quippe qui, *pro Dominis, Patres populorum* euadant, adeoque Imperium meliori titulo ac fundamento, nempe *Amore* nixum, capessant, id quod *Psalmo 46.* docemur: Rex magnus Dominus (*Christus iam glorificatus*) super omnem terram. Subiecit populos NOBIS(*Christianis, per quos regnat*) & gentes sub pedibus nostris. Elegit in nobis Hereditatem suam: speciem Iacob, quam dilexit(*id est, nos elegit, quibus Gentes hereditatem suam subijceret, & Ecclesiæ dilectæ speciem siue gloriam tribueret: tum autẽ hoc facit quãdo*) Adscendit Deus in iubilo. Psallite, quoniam Rex omnis terrę Deus(*nam ei data est omnis potestas in cœlo & in terra*) Regnabit Deus super Gentes: sedet super sedem sanctam suam(*ad dextram Patris, donec euacuauerit omnẽ principatum & potestatem*, (1. Cor. 15.) Principes populorũ congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dei, sunt, fortes terrę, vehementer eleuati sunt] *id est, quia Reges terræ Deo Abraham se subiecerunt, seque Christi esse profitentur, propterea Imperium eorum multò factum est sublimius.*

Reges Gentiles facti Christiani pro Dominis fiunt serui,

Sed seruitus illa longe quauis dominatione est gloriosior.

Christus Rex post Adscensionem factus omniu terræ.

Reges qui Ecclesiæ se subijciunt, exaltãtur.

Christi regnum vniuersale & æternum.

Daniel. 7. Adspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Et dedit ei potestatem, & honorem & regnum : & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna(*id est, talis*) quę non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur]

Quod

Quod hic de ipso Christo dicitur, statim sic de Ecclesia interpretatur : Quatuor bestiæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem Regnum Sancti Dei Altissimi, & obtinebunt Regnum vsque in sæculum & sæculum sæculorum.] *Et rursum* : Regnum & potestas & magnitudo regni, quæ est supter omne cælum, dabitur populo sanctorum Altissimi : cuius (*populi siue Ecclesiæ*) regnum, regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei et obedient.

Populo sanctorũ siue Ecclesiæ datũ est regnũ Christi.

Ierem. 33. in diebus illis germinare faciam Dauidi germen iustitiæ, et faciet iudicium et iustititiam in terra (*per Petrum scilicet, qui quod in terra ligat aut soluit, similiter in cælis ligatum aut solutum manet*) Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum domus Israel. Et de Sacerdotibus et Leuitis non interibit vir, qui offerat holocautomata omnibus diebus etc.] Hoc loco rursum Ecclesiæ Sacerdotale imperium secundum similitudinem Melchisedech in æternum promittitur.

Christus Rex terræ.

Semper habet in terra Vicariũ seu Proregem.

Ezech. 37. Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum et congregabo eos vndiq; et adducam eos ad humum suam. Et faciam eos in gentem vnam in terra, et Rex vnus erit omnibus imperans, et non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna. Et seruus meus Dauid Rex super eos, et Pastor vnus erit omnium eorum] Hic Regnum Dauidi promissum vniuersale esse discimus de quo etiam Christus loquitur : Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili (*ex populo Iudaico, sed Gentiles*) et illas oportet me adducere, et fiet vnum ouile, et vnus Pastor.] Iam verò Christus ipse Gentes ad ouile suum non adduxit (*non enim missus erat, nisi ad oues, quæ perierant, domus Israel*) sed post resurrectionem Petro totum ouile commisit, et post Adscensionē per uisionem eidem, vt Gentib⁹ adductis vnũ ouile facere inciperet præcepit. Itaq; de se ipso Zachar. 2. dicit: *Post gloriã* siue resurrectionem *misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos.* Ex quo consequitur, cùm Petrus *electus fuerit, per cuius os gentes Euangelium audirent & crederent.* (velut ipse de se *Act. 15.* in concilio profitetur) eum Regem esse, vnum omnibus Christianis imperantem, et Pastorem vnum ouium omnium, sub cuius vno Iugo simul omnes Deo seruire debeant. *Sophon. 3.* Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum (*id est, quia iudicaui iam seu decretũ habeo*) vt congregem gentes et colligam regna: et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei

Christi regnum vniuersale.

Petrus Rex vnus loco Christi.

(*id est, vt per Apostolos ira mea ob peccata ipsorum eis denunciata, in vnitatem Ecclesiæ congregentur* quemadmodum Psalm. *109. Dominus confringet in die iræ suæ Reges, iudicabit in Nationibus*) in igne enim Zeli mei deuorabitur (*seu conuertetur à S. Petro, cuius erit occidere & manducare*) omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno, *siue vt habent 70. Interpp.* & seruiant ei sub iugo vno. Vltra fulmina Aethiopiæ (*Chald. India*) inde supplices mei: filij dispersorum meorum deferent munus mihi.

CAPVT LI.

AGGÆI 2. Hæc dicit Domin⁹: Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam: & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus (*Christus*) & implebo domum istam (*Ecclesiam*) gloria. Meum est argentum, & meum est aurū, dicit Domin⁹. Magna erit gloria domus isti⁹ nouissimæ, plus quàm primæ, dicit Dominus.] Hic Regnū Dauidi promissum vniuersale & sæculare futurū significat. Ecclesiam enim gloria plenam, multoq; Synagoga Iudaica splendidiorem fore pollicetur, ac ne quis spiritualem tantùm gloriam promitti putaret, *argenti & auri* commeminit, tamquam de eadē *Gloria* intelligi velit, quam Zacharias Christū portaturum scribit, *Coronas scilicet duas*, auream & argenteam, ad portendendam Regis & Sacerdotis potestatem. Cùm autē multo maiorē Ecclesiæ quàm Synagogæ Gloriam futurā dicat, necesse est vt multò plus Christianis Sacerdotib⁹, quàm Leuiticis, Decimæ debeantur. Itaq; supracitato *Isaiæ 60.* loco, tantas Ecclesiæ diuitias promittit: *Pro ære afferam aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs & pro lapidibus ferrum.* Et Isai. 61. Sacerdotibus Christianis duplicia pollicetur: *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem gentium commedetis, & in GLORIA earum*, id est, in gloria & splendore gentium, *superbietis: duplicia in terra* (non tantùm in cælo) *possidebitis lætitia sempiterna erit vobis.*] Cùm Deus hanc Sacerdotibus gloriam & lætitiam propriam seu perpetuā fore promittat, tamen ne id contendet Rex Angliæ, vt eam Reges ac Principes rursum Ecclesiæ eripiant? Sic enim in Præfatione ad Principes resquepub. pag. 110. scribit: *Vt illa non nisi alis vestris in tantam altitudinem subuolauit, tam titulos suæ magnitudinis & honores à vobis mutuando, quàm vestra munificentia, quicquid temporalium*

Regnum Christi sæculare & vniuersale.

Ecclesia Christi longè gloriosior, quàm olim Synagoga.

Sacerdotes Ecclesiæ quantā habere gloriam debeant.

Regis Angliæ somnium è Sabinis missum.

poralium possidet, perfruendo: Ita si quisq; vestrum ab illa rursus, quod sibi ereptum est, repetet, breui, vt ait poeta, stabit furtiuis nudata coloribus, decisisque humilis pennis, idque propter SVPERBIAM suam.] Hoc perinde est, ac si diceret: *Si asinus volat, habet pennas.* Deus Sacerdotibus disertim promittit, fore vt non tantum in cęlo, sed etiam IN TERRA duplicia possideant, vt fortitudinem gentium comedant, vt in gloria ac splendore gentili SVPERBIANT, vt sempiterna lætitia perfruantur. Itaq; inania meditatur Rex Anglus, cum id sua facundia impeditum iri, aut impediri saltem posse consomniat. *Sta Balac, & ausculta, audi fili Sephor. Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergò, & non faciet? locutus est, & non implebit?* Numer. 23. Quam porrò, verum sit, quod Rex iacit Ecclesiam scilicet, temporalia, quæ possidet, Regibus eripuisse aut furatam esse, vel ex hoc ipso Aggæi loco iudicari potest. Omne enim aurum & argentum Christi est, quo Ecclesiam glorificaturū se pollicetur. Itaq; Psalmus octauus, *Omnia Christo subiecta esse* dicit, *Oues & boues vniuersas,* siue bona externa quæcumq;. Est ergò Christus non solum vt Creator, sed etiam vt emptor, omnium regnorum ac bonorū sęculariū Dominus siue proprièt arius. Ceteri omnes, quicquid possident, non nisi vtendū fruendum Christi beneficio acceperunt. Itaq; si propriè loqui velimus nemo Deo aut Ecclesiæ quicquam donare potest: tantùm erga Deum bonam suam voluntatē testatur, cùm vsu rei à Deo sibi tributæ se ipse abdicat: etiam cùm vsum siue regni, seu patrimonij, pecuniæ aut fundi, Ecclesiæ cedit (proprietatem enim cedere nō potest. cùm nulli res vlla mancupio, sed vsu tantū à Christo vero proprietario detur) nōdū sed aut suos heredes iure vtendi fruendi spoliat, siquidē cuiuis, clerico aut Monacho fieri, quin etiam ad Episcopalē & Pōtificiam dignitatē virtutis & doctrinæ via adspirare licet: atq; adeò ista bonorū communicatio, seu voluntaria publicatio, omne ferè conseruandarū rerūpub. momentū possidet. Nam Nobiles, cùm eorum numerus augetur, filios suos Ecclesiastico vitæ generi destinant, qui vt Beneficia Ecclesiastica consequantur, virtutū literarūq; studio incūbunt, & ita plebeij atq; agricolæ minus à Nobilitate opprimuntur. Et cùm *in multitudine sapientū,* velut ait Salomō Sap. 13. *sit sanitas Orbis terrarum,* habent homines excellentibus ingeniis præditi, quibus alioquin res angusta domi facultatē emergendi negaret, vnde sumptus in studia faciant, si Sacerdotiis aut Beneficiis Ecclesiasticis afficiantur. Iam etiam in eo non minimū reipub. commodat Ecclesiarum & Monasteriorū opulentia, quod

Vtrum Ecclesiæ Romana suas opes Regibus furata fuerit.

Christus solus est proprietarius siue Dominus omniū bonorū.

Christo & Ecclesiæ nihil donari potest.

Ecclesiarū opes quātū rebuspu. prosint.

Cur clerici liberaliores esse soleant.

quod ab ijs multi pauperes aluntur, quos alioquin fames ad furta & latrocinia impelleret. Cùm enim Clerici neq; labore suo opes illas redditusq; annuos pepererint, & vxores liberosq; non habeant, quib⁹ hereditatem relinquant, fit vt tantò in erogandis eleemosynis liberaliores sint, neq; coaceruandis pecuniarum cumulis incumbant. Itaq; vsu venisse in Germania videmus, vt in Monasterijs, priusquam ea Lutherani Principes occupassent & in Fiscum redegissent, in dies singulos trecentis aut quadringentis Scholasticis, opificibus, operarijsque pauperibus cibus ordinariè præberetur, & Aduentores hospitio liberaliter acciperentur, quæ iam præter vnum aliquem Præfectum siue Oeconomum, & vnum fortasse alterumq; Venatorem cum canum venaticorum Mandra vix quemquam alunt & vsum hospitio aduentores accipiēdi penitùs ignorant. Postremò cùm Clerici alienare Ecclesiarum suarum bona Canonibus vetentur, fit vt omnia illa bona quoddam reipub. depositum videantur, quo respub. in extremas difficultates coniecta iure suo vti possit. Ita sanctos viros, cum alia pauperum egestatem subleuandi & captiuos ab hostibus infidelibus redimendi facultas non suppeteret, Ecclesiæ thesauros aperuisse & vel sacros Calices conflasse legimus: nec profectò pænitendam Venetis vtilitatem hodiè affert Decimas à clero suo exigendi potestas, à Pio Quinto Pontifice ideò ipsis facta, vt lacunam fisci, bello nauali cum Turcis anno 1571. gesto factam, explere possent. Sic ergò perspicuū est, Ecclesiæ bona reipub. thesaurum esse, neq; Ecclesiæ quicquam ab ijs, qui rerum suarum vsum ei cedunt, donari, cùm quia Christus Ecclesiæ caput solus omnium bonorū est dominus (quod et Dauid sua populiq; munera ad ædificandum Templum collata Deo consecrans hoc modo simpliciter confitetur 1. Par. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus* (vtenda) *dedimus tibi. Omnis hæc copia, quam parauimus, vt ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia*) tum quia nemo, qui de bonis suis quicquam ad Apostolorum pedes deponit, vel Ecclesiæ cedit, nec heredes iure ijsdem bonis vtendi fruendi penitùs abdicat. Non semel igitur eos risi, qui tanto cum conatu de Donatione Constantini altercantur, cuius quod circumfertur Instrumentum, Græcorum fraude ad faciendam Romanæ Ecclesiæ inuidiam, subiectum fuisse, Card. Baronio credimus: neq; vtrum aliquod si minus *Donationis*, saltem *Cessionis* documentum publicum, id quod vero simile videtur, antiquitùs exstiterit, multum curamus Magdeburgenses quidem *Centur. 8. Cap. 10. columna 743.* Hadriani *Pa-*

De Donatione Constantini.

pę ad Carolum Magnum epistolam legisse se testantur, cuius hoc recitant argumentum: *Plurimæ petiones continentur pro restitutione patrimonij B. Petri. Meminit Donationis Constantini, temporibus Siluestri Papæ factæ, & aliorum, qui pro animæ suæ salute multa donarent B. Petro, quæ à Longobardis erepta sint, ac dicit in Lateranensi scrinio eas Donationes haberi.* Verumtamen non multum, vt dixi, ea de re laboramus, siquidem ex iis, quæ iam dixi, Romam Ecclesiæ donari nequiisse constat, non quidem quia, velut Iurisconsultorum filii contendunt, quod Reipub. esset, alienare Constantinus nequierit (nec enim alienauit, sed reipub. magis, quàm antea, communem fecit, vt iam cuiuis de populo per virtutis viam ad potiendum sede Imperii Romani aditus pateret, cùm idoneus nemo à spe Pontificatus adipiscendi excludatur) sed quia nequaquam donatione aut hereditate, aut iure belli, neq; vllo alio humano iure aut titulo Romam tenet Ecclesia, sed tantùm iure diuino. Deus enim est, qui Romam Ecclesiæ donauit, & hunc corpori suo velut cibum, hanc ciuitati suæ arcem, hanc scholæ suæ Cathedram, hanc gregi suo caulam siue sæptum, hoc templo suo fundamentum, hanc domui suę penum seu penuariam cellam, hanc filiis suis matrem, hanc naui suæ puppim, in qua clauum tenens gubernantor sedeat, hanc sponsæ suæ vestem, hoc deniq; castris suis prætoriũ daturũ se promisit, velut consequentibus parabolis vberiùs demõstrabitur: nũc pauca tantũ in mediũ afferemᵒ.

Si Romam constãtinus donasset Ecclesiæ, nequaquam eam alienasset.

Ecclesia Romã possidet iure diuino.

CAPVT LII.

MICHÆ 4. In die illa, dicit Dominus congregabo claudicantem (*70, Interpp* contritam, *id est, Ecclesiam persecutionibus prius oppressam*) & colligam eam, quam afflixeram, & ponam eam in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsq; in æternum (*Hæc de Ecclesia siue de regno Christi intelligere nos Gabriel Angelus Luc. 1. docet qualis autem eius regni potestas futura sit, sic statim interpretatur*) Et tu turris gregis (*ò Ecclesia*, ad *quam grex meus confugiet*) nebulosa (*persecutionibus prius obnoxia*) filia Sion, vsque ad te veniet, & veniet (*hoc est, veniet inquam certò*) potestas PRIMA (*Chald. Prisca*) regnum filiæ Ierusalem. (*id est, regnum tuum, ò Ecclesia, erit regnum Dauidis siue Hierosolymitanum, sed cum potestate prima, siue prisca, quæ scilicet fuit in lege Naturæ, cum simul Regnum & Sacerdotium coniuncta forent. Verum tamen frement contra*

Regnũ Christi siue Ecclesiæ æternum.

Habet regiã & Sacerdotalẽ potestatem.

te gentes, & atrocissimis te persecutionibus priùs oppriment, quàm potestatem illam primam, id est, sæcularem simul cum spirituali exercere possis. Itaque pergit) Nunc quare mærore contraheris? numquid Rex non est tibi, aut consiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor, sicut parturientem? Dole & Satage filia Sion quasi parturiens (*id est, forti animo persecutiones sustine*) quia nunc egredieris de Ciuitate (*Hierosolyma*) & habitabis in regione (*chald. & 70 Interpp* in campo) & venies vsque ad Babylonem (*nam Apostoli velut à Christo iussi erant.* Luc. 24. & Acto. 1. *incipientes à Ierusalem, per Iudæam & Samariam velut in planitie multiplicatis domibus siue Ecclesiis, vsque ad vltimum terræ pertingere, adeoque Romam vsque venire debebant. nam* Babylon magna, mater fornicationum est CIVITAS magna quæ habet regnum super Reges terræ, *ait Iohannes ROMAM describens* Apocal. 17. *Itaq; S. Petrus* 1. Pet. 5. salutat vos, *inquit,* Ecclesia coëlecta in Babylone, *id est, Romæ*) Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu (*seu sæculari potestate*) inimicorum tuorum (*Christianum scilicet Imperatorem, qui tua deinceps Manus sit, nacta:* quod etiam Ezech. 34. Ouibus suis Deus promittit: *Erunt in terra sua absq; timore, cum contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de MANV imperantium sibi*) Et nunc (*id est, Principio quidem*) congregatæ sunt super te Gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur, & adspiciat in Sion oculus noster. Ipsi autem non cognouerunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium eius: quia congregauit eos, quasi fænum (*chald. & 70. Interpp.* quasi manipulos) areæ. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum (*id est, vt supra docui, habebis caput sæculari potestate præditum*) & vngulas tuas ponam æreas (*id est, iudices tui tam sæculares, quàm Spirituales magnam habebunt efficaciam*) & comminues populos multos, & interficies *seu consecrabis* Domino rapinas (*chald. facultates*) eorum, & fortitudinem (*chald. pretiosam pecuniam*) eorum Domino vniuersæ terræ] Cum his paria faciunt illa Isaiæ verba iam supra excussa: *Vos Sacerdotes Domini vocabimini : Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis.* Igitur Romam Deus Ecclesiæ velut escam dedit) nam ROMA, Grecè robur seu fortitudinem notat) & ab ea rapinas siue spolia Romæ sibi consecrari voluit. Manus porrò, quæ hanc ori, siue capiti corporis Christi, escam indidit, fuit Constantinus Imperator, qui postquam per fidem & baptismũ corpori Christi insitus fuit, Brachij siue Manus officio fungi cæpit, & possessione vrbis Romæ cedens, idem fecit, ac si manus

In principio debuit affligi:

Sed postea Romæ liberari à potestate Imperij Romani.

Romani Ecclesiæ persecutores, ei subijciendi.

Roma est cibus Ecclesiæ.

Imperator velut Manus hunc capiti Ecclesiæ cibum indidit.

manus ori cibum inferat, aut corpus totum splendida veste induat, quæ res nō minùs ipsi Manui, quàm aut ori siue capiti, aut reliquis mēbris vtilitatē affert *Isai.49.* Hæc dicit Dominus ad contemptibilē animam, ad abominatam gentem ad seruum Dominorum (*ad Ecclesiam persecutionibus Romanorum pressam*) Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes illi congregati sunt (*animo quidem te lapidandi & delendi, sed reuera occulto meo consilio*) venerunt tibi, Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.] *Et Isai. 52.* Consurge, induere FORTITVDINE tua (*cape possessionem Romæ tuæ*) induere vestimentis gloriæ tuæ, Ierusalem ciuitas Sancti. Excutere de puluere, consurge. SEDE Ierusalem (*tamquam Regina*) solue vincula colli tui, captiua filia Sion (*non suberis de hinc Romano Imperio*) quia hæc dicit Dominus: Gratis vænum dati estis, & sine argento redimemini] *Id est,* non aliquo humano titulo, sed donatione diuina tu Ecclesia Romam obtinebis, & ex Gentili Christianam facies, hocque pacto FORTITVDINEM mutabis, sicut *Isai.40.* prædictum legimus: Qui sperant in Domino (*siue, Christiani*) mutabunt Fortitudinem, assment pennas sicut AQVILÆ *id est,* Imperij Romani vires militares per Aquilam significatas sibi subiectas habebunt, & pro Christo deinceps pugnare facient. Per *Alas* autem *Aquilinas* designari copias militares, siue, sæculare imperium, non nescit qui Scripturas nouit. *Isai. 8.* Adducet Dominus Regem Assyriorum, & erit extensio Alarum eius implens latitutinem terræ tuæ, ò Emmanuel. *id est,* Iudæam militibus suis capiet, & Imperio suo subijciet. *Ierem.49.* Ecce quasi Aquila adscendet & aduolabit (*Rex Assyriæ*) & expandet ALAS suas super Bosran. *id est, eam sub ditionem & imperium suum rediget.* Ergò Christus sponsus Romæ Dominus, Ecclesiæ suæ Romam velut ornamentum dono dedit. Ecclesia verò manus seu brachij sui, id est, Constantini opera hanc non à Constantino, sed à sponso sibi donatam vestem circumdedit Hoc ipsum verba illa eo ipso loco *Isai. 49* promittunt: *Reges erunt nutricij tui.* Nam Constantin⁹ cùm Romam reliquit, & eius vsum Ecclesiæ cessit, velut nutricius Fortitudinē gentium ei comedendam dedit: tametsi Ecclesia velut tam exquisiti cibi copiæ insueta non simul omnia comedere, hoc est, non repentè omnem Romæ potestatē exercere voluit, propterea quod adhuc nondū completa esset Romanorum obedientia, sed plurimi adhuc Gentiles in ea inuenirentur. Apud quos ne Crux Christi euacuaretur, & opinio diuinitatis fidei Christianæ minueretur, nō nisi multò post, cum om-

Romani sunt vestes Ecclesiæ.

Ecclesia induit Romam velut vestem:

Quam à Deo donatū tenet.

Ecclesia mutauit Romā & assumpsit pennas Aquilæ.

Constantinus Ecclesiam eo vestitu induit.

Ecclesia curnon statim sæcularē potestatē Romæ exercuerit.

Quando Ecclesia sæcularē iurisdictionē Romæ omni modo exercere caperit

nis scilicet Roma Christo nomē dedisset, omne Vrbis Imperiū Ecclesia assumpsit: id quod Card. Baronius anno Christi 726. contigisse notat, quando Pontifex Gregorius II. Basilium, à Leone Isaurico Imp. Romam cum imperio missum, necisq; ipsi Pontifici iussu Imperatoris intentatæ compertum, in Monasterium compegit, ex eoq; tempore curam & imperium Romæ aliarumque Italiæ ciuitatum, quas ad illum vsque diem Romæ Præfecti à Græcis Imperatoribus mitti soliti administrarant, ipse in se suscepit & ad successores suos Pontifices transmisit. Est autem animaduersione dignum, quod Michæas non tantum *Babylone* siue Romæ *à manu* siue sęculari potestate Gentilium *liberam fore dicit Ecclesiam*, sed etiam persecutores eius *vngulis æneis ab ea trituratum & comminutum*, & bona temporalia eorum Deo consecratum, siue Ecclesiæ subiectum iri prænunciat: cui consentanea est hæc *Ieremiæ* prophetia *Cap. 30.* Hœc dicit Dominus: Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor, & ædificabitur Ciuitas *siue Ecclesia* in Excelso suo (*id est, in Vrbe sua Roma. nam Roma Hebraicè* Exelsum *significat*) & glorificabo eos, & non attenuabuntur : & cœtus eius coram me permanebit, & visitabo aduersum omnes, qui tribulant eum. Omnes qui comedunt te, *ò Sion*, deuorabuntur, & vniuersi hostes tui in captiuitatē ducentur, & qui te vastant, vastabuntur, cunctosq; prędatores tuos dabo in prædam] Ac ne quis allegoricam siue spiritualē huius vaticinij interpretationē consomniaret, addit extremo illo capite: *In nouissimo dierū intelligetis ea*, siue vt Iere. 23. loquitur, *In nouissimis diebus intelligetis consilium eius.* quasi dicat, cùm iam re ipsa, quod hic prædico, completum videritis, tum demū rectè prophetiam hanc intelligetis. *In omnibus prophetijs*, ait Rex Iacobus *Pag.* 74. *certissima est regula, numquam eas satis intelligi posse, vsq; dum compleantur.* Itaq; non mediocris est stultitia, de vero sēsu verborū istorū dubitare, quē rei ipsius euidētia facit perspicuū. Cōstat enim Ecclesiam *in Excelso suo* siue Romæ fuisse ædificatam, ita vt Roma huius magnę ciuitatis per vniuersum Orbē pertingentis Arx sit, velut Hierosolymę Arx, *Sion siue ciuitas Dauid* quōdam fuit. Scribit enim ad ROMANAM Ecclesiam Paulus: *Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo*, & proclamatur quasi *de Excelso*, sicut futurum *Isaias cap. 42.* prædixerat : Laudabunt Dominum habitatores Petrę (*habitantes in Ecclesia super Petram fundata*) de vertice montium clamabunt : ponent Domino gloriam, & laudem eius in Insulis nunciabunt.] Constat etiam ciuitatem Romam fuisse illam, quæ priùs

Ecclesia Romæ ædificanda fuit

Et Romanos, suos persecutores, potestati suæ subijcere debuit

Prophetiæ de prosperitate Ecclesiæ Romanæ sub finem mundi demum rectè intelligi debebant.

Ecclesia tota est ciuitas, cuius Arx est Ecclesia Romana.

Euentus docet, Prophetias de

Ecclesiam

Ecclesiam (vt loquitur scriptura) tribulauerit, vastauerit, in captiuitatem duxerit, prędata fuerit & comederit, sed postea Ecclesiæ ipsa prædę & ac eadem deuorata fuerit. quis igitur iam, vtrum Ieremiæ prophetia rectè de ROMA, Ecclesiæ subiecta, intelligatur, dubitandi locus est relictus? Apud Zachariam quidē certè eandem prophetiam inuenio cap 2. Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam (*siue resurrectionem aut glorificationem meam, Deus Pater*) misit me ad Gentes, quæ spoliauerunt vos. Ecce ego leuo manum meum contra eos, & erunt prædę his, qui seruiebant sibi] *Similia prædicit Isaias* cap. 14. Prope est, vt veniat tempus eius (*Christi*) & dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob &c. Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum suum: & possidebit eos domus Israel in seruos & ancillas, & erunt capientes eos, qui se ceperant, & subijcient exactores suos.

Roma rectè à me declaratas.

Romani Ecclesię persecutores sub potestatem Ecclesia cedere debuerunt.

CAPVT LIII.

SED nihil attinet, multis alijs prophetijs afferendis immorari, cum vna sit, quæ nominatim ROMAM Ecclesię subiectum iri prædicit, *Isai. 26.* In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator (*Chald. & 70. Interpp.* Salus. *Subintellige,* est. *quasi dicat: Arx Sion ciuitatis nostræ fortissimæ, id est, Ecclesia, cuius Arx erit Romæ, saluti erit habitatoribus*) ponetur in ea munus & ante murale. (*vt ab hoste serui sint Christiani. Idem alijs verbis habet Psalmus 147.* Lauda Ierusalem Dominum, Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te: qui posuit fines tuos Pacem, & adipe frumenti satiat te: qui emittit *per Pastores & Doctores* eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius. qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit: mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius, quis sustinebit? Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit Spiritus eius, & fluent aquæ. *Id est, cum prius in cordibus hominum nihil nisi frigus, cæcitas & induratio fuisset, prædicatione Euangelij & missione Spiritus sancti, ac donorum eius diffusione incendit, emolliuit & illustrauit eos.* Qui (*nunc quidem ante Christi aduentum*) annunciat Verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Isral, *hoc est, tantum populo Iudaico.* Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. *Iam in Isaiæ cap. 26. sequitur*) Aperite portas *vos ô pastores, qui oues in ouile inducitis,* & ingrediatur gens iusta, custodiens

Romana Ecclesia arx munitissima.

veritatem *seu veram Religionem amplexa.* Vetus error abijt : seruabis pacem, *quam Ecclesiæ tuæ, ô Christe, relinquere te dixisti* : pacem, quia in te sperauimus. Quia incuruabit Dominus habitantes IN

Romani erant humiliandi sub Ecclesiæ potestate.

EXCELSO (*in Hebræo* : MAROM, *id est, Romæ, in Roma, ac velut Itali loquuntur,* A Roma. *Ac ne quis hoc nomen appellatiuum potiùs, quàm substantiuum proprium putaret, statim addidit* Ciuitatem sublimem humiliabit. Humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis gressus egenorum] *Chaldaicus paraphrastes reddidit* : Humiliabit habitatores Vrbis excelsæ & fortissimæ, *quia ROMA in Hebræo EXCELSVM, in Græco FORTITVDINEM notat. Hoc ipsum significant illa verba Isai. 60.* Aperientur portæ tuę iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te FORTITVDO Gentium (*vt Roma conuertatur*) & Re-

Ita vt adorarēt pedes Pontificis.

ges earum adducantur. Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabũt te Ciuitatem Domini, Sion sancti Israel.] Filij

Et Romā ipsam ei cederent ad constituendam ibi Religionis arcem.

eorum qui priùs Ecclesiam humiliauerant, sicut Successores Romanorum Imperatorum, illi CVRVI ad Ecclesiam veniunt, eam adorant, & Sion, siue Arcem Ciuitatis, siue Ecclesiæ, vocant, hoc est, Romam Christo & Ecclesiæ cedunt, vt ibi Arx Ecclesiæ constituatur. Hoc fuit, quod supra dixit, habitantes Romæ incuruatum, & Ciuitatem illam sublimem humiliatum iri, vt à pede pauperis Pontificis, & à gressu egenorum Cardinalium, calcetur, quibus humilita-

Cardinalibus nō rectè exprobrat Rex generis obscuritatē.

tem generis nequaquam exprobaret Rex, si Psalmo 112. qui de statu Ecclesiæ loquitur, ita fore prædictum meminisset: *Suscitat Deus à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui.* Cùm igitur res ipsa in oculis sit ac pateat, quid multum de titulo, quo ROMAM Papa tenet, altercari attinet? *Non est potestas, nisi à Deo,* siue tribuente siue permittente

Papa dominiū Romæ habet nō modo permissu, sed etiam dono Dei.

ROM. 13. Itaque potestatem vrbis ROMÆ Papa, Dei siue dono, siue permissu tenet. Si tantùm *permissu*, de iustitia tituli eius dubitari posset. Sed Deus ipse dubitationem omnem tollit, cùm se hoc modo domum suam glorificaturum promittit Isai. 60. *Locum pedum meorum, & domum maiestatis meæ glorificabo. Pro eo quod fuisti derelicta & odio habita, ponam te in SVPERBIAM sæculorum.* quibus verbis iustitiam id requirere significat. quemadmodum etiam *Isai. 61.* Sacerdotes Domini FORTITVDINEM Gentium (*siue Romam*) comedent, & in gloria earum superbient: Pro confusione sua duplici, in terra sua duplicia possidebunt:

bunt: quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.] quasi dicat, quia iustus sum, neque Romam violentè & iniustè ab Ecclesia mea occupari volo, propterea volo, vt priùs pesrecutiones Romę sustineat, eaq; re ius Romæ imperandi à me dono accipere mereatur. *Meum est aurum, meum est argentum,* mea est ROma: *ego implebo domum meam gloria. Viuo ego, quia* Vrbe ROMA *velut ornamento vestietur, & circumdabit eam sibi, quasi sponsa.* Hæreticos ac Iurisconsultos, quibus nodum in scirpo quærere & in re longè expeditissima tricari libet, vapulare vehementer ac plorare iubeo.

Quia iustitia requirebat, vt qui Ecclesiam persecuti fuerant, Ecclesiæ subijcerentur.

CAPVT LIV.

MICHÆÆ 5. Et stabit (*Dominator in Israel, Christus*) & pascet in fortitudine Domini (*in virga virtutis suæ, quā emittet Dominus ex Sion*) in sublimitate *seu gloria* nominis Dei sui: & conuertentur (*populi ad Christū*) quia nunc magnificabitur vsq; ad terminos terrę (*seu totius Orbis Imperium poßidebit*) Et erit iste Pax, *siue pacem dabit Ecclesiæ, cùm persecutiones Romanorum Imperatorum finē habuerint,* cùm venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris (*id est, cùm Romani, qui tunc populum Dei affligent & Monarchiam tenebunt, sicut nunc Assyrij, Christiani facti fuerint*) & suscitabimus super eum septem Pastores (*propter septem ordines Ecclesiasticos*) & octo primates homines (*nam Episcopatus octauus accedit*) Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius (*id est, Ecclesia super infideles etiam sæcularem potestatem obtinebit: gladio ipsius Assyrij, & lancea ipsius Nemrod vtrumque pascet.* Itaque Imperium Infidelium cessaturum Zacharias cap. 10. prænunciat: Humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Ægypti recedet.] *Et Isai. 31.* In die illa cùm abiecerit quisque Idola sua, cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij. *id est, Imperium Romanum gladio verbi diuini, non humanis armis superabitur & Ecclesiæ cedet.* Et iuuenes eius vectigales erunt (*Ecclesiæ*) & Fortitudo eius præ terrore transibit, & pauebunt fugientes Principes eius, dixit Dominus] *In Hebræo pro* Fortitudo *legitur* Petra, *quod Lutherus in suis Biblijs* Regem *interpretatur.* Intelligendum nempe est de REGE Fortitudinis siue ROMæ Constantino, qui *fugit,* siue cessit ROMA ac mare *transijt* Byzantium contendens, non humanorum armorum metu, sed quod Deum coleret ac paueret,

Christi regnum est vniuersale.

Assyrij siue Romani Ecclesiæ fuerunt subijciendi.

Pastores Ecclesiæ iurisdictionem sæcularem super Romanos accipere debuerunt.

Rex Romanorū Constantinus Roma cedere debuit.

Quia Deum pauebat, siue, quia Christianus factus erat.

pauerct, quemadmodum & *Isai.* 8. legimus: Timorẽ populi ne paueatis, neque timeatis: Dominum exercituum ipsum sanctificate. Ipse pauor vester, & erit vobis in sanctificationem] *Hæc apud Isaiam: sequitur in quinto Michææ:* Et liberabit (*Christus Ecclesiam*) ab Assur *siue à dominio Assyriorum siue Romanorum*, cum venerit in terram nostram & cùm calcauerit in finibus nostris. Et erunt reliquię Iacob. (*siue Christiani*) in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, & quasi stillę super herbam, quę non exspectat virum, & non pręstolatur filios hominum *vt ab ijs excolatur siue aquis irrigetur*] Hæc est potestas spiritualis siue directiua, nempe prædicatio verbi. Iam sequitur coactiua siue secularis: Et faciam in furore & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt, *siue, quæ obedire Euangelio nolunt. Per quem verò hanc vltionem factura sit Ecclesia, sic declarat:* Exaltabitur MANVS tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt.] *Non aliter quàm supra sæpiùs laudato Psalmo 149. docti sumus:* Exaltationes Dei *seu Directiua potestas* in gutture eorum, & gladij ancipites *seu Coactiua* in manibus eorum ad faciendam vindictam in Nationibus. *& Isaias cap. 11.* Volabunt *Christiani* in humeros Philistęorum per mare simul, prędabuntur filios Orientis: Idumęa & Moab pręceptum MANVS eorum (*scilicet, recipere cogetur*) & filij Ammon obedientes erunt] Igitur secularem gladium Ecclesia per Manum suam siue Magistratum secularem exercet, & eos, qui obedire nolunt, vlciscitur. Et erunt (*pergit Michæas*) reliquię Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi Leo in iumentis siluarum, & quasi catulus Leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit, & conculcauerit & ceperit, non est, qui eruat.] *Hoc ipsum Sophoniæ secundo prædictum inuenio:* Reliquię populi mei diripient eos, & residui gentis meę possidebunt illos (*id est, Ecclesia, infidelium fortunis & corporibus dominabitur, hoc est, sæcularem potestatem habebit*) Hoc eis eueniet pro superbia sua, quia blasphemauerunt & magnificati sunt super populum Domini: Horribilis Dominus super eos, & attenuabit (*70. Interpp. disperdet*) omnes Deos terræ (*omnem gentilem Magistratum tollet. nam Reges sunt Dij terræ, Psal.* 81.) & adorabunt eum viri *siue singuli* de loco suo, omnes Insulæ gentium. Sed & vos Aethiopes interfecti gladio meo eritis (*nisi scilicet Legem meam seu Christi fidem receperitis.*) Et extendet *Christus siue Ecclesia* MANVM suam super Aquilonem, & perdet Assur, *siue Monarchiam gentium.*

Ecclesia erat eximenda à iurisdictione Romanorum.

Ecclesiæ potestas spiritualis. Et sæcularis.

Exercenda per Manum Ecclesiæ, siue, sæcularem Magistratum.

Iustitia postulabat, vt Romani Ecclesiæ subijcerentur.

Manus Ecclesiæ extendenda super Aquilonem

2. Reg. 23. Hæc sunt verba Dauid nouissima (*siue vltima eius prophetia*) sicut lux Auroræ oriente sole manè absq; nubibus rutilat, & sicut

pluuijs germinat herba de terra (*ita etiam erit domus mea , seu regnum meum , hoc est , Ecclesia Christiana*) Nec tanta *siue non digna est* domus mea apud Deum, vt pactū æternum iniret mecū firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas (*scilicet firma est*) nec est quicquam ex ea (*domo mea siue Ecclesia*) quod non germinet. Præuaricatores autem quasi Spinę euellentur VNIVERSI, quæ non tolluntur *seu tanguntur* manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque succensę comburentur ad nihilum] Hic similiter discimus, Regnum Dauidi promissum esse æternum, vniuersale & sęculare non minùs, quàm spirituale. Pluuiæ enim quæ germinare faciunt herbam, sunt dona Spiritus sancti & prædicatio verbi. *Isai. 44.* Effundam aquas super sitientem: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam: & germinabūt inter herbas &c.] *Isai. 30.* Dabitur pluuia semini tuo, vbicumque seminaueris in terra] *Psal. 147.* Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea: flabit Spitirus eius, & fluent aquæ.] *Potestatem sæcularem* arma, ferrum nempe & ignis significant, quibus Ecclesia in Pręuaricatores vniuersos, siue in omnes inobedientes vtitur, non aliter quàm modò in Michęæ loco habuimus, fore vt Ecclesia *pascat Assur in gladio & lanceis.*

Ecclesiæ potestas spiritualis.

Et sæcularis erga inobedientes exercenda.

Psal. 81. Deus stetit in Synogoga *siue cœtu* Deorum, in medio autem Deos dijudicat (*id est, Christus homo factus super ipsos Reges & Principes iudicium exercebit, eosque suam legem recipere & secundum eam iudicare coget, & per Legatos suos ita eos increpabit*) Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno & pupillo, & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris *seu potentioris* liberate. *Illi autem in peccatis obdurati obedire Euangelio* Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. propterea mouebuntur omnia fundamenta terræ, *id est, propter Tyrannidem & falsam religionem omnes reges (quos Fundamenta suorum regnorum vocari Lutherum supra* cap. XXIV. *confitentem audiuimus) conterentur virga ferea & ad nihilum redigentur.* Egò dixi, Dij estis & filij excelsi omnes *siue Angeli*: Vos autem *quoniam legem meam recipere, nec disciplinam vultis apprehendere*, sicut homines *plebeij* moriemini, & sicut vnus ex principibus *ex alto nempe gradu præcipites* cadetis. Surge Deus, (*tu Christe, qui Deus & homo es, exorere*) iudica terram (*quia scilicet isti gentiles Reges tantùm dominantur & potestatem exercent*) quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.] Hic rursum docemur, regnum

Christus est iudex ipsorū Regum eosque si me[n]tiantur, regno spoliat.

Regum extra Ecclesiam descriptio.

I. Sunt Tyranni & iniusti.

II. Amplectuntur falsam religionem.

Dauidi promissum esse Vniuersale super omnes gentes, & simul sæculare, quod Reges omnes ac regna terræ comminuit ac de medio tollit, idque propterea cùm quia pauperes terræ iustè iudicari & ab iniquitate potentiorum liberari postulant, velut supra quoque ex Psalmo 71. didicimus: tum quia Reges nesciunt neque intelligunt,& in tenebris ambulant,siue,in falsa Religione versantur. Itaque monentur *Psalm. 2.* vt intelligant & erudiantur ac disciplinam apprehendant:alioquin fore vt eis irascatur Dominus, & ipsi ab eo puniti pereant. *Psalm. 109.* Dominus confringet in die irę suę Reges, iudicabit in nationibus.

Epilogus seu conclusio prima Parabola.

Cùm ergò iam quauis necessaria Mathematicorum argumentatione efficaciùs conclusisse videar, Ecclesiam siue Christi corpus vtriusque gladij, sæcularis & spiritualis potestatem habere, vosque Reges ac Principes in eo corpore non capitis, sed Brachij seu Manus rationem habere, & officium Manus non propter vos, sed ad corpus totum nutriendum, vestiendum ac tuendum sortitos esse: illuc tandem, vnde mea deflexit oratio, reuertor, vt dementiæ ac vesaniæ diuinitùs immissæ Consilium Regis Angliæ condemnem.

Quàm absurdũ ac demens sit Angli Regis consilium.

1. Cùm enim vos ipsos scripturas legere & intelligere, nec à Pontifice & Episcopis verum earum sensum discere iubet, eadem opera
2. Manus oculatas esse, nec sui capitis oculis vti iubet. Cùm deinde vobis suadet, vt nequaquam Pontifici subesse, neque inferiores eo vlla ex parte videri velitis, simul etiam Manus ac Brachia docet capiti non
3. subesse, nec eius influxum aut directionem recipere. Cùm postremò auctor vobis est spoliandi Cleri, & omnia, quæ Romana Ecclesia à maioribus vestris accepit bona, diripere ac prædari docet, perinde facit, ac si Manus iuberet cibum ori non ingerere, & vniuersum corpus vestibus spoliatum penitùsq; nudum destituere. Itaque mirari satis nequeo, cùm huiusmodi consilium dare vobis Rex Anglus constitutum haberet, cur Parabola corporis humani Reges ac Principes officij admonere voluerit, qua quidem nihil alienius, quodque magis proposito eius aduersaretur, afferri potuisse apparet. Sed agnosco veritatem diuini illius oraculi: *Quomodo si nascatur spina in manu temulenti* (qua quidem nemo magis, quàm temulentus ipse pungitur) *sic Parabola in ore stultorum*, Prou. 26.

Rex Anglus contra se ipsum hac Parabola vsus est.

PARA-

PARABOLA SE-CVNDA.

ECCLESIA est similis Ciuitati in altissimo monte sitæ, quæ propter celsitudinem & splendorem solis perpetuum semper & ab omnibns videri potest. Huius Ciuitatis, seu Reipubl. siue Regni *Magistratus* ac *Legislatores* sunt Papa Romanus & Episcopi: quorum ille velut *Prorex* Romæ, tanquam in *Arce* Ciuitatis habitat, in omnibus, quæ ad ipsum perferuntur causis sine prouocatione ius reddens: hi verò tanquam *Duces* & *Principes* suæ quisque Ecclesiæ ceu Regioni certæ præsunt, & de rebus summam Rempub. attingentibus Proregis accitu in senatum côueniunt, quod *Concilium* appellatur, cuius Decreto non aliter subditi tenentur, quam si Prorex id sententia sua ratum esse iusserit. Ipse autem Prorex, siue Papa, etiam solus, sine Concilio, quæcumque ad Reipub. statum pertinent, decernit, eique non secus, ac Regi ipsi Christo, omnes dicto audientes esse oportet. *Subditorum* alij officium faciunt, ijque vel *Ciues* tantum, vel insuper *Propugnatores* ac *Defensores* siue *Milites*, quorum alij sunt grauis armaturæ, & pugnant vel *gladio Spiritus*, vt Sacerdotes, Theologi, Religiosi, vel *gladio materiali*, vt Reges, Principes, omninoque sæculares Magistratus: alij sunt *Velites* siue *leuis armaturæ*, tanquam eruditiores Laici aduersus Hereticos rem gerentes. Alij porrò subditorum, officij minimè memores, seditiosis ciuibus ac turbarum auctoribus adherescunt, & aduersus Magistratus rebellant, vt *Schismatici & Hæretici*. Iam *Hostes* sunt vel interni ac domestici, vt *Caro*, siue naturalis cuiusque ad vitia & affectus procliuitas: vel Externi, vt *Satan* siue suasiones ac suggestiones Diaboli, & *Mundus*, hoc est, ansa & occasio aduersus Fidem, spem & charitatem peccandi, hominum siue vi aperta, siue fraudibus ac blanditijs oblata. Quorum omnium veritatem sacrarum literarum testimonijs iam demonstrabo.

Ecclesia Regnũ, siue Rèspub. siue Ciuitas Dei.

Zachar. 8. Hæc dicit Dominus: Reuersus sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem: & vocabitur Ierusalem, Ciuitas Veritatis, & Mons Domini, *super quem ædificata est Ecclesia*, mons sanctificatus. Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis & de terra Occasus solis. Et adducam eos, & habitabũt in medio Ierusalem, & erunt mihi in populũ, & ego ero eis in Deum in veritate & in iustitia] Ecclesia igitur est Ciuitas veritatis in mõte sanctificato, spiri-

Ecclesia est ciuitas Veritatis in monte sanctificato.

In qua Dei populus habitat, ac Deum in veritate colit.

tualis seu mystica Ierusalem, in qua totus Dei populus habitat, Deumq; in veritate & iustitia colit. *Sion*, siue, *Arx Dauid* huius Ierusalem, est Ecclesia ROMANA supra Petrum Apostolorum Principem præcipuè fundata, in qua mysticus Dauid, siue REX, hoc est Pontifex habitat, velut partim priore Parabola docui, partim infra copiosiùs docebo.

Ecclesia est habitatio opulēta, ἀυτάρκως.

Ecclesia Electorum est visibilis.

Pontifex & Episcopi sunt Reges, & Legislatores loco Dei.

Isai. 33. Respice Sion ciuitatem solennitatis nostrę: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam: Solummodo ibi magnificus est Dominus noster. Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas. Dominus enim iudex noster, Dominus Legifer noster, DOMINUS REX noster: ipse saluabit nos] Itaque videri oculis potest Ecclesia illa, quæ donis Spiritus sancti opulenta est, & cuius habitatores, iniquitate ab eis ablata, saluantur, in qua sola DEUS est magnificus, seu rectè colitur: quam *Ecclesiam Electorum* Lutherani dicunt, & minimè Adspectabilem, sed Inuisibilem esse contendunt. Quod autem DEUS huius ciuitatis *Rex, Legifer & Iudex* dicitur, nequaquam vetat, quin etiam Pontifex & Episcopi rectè REGES, PRINCIPES, LEGISLATORES & Iudices dicantur, velut priore Parabola multis scripturę locis probaui.

Quia non ipsi loquuntur, sed Deus in ipsis.

Non enim vos estis (ait Christus Apostolis Matth. 10.) *qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, & annunciat ea, quæ de meo accipit* (Iohan. 16.) *Itaque qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit* Luc. 10. Propter hunc Spiritum sibi datum per impositionem manuum presbyterij (*Act. 13.*) & in se habitantem, nihil dubitat dicere Paulus 2. Cor. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et Apostoli in Concilio congregati hoc Spiritu freti, Legislatoris partes suscipere, & noua lege lata Christianos Gentiles obligare audent Act 15.

Apostoli loco Dei noua lege onerarūt Christianos.

Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis ONERIS, quàm hæc NECESSARIA: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis.] quasi dicant: *sed ab ijs non abstinentes, peccabitis.* Dixerat quidem Christus in cruce, *Consummatum est*, eoq; verbo omnes Christianos à iugo legis Mosaicæ liberarat. Nihilominus ipsius Christi Spiritus, in Apostolis loquens, iam aliqua parte legis Mosaicæ Christianos onerat, non tantùm, vt Iudæi æmulatores & mirifici amatores Legis minùs à religione Christiana abhorrerent (nam si hęc modò fuisset causa, facile fuisset eidem Spiritui corda eorum emollire, & Zelum, non secundum scientiam, restinguere aquis gratiæ suæ, sicut de ipso Psalm. 147. canit: *Emittet verbum suum & liquefaciet ea flabit Spiritus eius, & fluent aquæ*)

Non tantùm ratione scandali.

Sed etiam vt potestate vteretur

aquæ) sed etiam vt Christiani aliqua lege Ecclesiastica ad obedientiam Pastoribus exhibendam, cùm propter bonum ordinem, tum propter meriti occasionem obligarentur, sicut etiam vnius arboris abstinentiam Adamo Deus imperauit, partim vt is hunc velut obedientiæ canonem sibi persolueret, Deumq; suum dominum recognosceret, partim vt merendi occasionem haberet, & ita propter suam quoque obedientiam aliquando in cælum transferretur. Igitur tanta fuit Christianis primæ Ecclesiæ, legis huius obseruandæ antiquitas, vt quamuis nemine, qui offendi posset, præsente, vel dirissimis cruciatibus emori, quàm suffocatorum animalium carnes aut sanguine distentos botulos seu farcimina manducare mallent, velut antiquissimus scriptor Tertullianus auctor est.

Obediētia primæ Ecclesiæ in obseruanda Apostolorum lege

Sed etiam Paulus eiusdem spiritus in sese habitantis fiducia Legislatorem prestitit. *1. Cor. 7.* Iis qui matrimonio iuncti sunt, precipio non ego, sed Dominus. Ceteris ego dico *seu præcipio*, non Dominus. De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Vidua cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si innupta permanserit secundum meum consilium: puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam] *1. Cor. 11.* Laudo vos, quod sicut tradidi vobis, præcepta MEA (*non Domini*) tenetis.] Tale præceptum ibi ponit, vt viri comam ne nutriant, nec operto capitè orent: mulieres contrà ne tondeantur, & orantes caput velatum habeant. *1. Thess. 4.* Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis.]

Paulus Legislatorem agit.

Quia spiritum Dei habet.

Nimirum Apostoli spiritum iudicij acceperant, sicut *Isai. 28.* promissum eis fuerat: *Spiritus iudicij erit sedenti super iudicium.* Et quia Christus simul cum spiritu Dei Iudex & Legislator factus fuerat (Isai. 42. *Ecce seruus meus, in quo sibi complacuit anima mea: dedi Spiritum meum super eum: ponet in terra iudicium, & Legem eius Insulæ expectabunt*) Oportet vt Apostoli eandem potestatem similiter acceperint. Sicut enim me misit Pater, ita ego mitto vos: accipite Spiritum sanctũ (*Ioh. 20.*) Ille spiritus Veritatis, deducet vos in omnem veritatem non loquetur à semetipso, sed de meo accipiet & anunciabit vobis (*Ioh. 16.*) Ille in vobis erit, & vobiscum manebit in æternum *Ioh. 14.*] Igitur Spiritus ille Christi Iudices & Legislatores eos, quibus datur, efficit vt pro pro Lege Christi ipsius, non pro Traditione aut mandato hominis haberi, & necessariò obseruari debeat, quicquid Ecclesia siue Pastores vel Episcopi, spiritu illo donati præcipiunt. Nec enim Apostolis tantùm promissus aut donatus fuit, sed

Spiritus Dei tribuit potestatem iudicandi & leges ferendi.

Ille autē spiritus semper manet in Episcopis.

& *ſemini* ſiue filijs aut ſucceſſioribus *eorum in æternum*. Iſai. 59. Cùm venerit Sion *ſiue Eccleſiæ* redemptor eius, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus (*id eſt, hoc ego velut fœdere facto & conſignatis tabulis, præſtiturum me ipſis promitto, quod iam ſequitur*) Spiritus meus, qui eſt in te (*Chriſte*) & verba mea, quæ poſui in ore tuo, nõ recedent ab ore tuo, nec ab ore ſeminis tui (*Apoſtolorũ*) nec ab ore ſeminis ſeminis tui (*Epiſcoporũ*) amodo dicit Domin⁹ & vſq; in ſempiternũ] Igitur hunc eũdẽ ſpiritũ ſimul cum verbo non modò Paulus Apoſtolus, ſed etiam *ſemen* ſiue filius *eius*, Timotheus, Epheſi Epiſcopus, habebat. *2. Tim. 1. & 1. Tim. 4.* Noli negligere gratiam (*Spiritus ſancti.* nam diuiſiones gratiarum ſunt, idẽ autem Spiritus, diuidens ſingulis pro ut vult, *1. Cor. 12.*) quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij. Bonum depoſitum cuſtodi per ſpiritum ſanctum qui habitat in NOBIS. Formam habe ſanorum verborum, quæ audiſti à me.] Nempe Spiritus ſanctus eſt velut *Theca*, verbum, ab Apoſtolis apud Epiſcopos depoſitum, cuſtodiens.

Quæ Spiritus ſancti dona, quando & quomodo Paulus acceperit.

Et quia ſicut ipſe Paulus *Act. 13.* gratiam Spiritus ſancti Epiſcopalem (nam gratiam Apoſtolatus prophetiæ ac miraculorum, iam ante à Chriſto immediatè (*Galat. 1.*) ſed gratiam fidei, ſpei, & charitatis in baptiſmo, & gratiam fortitudinis in manuũ impoſitione ſiue confirmationis Sacramẽto per Ananiam acceperat *Act. 9.*) ſicut ergo Paul⁹ gratiam Epiſcopalẽ, ſiue poteſtatẽ manus imponendi & Sacramentũ confirmationis (*Act. 8, 17. & 19.*) itẽq; Sacramentũ ordinis adminiſtrandi, aut Presbyteros atq; Epiſcopos conſtituendi, & in vtroq; Sacramento Spiritũ ſanctũ communicandi per impoſitionẽ manuũ presbyterij (*Act. 13.*) acceperat: eandẽ Timotheo gratiam manuũ impoſitione impertitus eſt:

Quæ dona cum Epiſcopis communicauerit.

propterea de illo *1. Cor. 16.* ſcribit: Si venerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos. Opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Ne quis ergò illũ ſpernat] *Quaſi dicat*: Cùm ſit Epiſcopali dignitate affectus, perinde ac ego (nam *Epiſcopatus* erat *opus illud bonũ*, quod Timotheus *operarius* Dei *inconfuſibilis* operabatur, *1. Tim. 3. et 2. Tim. 2.*) Spiritũ quoq; ſanctũ in te habitantẽ habet, ac ꝓpterea qui ipſũ vel audit vel ſpernit, audit vel ſpernit Chriſtũ. Quia igitur idẽ Spiritus, qui Apoſtolos Iudices, Legiſlatores, Principesq; fecit, etiam in Apoſtolorũ ſemine ſiue Epiſcopis, in æternũ manet, in eiſq; habitat & loquitur, nemo cõtradicere poteſt,

Epiſcopi ſunt Principes, Legiſlatores & Iudices Eccleſiæ.

quin etiam Epiſcopi, Eccleſiæ Iudices Legiſlatores, Principesq; habeantur, de quib⁹ ſupra *Cap 28.* copioſè diſſerui, cũ hæc Iſaiæ verba declaraui, Iſaiæ. 32. *Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt.*

Non

Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt. Princeps ea, quæ digna ſunt Principe cogitabit, & ipſe ſuper Duces ſtabit.

Quibus verbis etiam exſuperantia ſiue eminentia Summi Pōtificis quam habet præ ceteris Epiſcopis ſatis apertè continetur. Epiſcopi enim velut Principes ac Duces in iudicio quidem illi præſunt, & in iudicando ac declaranda Dei Lege non caligant, dum tamen ſtent ſub Pōtifice eiusq; ſētētiæ velus Regis ac ſuprēi Principis ſe decretūq; ſuū ſubijciāt: id ꝙ ita fieri oportere ſupra *Cap. 29.* ex Iſaia cōſtitit. Quāuis autē Νομοθεσίαν, ſiue ius leges nouas iubendi ac veteres abrogandi Epiſcopis in concilio congregatis, atq; adeò Pontifici vel absq; concilio, tribuamus, non continuo Legem Dei, ſiue ſacram ſcripturam, quod Hæretici calumniantur, velut imperfectam mancam ac mutilam ignominia afficimus. Sapienter enim Plato in IV. de Repub. monet, eos, qui in rebus forenſibus ac iudicijs deſcribendis & κατα μέρος ſubtiliterq; explicandis multum occupentur, deſipere, & tamquam Hydræ capita amputare velle. Cùm enim ſumma ſit factorum & rerùm humanarum varietas, vel potiùs ἀπειρία ſiue infinitas, neceſſe eſt, vt multa legislatorem prætereant ac fallant, neq; omnia prouideri, multò autem minus ſcripto comprehendi poſſint. Satis ergò eſt leges ac iura καθόλυ καὶ γενικῶς, hoc eſt, Quinctiliano interprete, *per vniuerſum & per ſingula genera* ſiue generaliter conſcribi, eaq; ſanciri, quæ ἐπι τὸ πλεῖστον ſeu plerumq; accidunt: res autem ſingulas, quæq; rariùs eueniunt, prætermitti, ac Iudicum & Magiſtratuum fidei prudentiæq; integra relinqui, vt in rebus ſcilicet ac iudicijs priuatis Iudex Legis rigorem Aequitate relaxet, Magiſtratus autem in ijs, quæ reip. ſtatum atringunt, Legis τὸ ἔλλειμμα ſeu Defectum pſephiſmate ſiue Edicto, Decreto aut noua rogatione ſarciat ſuppleatq;. Et quamuis plus omninò Legibus, quam hominibus in repub. committendum eſſe rectè Ariſtoteles moneat, propterea quod Lex ſit perpetuo ſui ſimilis, neq; ira, odiò, amore, ſpe, metu alijsq; perturbationibꝰ deprauetur, quibꝰ Magiſtratꝰ, ac iudices obnoxij eſſe poſſūt, vt gratiæ, odio, beneficio locū relinquant: idē tamē ſimul docet, eam nō Legis aut Legislatoris culpā eſſe, quod nō niſi de vniuerſo genere deque ijs quæ ſæpius accidunt, precipiat, ſed rerum agendarum naturam ita ferre, ac ſatis officio functum eſſe Legislatorem, ſi Lex ipſa Magiſtratum aut Iudicem erudiat, vt nimirum rationibus ac generalibus præceptis Legis cum cura conſideratis, eorumq; comparatione inſtituta, quid de rebus ſingulis, nouisq; negotijs decernendum ſit, perſpiciat: Tum enim perinde eſſe, ac ſi Legislator ipſe in re præſenti adeſſet, ſu-

amq;

Leges humanæ non ſunt culpādæ, etiam ſi non omnia definiāt:

Et generaliter, ac de ijs modò, quæ plerūq; accidunt, ſtatuant. Iudex æquo & bono Legem corrigit.

Magiſtratꝰ pſephiſmate eandē ſupplet.

Lex ipſa Iudicē & Magiſtratum erudit.

amq; Legem eodem modo siue corrigendam, siue Supplendam, siue intelligendam esse diceret, velut V. *Ethic.* X. & III. *Polit.* XI. & XII. videre est. Quanto magis igitur omni vitio & culpa Lex Dei, siue Sacra scriptura, vacat, cuius interpretandæ, supplendæ, mittigandæ, prolatandæ & augendæ prouinciam ipse Legislator, Spiritus sanctus, exercet? Non enim Papa est, qui hoc aut illud præcipit; non Episcopi in vnũ congregati, sunt, qui hoc aliudue onus subditis imponunt, sed spiritus Dei, qui loquitur in ipsis, quem Deus simul cum verbo suo non tantùm in ore Christi, sed etiam in ore seminis eius, Apostolorum, & seminis seminis eius, siue Episcoporum ita positurum se promisit, vt inde in æternum non recederet, *Isai.* 59. Itaq; sicut Petrus Ananiam sibi mentientem, *Spiritui sancto, non sibi mentitum esse* dixit *Act.* 5. propterea quod sibi velut omnium Christi ouium Pastori (Ioh. 21.) & *fideli prudentiq; Dispensatori, quem Constituerat Dominus supra familiam suam* (Luc. 12.) Spiritum sanctum Deus dedisset: similiter Papa sibi resistentes ipsi Spiritui Sancto restinere rectè dicit. Et qnemadmodum Apostoli ac seniores in vnum congregati suum Decretum ipsius Spiritus sancti Decretum esse verè affirmant (*Act.* 15.) propterea quod se Christus cum ipsis in nomine suo congregatis *ad finem vsq; mundi fore promiserat:* (*Matth.* 18. & 28.) eodem modo hodie quoq; Episcopi, *quos Spiritus sanctus posuit REGERE Ecclesiam Dei* (Act. 20.) quod sibi præcipere visum fuerit, ipsi Spiritui sancto visum esse iure credi postulant, cum idem opus operentur, quod Apostoli ac seniores, ac propterea sine peccato & iniuria ipsius Spiritus sancti sperni nequeant (*1. Cor.* 16.) Quemadmodum deniq; Paulus Alexandrum, quod *valdè verbis suis restitisset* (2. Tim. 4.) velut *Blasphemum* & ipsius spiritus sancti in in Paulo loquentis contemptorem *Satanæ tradidit* (1. Tim. 1. & 1. Thes. 4, 8.) quo exemplo *Numer.* 16. de Core, Dathan & Abiron scriptum legitur vers. 30. quòd *blasphemauerint Dominum,* quippe qui aduersus Aaronem murmurassent, eiq; subesse recusassent: *Omnis multitudo sanctorum est* (dixerant) *cur igitur vos Sacerdotes eleuamini super populum Domini?* id est: Nos omnes à Deo sanctificati, & Sacerdotes sumus: iniquum ergò est, vt vos soli Sacerdotio fungamini. Quibus Moses: *Icci rcone* (inquit) *vos Leuitas Deus ab omni populo separauit & iunxit sibi in ministerium suum, vt vobis etiam Sacerdotium vindicetis, & omnis globus vester stet contra Dominum? quis est enim Aaron, vt murmuretis contra eum?* quasi dicat: Deus Aaronem elegit & sanctificauit in Sacerdotem: quare Deus ipse est, cui resistitis,

Multò minus Lex Dei vitiosa est, etiamsi non omnia definiat

Cum Legislator ipse semper præsens sit eamque declaret, corrigat, suppleat.

Sacerdotibus siue Episcopis resistẽtes blasphemant Deum. Core & participes eius se quoq; Sacerdotes esse iactabãt, adeoque Aaroni resistebant.

non

non Aaron, adeoq; Deum blasphematis. Similiter qui hodie Pontifici resistũt atq; Episcopis, quod omnes Christianos sanctos & Sacerdotes esse contendant, (id quod facit Lutherus *Tom. 6. Ger. witt. ad Nobilitatē Germaniæ fol. 545.* Quicquid, *inquit*, ex Baptismo emersit, potest gloriari, quod iam sit consecrat⁹ Sacerdos, Episcop⁹ & Pontifex. *Et Tom. 6. Ger. Ien. de Missa angulari fol. 95. §. 4.* Nos Lutherani, non ordinati, sed nati Sacerdotes esse ac vocari nostrumq; Sacerdotium hereditario iure tamquam à parentibus ad nos transmissum obtinere volumus. *Tom. 2. Lat. witt. de Captiuitate Babyl. fol. 77. vel 80. b. §. 5.* Neq; Papa, neq; Episcopus, neq; vllus hominum habet ius vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu: quicquid aliter fit, tyrannico Spiritu fit.) eos Deum ipsum in ore Pontificis & Episcoporum loquentem contemnere ac blasphemare, Satanæq; potestati permissos esse fateri oportet.

Idem facit Lutherus & participes eius.

Sũt igitur blasphemi meritoq; Satanæ traditi.

Psal. 47. Magnus Dominus & laudabilis nimis in Ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, Ciuitas Regis magni. Sicut audiuimus (*vel à prophetis prædictum vel ab alijs nunciatum*) Sic vidimus in Ciuitate Domini, in Ciuitate Dei nostri. Deus fundauit eam in æternum (*id est, super petra tam firma ædificauit, vt in æternum sit duratura*) Ecce Reges terrę congregati sunt, cõuenerunt in vnum (*vt ædificationem huius Ciuitatis impedirent, sed frustrà*) Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos: ibi dolores (*eis exorti sunt*) vt parturientis] Ergò Reges gentium, qui oppugnare Ecclesiam statuerant, aliquid diuinum & admirandum in ea viderunt, quod eos non modo oppugnationis consilium abijcere, sed vltrò etiam velle ciues & habitatores hui⁹ Ciuitatis fieri coëgit. nam parturientes tandem pariunt Spiritum salutis, vt scilicet saluari velint, velut *Isai. 26.* legimus: Concepimus & quasi parturiuimus, & perperimus spiritum salutis tuæ, quam fecimus in terra (*cum alios per prædicationem verbi tui eodem Spiritu Salutaris timoris impleuimus*) ideò non ceciderunt *sed fide steterunt*, habitatores terræ.] Talem Spiritum Salutis pepererunt illi *Act. 2.* qui auditis Petri verbis *compuncti sunt corde*, & non ceciderunt. Dices: quid ergò tam Admirandum in Ecclesia Reges illi viderunt, vt eam diuinum opus esse crederent, & ad eam conuerti vellent? Respondeo, summam montis huius, cui ciuitas est imposita, celsitudinem, & ingentem, quo perpetuo Ciuitas illustratur, lucis splendorem, velut iam apparebit.

Ethnici aliquid diuinũ in Ecclesia vident, quod admirantur.

Quid moueat Ethnicos, vt Christiani velint fieri.

ISAI.2. Erit in nouissimis diebus præparatus Mons domus Domini (*in quo ædificabitur domus Domini, siue Ecclesia*) in vertice montium, & eleuabitur super (*omnes*) colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & adscendamus ad montẽ Domini, & ad domũ Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbũ Domini de Ierusalẽ. Et iudicabit (*Christus*) gentes, & arguet populos multos &c.] Igitur altitudo hui⁹ mõtis, stupore gentes defigit, eosq; spiritũ salutis parere facit, vt & ipsi ad mõtẽ hunc accedere, & ciues hui⁹ ciuitatis, siue habitatores hui⁹ dom⁹, hoc est, Christiani fieri, & à Christo iudicari desiderent. Animaduersione dignũ est, quod aliquã Ecclesia NOTAM habeat, ex qua vel Gẽtes, quæ nõdũ sciunt quicquam de verbo Dei, neq; de doctrina Ecclesiæ vtrũ ea sacræ scripturæ sit consentanea, existimare possunt, nihilominus eam verè domũ Dei, siue veram Ecclesiam esse colligãt. Perspicuè enim hic dicitur, Gẽtes ac populos nõdũ scire vias & semitas, siue legẽ Christi aut verbũ Dei, sed ideò ad Ecclesiam sese recipere, vt ibi demũ doceantur vias & semitas Dei, siue, quid credendũ & faciendũ sit: additurq; hæc ratio, quia *Legem Christi* siue Dei verbum rectamq; eius interpretationẽ, *ex Sion* siue ex Ecclesia *exire* oporteat, quod etiam *Psal. 109.* docet: Virgam virtutis suæ emittet Domin⁹ ex Sion, dominare in medio inimicorũ tuorũ.] Itaq; magnoperè nugantur hui⁹ ætatis Hæretici, qui vnam Ecclesiæ Notam faciunt, verã doctrinam seu veram scripturæ interprætationẽ, & legitimam Sacramentorũ administrationẽ: quasi vero Gẽtiles perinde ac ipsi hoc modo ratiocinentur: *Hic verbum Dei rectè declaratur & Sacramẽta rectè administrantur. Igitur hic vera est Ecclesia.* Quod contra sic nos spirit⁹ sanct⁹ cogere siue argumentari docet: *Hic vera est Ecclesia. Ergò hic verè docetur & rectè Sacramẽta dispensantur.* Quomodo enim Gẽtes & populi iudicabũt, quæ inter tot Religiones verè doceat, seu scripturã interpretetur, cùm ideò velint Christiani fieri, quod nondum quicquam de scriptura sciant, multò minùs intelligant, adeoq; nec de varijs eius interpretationibus iudicium facere possint, sed ab Ecclesia demum, quid scriptura, seu Verbum Dei & Lex Christi pręcipiat addiscere velint? Igitur vera minimeq; fallax Ecclesiæ Nota est, *altitudo sanctificati huius Montis,* cui Ecclesia ipsa est imposita. Nam Hęreticorum conuenticula sunt *Colles* siue *Montes Humiliores.* His longè altior, & velut in vertice montium omnium sita est vera Christi Ecclesia. Itaq; Gentes, *quæ longè sunt* (vt ait Scriptura Act. 2. Vobis *Iudæis* facta est promissio, & omnibus, qui longè sunt, *siue Gentilibus,* quoscumq; aduocauerit Dominus

Nota Ecclesia, ex qua Gentiles eam agnoscant

Quodnam sit Verbum Dei, ab Ecclesia disci debet.

Hæretici quam Ecclesiæ Notam faciant.

Vera Ecclesiæ Nota.

Gentiles longè sunt ab Ecclesia remoti.

nus. *Ephes.* 2. Vos *Gentiles*, qui aliquando eratis longè, facti estis propè; & iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei. Itaq; *Ierem.* 31. dicitur *eis Dominus longè apparuisse*, siue ex longinquo visus esse) Gentes ergò, quæ longè sunt, humiliores illos montes non vident, sed solum Montem illum eleuatum super colles, & Ciuitatem Dei in vertice montium. Nam quæcumq; *Ciuitas supra montem posita est, non potest abscondi* siue inuisibilis esse, ait Christus *Matth.* 5. si præsertim perpetuo solis lumine collustretur. quod in Ecclesia fieri, iam docebo. Esse autem colles siue Montes humiliores falsorum Christianorum conuenticula, *Ierem.* 50. docemur: Grex perditus factus est populus meus (*illi scilicet, qui Hæresin seu falsam doctrinam sectantur*) Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntq; eos vagari in montibus: de Monte (*illo altissimo, hoc est, de Ecclesia*) in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui omnes, qui inuenerunt, comederunt eos] Id est, postquam semel ex Ecclesia exiuerunt, & Hæretici facti sunt, modò huic, modò illi Hæresiarchæ prędæ fuerunt: modo Puritani, modò Lutherani, modò Anglocaluinistæ euaserunt. Quid autē in hac tanta sectarum diuersitate facturi sint illi, qui ex Gentilibus Christiani fieri desiderant, hoc modo ibidem docemur: In diebus illis & in tempore illo, venient filij Israel, ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent. In Sion (*ad Ecclesiam*) interrogabunt viam, huc facies eorum (*id est, ad montem Sion altissimum oculos conuertent & ad eum iter dirigent*) Venient & apponentur ad Dominum fædere sempiterno, quod nulla obliuione delebitur]

Et tamen Ecclesiam Christi vident.

Sed non item Hæreticorū conuenticula.

CAPVT LVII.

CAusa alia, cur ad hunc altissimū montē, nō ad colles siue, cur ad Catholicam Ecclesiam, nō ad Hæreticorum conuenticula eant illi, qui Christiani volunt fieri, hæc in scripturis redditur, quod hic Mons cùm aliquanto propius Gētiles accesserunt, deprehendatur ab ijs immobilis & fructuum cuiusquemodi feracissim⁹ ac pastioni maximè idone⁹: colles vero, instabiles & infecundi, hoc est, quia Catholica Ecclesia semper durat, & verbum ac sacramēta dispēsat: Hæreticorū vero cōuenticula nascuntur & intereūt, nec perpetuū suæ religionis saltē in aliquo vno Orbis loco habent exercitiū. *Isai.* 54. sicut in dieb⁹ Noe iuraui, ne inducerem aquas vltra supra terram: sic iuraui, vt non irascar tibi (*Ecclesia*) & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles cōtremiscent: misericordia autē mea nō recedit à te, & fædus pacis meæ non mouebitur] *Hoc aliter Isai.* 41. *promissum legimus*:

Alia Nota ex qua Gētiles Catholicam Ecclesiam ab Hæresibus inter noscere queunt.

Ecclesia semper durat.

Ne timeas Iſraël ſerue meus, ſemē Abraham, amici mei: Ecce confundentur & erubeſcēt omnes, qui pugnant aduerſum te: Erunt nõ quaſi ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos (*Hæreticos*) erũtq; quaſi nõ ſint.] Hos Eccleſiæ rebelles mox ibidē colles vocat: Ego poſui te quaſi plauſtrũ triturans nouũ, habens roſtra ſerrantia: triturabis Mõtes & comminues: & colles quaſi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet & turbo diſperget eos: & tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis] Cuiusmodi autē fœd⁹ pacis cũ hoc magno Monte fecerit, nõ vno ſcripturæ loco expreſſũ eſt. Iere. 33. *Hæc dicit Dominus: Adhuc erit in loco iſto deſerto absq; homine & absq; iumento, habitaculum paſtorũ accubantiũ gregum*] Id eſt, loco Synagogæ Iudaicæ erit Eccleſia, quæ non eſt aliud, quàm habitatio Paſtorũ, qui paſcunt greges iuxta ipſos accubantes. Paſtores autē hos, eſſe Epiſcopos & clericos, ſub vno Rege Dauide, ſiue Pontifice congregatos ſic ibidē docet: Si irritũ poteſt fieri pactũ meũ cum die & nocte, vt nõ ſit dies & nox in tempore ſuo: etiam pactũ meũ irritũ eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo (*id eſt, cum Chriſto, myſtico Dauide*) vt nõ ſit ex eo fili⁹, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes Miniſtri mei] Igitur hic Mons nũquam commouetur, ſed perpetuo durat, & perpetuò ac ſine interruptione habet hæc Ciuitas vnũ Pontificē, qui regnet in throno Chriſti, & Sacerdotes ac Leuitas, Deo miniſtrantes, hoc eſt nõ modò ſacrificantes, ſed etiam Legē interpretantes & iudicia exercentes. nam hoc Sacerdotũ officiũ eſſe, ſupra copioſè demõſtraui. Viderint ergò Hæretici, quomodo Eccleſia Chriſti deficere, & in Hęreſin incidere, ſiue falſò ſcripturas interpretari poſſit. Certè Deũ pacto non ſtetiſſe, & periurũ eſſe factũ, affirment oportet. Neq; enim certis legib⁹ aut conditionib⁹ Deus cũ Eccleſia pact⁹ eſt, ſi nēpe Legē eius ſeruet, & à Verbo ipſius non recedat. Nam hoc ipſum eſt, quod ſe, ſe ipſum, inquam facturũ pepigit, daturũ ſe ſcilicet Eccleſiæ ſuæ Spiritus ſui gratiam, vt Legē eius violare, & à Verbo Dei recedere nullo modo poſſit. *Ierem. 32.* Ecce congregabo eos (*Chriſtianos*) de vniuerſis terris & reducam eos ad locum iſtũ (*in montem Sion ſiue Eccleſiam*) & habitare eos faciam confidenter. Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor vnum, & viam vnam (*in Catholica Eccleſia erit concordia, & vna tantùm Religio*) vt timeant *ſiue colant* me vniuerſis diebus, & benè ſit eis, & filijs eorum poſt eos. (*quamdiu?*) Et feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam eis benefacere, & timorem meũ dabo in corde eorũ, vt non

Hæreſes ſubinde intereunt, Vide infra cap. 71.

Eccleſiæ definitio.

Eccleſia ſemper habet Epiſcopos ac Sacerdotes.

Hæretici mētiuntur Eccleſiã poſſe deficere.

Deus Eccleſiæ Spiritum Veritatis ſine conditione promiſit.

RECEDANT

RECEDANT à me. *Ierem.31.* Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda Fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum (*id eſt, ſeruiliter eos tractaui & in captiuitatẽ redegi*) Sed hoc erit pactũ, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos: Dabo Legem meam in viſceribus eorũ, & in corde eorũ, ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erũt mihi in populũ] *Ezech.36.* Ecce ego ad vos montes Iſrael (*ô Eccleſia in monte altiſſimo, qui multorum montium inſtar eſt, ſita*) conuertar ad vos, & arabimini, & accipietis ſemẽtem, & replebo vos hominibus & iumentis, & multiplicabuntur & creſcent: & habitari vos faciam, ſicut à principio, bonisq; donabo maioribus, quàm habuiſtis ab initio. Et effundam ſuper vos, dom⁹ Iſrael, aquam mũdam (*baptiſmi*) & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris. Et Spiritũ meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.] Igitur ꝓpter Spiritum veritatis ideò in Eccleſia poſitũ, *vt eam deducat in omnẽ Veritatẽ*, non poteſt Eccleſia à verbo Dei recedere, aut aliter, quàm Deus in Verbo ſuo, docere, tametſi Hęretici eam calumnientur, & erroris, ſiue, ſcripturæ non verè intellectę, inſimulent: ꝙ quidẽ facturos eos, ſed irrito ac vano conatu, iam olim Spirit⁹ ſanctus apud *Iſaiã cap.54.* prędixit eo ipſo loco, quo monti Dei ꝑpetuam durationẽ ꝓmittit: Ecce ego creaui Fabrum ſufflantẽ in igne prunas (*nouas ſcripturæ interpretationes comminiſcentẽ*) & ꝓferentem vas in opus ſuum, & ego creaui interfectorẽ ad diſperdendum. Omne Vas, ꝙ fictum eſt contra te, non dirigetur (*nulla falſa ſcripturæ interpretatio Hæreſin continens, ſucceſſum habebit, quare? quia*) omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio, iudicabis.] *quaſi dicat*: Etiamſi Gentilis præſens tuam, ô Eccleſia, cum Hæretico diſceptatiõem audiat, perſpicuum ei erit, ipſeq; manifeſtò videbit, eum à te ſuperari. Fingamus enim venire Ethnicum, & velle Chriſtianum fieri. Catholica Eccleſia eum ſibi certat adiungere, ſed impedire conatur Lutherus, propterea quia Eccleſia Verbum Dei adulterarit falſoq; doceat, idq; exempli cauſa, allato in medium Inuocationis Sanctorum, aut cõmunionis ſub Vna ſpecie articulo probare contendit. Quærit ex ipſo Eccleſia: Quis tibi Verbũ Dei tradidit? à quo ſcripturam accepiſti? Reſpõdet Lutherus: *Cogor fateri, quia verũ eſt, te habere verum Dei verbum, verum Apoſtolatũ, & verum nucleũ Chriſtianitatis, neq; ſacrã ſcripturam, baptiſmũ, ſacramenta, & prædicandi officium à Te accepiſſe: alioquin nihil de iſtis omnibus ego ſcirem:* velut

Fœdus Dei cũ Eccleſia aliud eſt, quàm cum Synagoga.

Eccleſia non poteſt errare, neq; Verbo Dei recedere.

Eccleſia iudicat Hæreticos ſibi contradicentes.

ſupra cap. VI. totidem ferè verbis confitentem Lutherum audiuimus, tametſi etiam ipſo tacente ſatis res ipſa vociferatur, cùm Lutherum in Eccleſia Catholica baptizatum, in Scholis Catholicis eruditum, & Catholicum monachum fuiſſe conſtet, & de Catholica Germaniæ fide ipſi etiam parietes & feneſtrę Eccleſiarum teſtentur. ſi nunc replicet Eccleſia. Qui ante centum, ducentos, trecentos, atque adeò mille annos Chriſtianus fieri volebat, quò tandem ſe conferre, & vnde veram Chriſti fidem diſcere debuit? Nempe alterutrum Lutherus reſpondere cogitur, aut ad Eccleſiam, quę videbatur, & adiri poterat, accedendum fuiſſe, quo pacto ſe victum fatetur; aut neminem à quoquam, priuſquam ipſe exortus eſſet, veram fidem diſcere, & Chriſtianum fieri potuiſſe, hoc eſt, ſuam doctrinam Nouam & à ſe modò inuentam eſſe: quæ res non modò apertiſſimis ſcripturæ verbis iam ſępius allatis, in primis autem loco huic Iſai. 60. contradicit: *Aperientur portæ tuæ*, ô Eccleſia, *iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur* ſiue cõuertatur *ad te fortitudo Gentium & Reges earum adducantur*, ſeu Chriſtiani fiant] Sed etiam ab auditore Gentili ſua ſponte vanitatis & inanis iactantiæ condemnatur. Eſt ergò, vt dixi, huius Magni montis, cui impoſita cernitur Eccleſia, perpetua duratio & fecunditas, cauſa, propter quam Gentiles, nihil adhuc de Verbo Dei ſcientes, potiùs ad illum, quàm ad *Colles, qui commouentur & contremiſcunt*, hoc eſt, ad nuper exorta Hæreticorum conuenticula, & mox, ſicut prioribus quoque ſęculis nuſquam fuerunt, interitura, malint accedere. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus* (caſeo ac butyro, ſiue omnibus bonis abundans, ait Pſal. 67.) *vt quid ſuſpicamini Montes coagulatos?* (fruſtra putatis in alijs montibus, ſeu collibus, talem pinguedinem & vbertatem inueniri. Non eſt enim niſi vnus Mons eiuſmodi) *Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem*, ſiue perpetuo] Nihil ergò colles Hæreticorum ad Eccleſię montem. *Verè mendaces erant Colles, & multitudo montium*, aiunt illi, qui deſertis collibus in montem redeunt, *filij reuertentes, quorum auerſiones ſanat Deus*, Ierem. 3. De eorundem collium ſterilitate vaticinatur Iſaias cap. 7. Et erit in die illa: Omnis locus, vbi fuerint mille vites (*quæ venderentur ſingulæ*) mille argenteis, in ſpinas & in vepres erunt.] Id eſt, Hęreticorum corda, quæ quondam fuerant ager feraciſſimus ſeu vinea fertiliſſima, ſpinis & vepribus oppleta erunt, in quibus etiamſi verbum Dei ſeminabitur, ſiue etiamſi eis fides vera ſcripturę verbis probabitur, tamen fructum afferre non poterit, quia ſemẽ, ſeu verbum Dei *ſuffocatur à ſpinis*, hoc eſt,

Eccleſia Dei in quali monte ſita.

Hæreſes ſunt Colles ſteriles, Vepribus ac ſpinis obſiti

Spinæ ſiue Affectus in animis Hæreticorum.

primum

primum à *voluptatibus vitæ*, seu scortando, vorando & potando & opinioni siue proprio Marte inuentæ, siue aliunde, præsertim in pueritia, instillatę, obstinatè inherendo (nam obstinationis sententiæ siue Pertinaciæ causa est *Voluptas*, vt egregiè in VII. *Ethicor. Nicom. cap. IX.* disputat Aristoteles) deinde verò suffocatur in Hæreticorum cordibus seminatum Dei verbum. *à curis sæculi*, hoc est, à metu effundendi amicorum & propinquorum gratiam, siue odium hominum incurrendi; postremò à *fallacia diuitiarum*, siue lucri amittendi sollicitudine, cùm Principes quidem Ecclesiæ bona teneant, priuati autem vsurarij sint, aut alioquin sibi, vxoribus liberisq; famem ex professione Catholicæ fidei impendentem metuant: quomodo Christus ipse *spinas* interpretatur Matth 13. & Luc. 8. *Iam de huiusmodi Vepretis pergit Isaias vaticinari:* Cum sagittis & arcu ingredientur illuc: vepres enim & Spinę erunt in vniuersa terra (*id est, tanta erit aspidum seu serpentum inter Vepres & Spinas sæpium multitudo, quemadmodum Ecclesiastæ 10.* Qui dissipat sępem, mordebit eum coluber, *sub vepreto scilicet sæpis delitescens:* hoc est, *tam subdoli homines & astuti inter Hæreticos inuenientur, qui falsa scripturæ interpretatione se promptè sciunt defendere, vt nemo ad illos Catholicus, nisi probè armatus, sine euersionis periculo accedere queat*) Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror Spinarum & Veprium, & erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris.] *Id est*, hominum corda, qui sunt in vera Ecclesia, seque à Vinitoribus & agricolis, siue Episcopis, fodi, excoli & putari patiuntur, non ita Spinarum multitudine terrori erunt. Cùm ergò Gentiles apud Catholicos tam ingentia misericordiæ & charitatis opera passim fieri, tot Collegia, Xenodochia, Monasteria, Orphanotropheia, Templa, regijs impẽsis excitari ac ditari, tam multos nobilissimis familijs editos, & omnibus animi, corporis ac fortunæ bonis affluentes, nuncium sęculo remittere, & in aliquo Religioso Sodalitio asperrimam vitam agere, mendicando victum ostiatim quęrere, Deum nocturnis ac diurnis precibus placare, concionando, docendo, scribendo, confessionibus peccatorum audiendis, ægris visitandis, animam agentibus alloquium pium commodando, generis humani vtilitatibus seruire: cùm è diuerso Hęreticos eiusmodi esse vident, quales supra cap. I. X. & XI. Lutheri, Caluin, Musculi, Sarcerij & Smidlini verbis depinximus: nempe *Montem hunc magnum*, qui Ciuitatem Dei, siue Ecclesiam sustinet, *pinguẽ* & fertilem, colles verò humilioresq; montes Hæresion nihil nisi *spineta & vepreta* esse iudicant, adeoq; illum altissimum Montẽ adscendere, & in Ciuitate Dei ciues fieri, & vias ac semitas eius doceri malunt.

Serpentes in spinetis Hæreticorum.

Ecclesia Spinis caret.

Quid Gentiles apud Catholicos videant ac probent.

Quid apud Hæreticos.

Lux ducit Gentiles ad Ecclesiam.

PSAL. 42. Emitte lucem tuam & Veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in Montem sanctum tuum, & in tabernacula tua] *Mandatum lucerna est*, (ait Salomon Prou. 6.) & *Lex lux. Et Verbum tuum veritas est*, ait Christus Ioh. 17. Itaque Deus emissa luce sua & veritate sua, deducit homines in caligine & in vmbra mortis sedentes, & adducit eos in montem suum sanctum & in Ecclesiam. Hoc ipsum est, quod modo Isaias dixerat: *De Sion exibit Lex & Verbum Domini Ierusalem.* nam hæc Lex siue LUX ex Sion, vt dixi, siue ex Ecclesia emittitur. *Psal. 109.* Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. *Isai. 40.* Super montem excelsum adscende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Ierusalem.

Lumen Dei est in Ecclesia, idq; Gẽtiles vident.

Lumen illud perpetuo conspicitur.

Isai. 60. Surge illuminare, Ierusalem, *siue Ecclesia*, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: Super Te autem orietur Dominus, & gloria eius in Te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo (*quod ex te emittitur*) & Reges in splendore ortus tui. Non occidet vltrà sol tuus & Luna sua nõ minuetur. Dominus erit tibi in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam &c.] *De hac ipsa lucis copia vaticinatur Isai. 30.* Et erit lux Lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septẽpliciter sicut lux septem dierum &c.] Igitur Ciuitas Dei non modò supra Montem altissimum sita est, sed etiam perpetuo lumine collustratur, ita vt Gentes remotissimæ videre montem ac Ciuitatem, & illuc velut ad Pharum dirigere cursum suum queant: hoc est, Ecclesia Catholica eiusmodi Notam habet, ex qua Gentiles quoq; facilè eam cognoscere & ab Hæreticorum cõuenticulis internoscere possint: id quod hoc amplius *Isai. 61.* discimus. Dabo opus eorum (*Sacerdotum*) in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis: Et scient in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, COGNOSCENT illos, qui isti sunt semen cui benedixit Dominus, *siue, quod isti sint vera Ecclesia.* nam huic dicitur Psal. 147. *Lauda Deũ tuum Sion, quoniam benedixit filiis tuis in te.*] Itaque tametsi etiam vicini Colles, siue Hęreticorum Ecclesiæ, aliquid Luminis habent, si cum Gentilium & infidelium caligine comparentur, quia tamen omne illud Lumen à lumine Montis magni, siue Ecclesiæ, ad ipsos emanat (velut Lutherũ confitentẽ modò audiuim⁹, se scripturam, Baptismũ, Sacramẽta, officium prędicandi, quicquid deniq; boni habeat, à Papatu siue Ecclesia Romana accepisse, cùm alioquin nihil de istis omnibus sciturus fuisset) propterea fit, vt Gentiles quoque potiùs ad Montem

Catholici cognoscuntur ab infidelibus.

Hæreses habent aliquas luminis stricturas ab Ecclesia.

tem

tem magnum accedere, & ibi Christi fidem addiscere velint. Nunc videbimus, quale sit illud Ecclesiæ Lumẽ, quod etiam Gentes ratione, siue lumine & intellectu suo naturali, perspicere, & illuc contendere iter suum possunt. Hæretici quidem *Verbi Dei puram doctrinam*, & *legitimam Sacramentorum administrationẽ*, Lumen, siue veræ Ecclesię Notam esse pugnant. At enim hoc Lumen Gentiles rationis naturalis beneficio nequaq̃ perspicere, neq; quis inter tot Christiani nominis homines, rectè & purè Verbũ Dei doceat, itaq; vt oportet, Sacramẽta administret, dijudicare possunt: siquidem huiusmodi dijudicatio sine Spiritus sancti peculiari dono fieri nequit. *Spiritualis enim iudicat omnia; Animalis autẽ homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & nõ potest intelligere, quia spiritualitur examinatur*, 1. Cor. 2. hoc est, quia examen, siue dijudicatio veræ & falsæ doctrinæ non nisi ab homine spirituali, qui donum discretionis spirituum acceperit, fieri potest. At enim donum illud (velut in priore Parabola copiosè demonstraui) non datur à Spiritu sancto, nisi ad *vtilitatẽ Ecclesiæ*, siue corporis Christi, non omnibus, sed tantùm quibusdam eius membris. Itaque nec Christiani quidem omnes spirituales sunt, aut ea, quæ Spiritus sunt siue ad religionem pertinent, examinare ac dijudicare possunt, sed sunt multi *Ignorantes*. 1. Cor. 14. Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignoret.] id est, velut Ignorans se gerat, nec dijudicandi sibi munus sumat. Atque hoc Lutherus quoque confitetur *in Postill. witteb. Dominica 8. post Trinit. fol. 114. §. 5.* Nemo, inquit, ab erroribus cauere poterit, nisi sit spiritualis homo. Sic enim ait Paulus 1. Cor. 2. *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Itaque quæ sit falsa doctrina iudicare nemo potest, nisi spiritualis.] *Et Tom. 1. Ger. witt. comment. Gal. 1. fol. 29. a. §. 3.* Non quiuis habet intellectum & sensum vt de controuersiis fidei inter nos & Papistas, Christianè ac tutò iudicare possit.] *Et Tom. 4. Germ. witt. fol. 252. b. siue Tom. 7. Germ. Ien. fol. 195 in comment. Ioh. 16.* Etiamsi quis habeat scripturas & audiat, tamen id nondum satis est: quia adhuc requiritur reuelatio Spiritus sancti, qui det Lumen inter legendum & audiendum, vt etiam intell gi possit. Ceterùm non ita facilè reperiuntur, qui Spiritũ sanctum & veram intelligentiam habeant, sicut multi sibi persuadent.] Multò igitur magis Gentiles *Ignorãt*, neq; doctrinas, seu diuersas scripturę interpretationes, dijudicare possunt. Igitur aliud quoq; esse oportet Lucem illam Ecclesiæ, qua conspecta Gentiles cognoscere statim & iudicare

Quale sit Lumen Dei, quod Gentiles in Ecclesia vident.

Non vera doctrina & legitima Sacramentorum administratio.

Nam iudicari de doctrina nequit sine gratia Spiritus sancti.

Sed illa gratia neq; extra Ecclesiam cuiquã, neq; in Ecclesia datur omnibus,

Lutherus fatetur non omnes Christianos de doctrina iudicare posse.

Lutherus præter scripturas aliquid amplius requirit.

Gẽtiles aliquid diuinum in Ecclesia vident.

queant, *hoc esse semen, cui benedixit Dominus*, siue hanc esse veram Ecclesiam, verosq; Dei filios. Nimirum diuinum quid sit necesse est, ꝙ in Ecclesia Gentiles vel suæ rationis siue luminis naturalis beneficio deprehendunt, ex eoq; veram esse Dei Ecclesiam argumentantur. Id

I. *Dei Verbũ, Ecclesiæ statum prædicens.*

est Dei verbum, & Dei opus. *Verbũ Dei* non hic appello totam scripturam sacram, sed ea tantùm loca, quę statum Ecclesiæ Dei nobis desórmant, siue formam & speciem eius adumbrant & exprimunt: de qua Ciuitatis suæ Adumbratione siue Designatione, Idea, Exemplari, aut *Modello*, vt vocant, Deus apud *Isaiã* loquitur *cap. 49*. Ego non obliuiscar tui Sion. Ecce in manibus meis descripsi te (*siue descriptã & conceptam teneo*) *Formam, ad quam referam oculos, quando tui ædificandæ tempus venerit*) muri tui coram oculis meis semper, *vt te scilicet ad hoc exemplar ædificem*. Venerunt, *seu mox aderunt* structores tui (*Episcopi, ponendi in ædificationẽ*, Ephes. 4.) destruẽtes & dissipantes (*hæretici*) à te exibũt.] Isai. 40. *Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, ꝙ os Domini locutũ est.* id est, omnes homines ex æquo videre poterunt, illud opere esse præstitum in Ecclesia, ꝙ iam olim per Prophetas Deus prædixerat. Exempli

Aliquot Ecclesiæ descriptiones.

causa, cùm legimus Ier. 33. Ecclesiam fore *habitaculũ pastorũ*, qui *pascunt accubantes*, hoc est, vt Heb. 13. Paul⁹ interpretatur, *præpositis obedientes & subiacentes greges*. Michæ. 2. fore vnũ Pastorẽ, *q oues omnes pcedat*, siue vt

Ouile.

Christ⁹, *Ioh. 10.* declarat, fore vnũ ouile & vnũ Pastorẽ, cuius õnes Christi oues audiant. Similiter Ecclesiam esse magnam Dei domum, in qua

Domus.

plures sint dispensatores, vnus tamen cõstitutus super omnem familiam, qui semper det escam familæ & rectè diuidat ac distribuat, verbum veritatis, ita vt nullam vnq̃ domestici famem sentiant: Item: Ec-

Schola.

clesiam esse scholam Dei, in qua semper sit aliquis summus Pręceptor siue Rector, qui semper videatur & docens audiatur: Ecclesiam esse

Templum.

Templum, cuius portæ iugiter aperiantur & die ac nocte nõ claudantur, vt Reges ac Gentes ingredi & Christiani fieri queant. Ecclesiam

Mater.

esse matrem fęcundam, quæ Christo per Euangelium perpetuò filios pariat, & numquam sterilis fiat, siue, quæ omnibus sæculis Gentiles ad fidem Christi conuertat: Ecclesiam esse castrorum aciem ordinatam Christianorum, auspicio atque ductu Pontificis, veluti Lega-

Castrorũ acies ordinata.

ti Dei, militantium, & diuerso armorum genere stipendia facientium: Ecclesiam esse cateruam Viatorum, qui per caliginosos mon-

Turba viatorum.

tes vnum viæ ducem, cum face præcedentem, securè, ac sine metu sequuntur: Ecclesiam esse pomarium siue hortum voluptatis, in quo semper sint hortulani, qui vel plantent vel rigent, hoc est, qui

Pomarium siue Hortus.

vel

vel ex Gentilibus Christianos faciant, vel eos, qui iam Christiani sunt, in fide perfectiores & in vita meliores reddant: Ecclesiam esse Sponsam, quam Paranymphi ad Sponsum Christum adducant: Ecclesiam esse Ciuitatem, in qua omnium totius Orbis nationum homines ciues fiant, & iisdem Legibus vtantur, eidemque Regi concorditer pareant: quæ Ciuitas in æternum duret, & Speculatores in mœnibus habeat, qui peruigilent, neque vnquam taceant, sed quotiescumque Gladium siue Hæresin venire vident, buccina canant & Ciues excitent. Cùm igitur istam Ecclesiæ descriptionem & exemplar in Verbo Dei expressum legimus siue audimus (sicut in consequentibus Parabolis ipsa scripturæ loca in medium adducam) & ista omnia in nullo prorsus Hæreticorum conuenticulo, sed in sola Catholica Ecclesia apparere ac lucere cernimus: statim sine vlla dubitatione Psalmi 47. verbis dicere possumus: *Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Domini virtutum in Ciuitate, Dei nostri.* Atque hæc Lux, quam etiam Gentiles intueri, & per eam in cognitionem veræ Ecclesiæ Dei peruenire possunt, alio nomine *Tuba* dicitur, qua scilicet Speculatores Ciuitatis Dei canunt, vt ea admoniti cùm qui iam in Ciuitate habitant, tùm qui ex Gentilibus in eam recipi cupiunt, sibi à Gladio siue Hæresi diligenter cauendum sciant. *Isai. 62.* Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.] *id est,* semper, cum gladius, aut falsa scripturę interpretatio siue Hæresis exorta fuerit, tuba canent, vt quisque ne ab Hæreticis decipiatur, sibi cauendum meminerit. Sic enim intelligendum esse *Gladium*, supra cap. XXII. demonstraui. *Ezech. 33.* Si Speculator viderit gladium venientem, & non intonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est (*id est, decipietur quidē, & fiet Hæreticus, Deo ipsum propter peccata sua deserente*) sanguinem autem eius de manu Speculatoris requiram.] *Ierem. 6.* Hæc dicit Dominus. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis (*quæ fuerit religio ante vos natos*) quæ sit via bona, & ambulate in ea. Et dixerunt: Non ambulabimus. Et constitui super vos Speculatores: Audite vocem tubæ (*id est, habete illos pro Hæreticis & fugite, quos illi Speculatores: vestri Hæreticos esse denunciant*) Et dixerunt: Non audiemus.] Itaq; insaniunt, qui non ad Episcopos siue Pastores, sed ad Oues iudicium de vera ac falsa doctrina pertinere contendunt. Perspicuè enim Ciuiũ & Speculatorum munus atque officium discernitur. *Speculatorum* est

Sponsa.
Ciuitas.

Ea descriptiones omnes in Ecclesia Catholica inueniuntur.

Tuba Speculatorũ, id est, Episcoporum & Sacerdotum.

Tuba illa semper canit veniente hoste.

Speculatoris officium.

Boni Ciuis siue Chriani est audire vocem tubæ.

Aliud est officium speculatorum, aliud Ciuium.

vigilare, cumque Gladium, siue falsam doctrinam vident, Tuba canere, & Ciuibus, vt sibi caueant, denunciare: *Ciuium* vero officium est, Tubæ vocem audire & se custodire, ne à gladio tollantur. quod 2. Petri 3. hac paraphrasi explanatur: *Difficiles intellectu scripturas indocti & instabiles deprauant. Hoc ergò præscientes vos custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate fidei.*] Sciunt quidem omnes vel ex hac Apostoli denunciatione, sibi ab ijs, qui scripturas perperàm interpretantur, cauendum esse: sed qui sint illi, qui sic deprauant scripturas, considerare ac significare, ad Episcoporum, velut speculatorum, prouinciam spectat. nam horum est *Vigilare & Attendere Gregi ac Doctrinæ*, siue, iudicare de doctrinis ac scripturarum interpretationibus, cumque deprehenderint, doctrinam quampiam non esse sanam, verbumque Dei adulteratum & falsa interpretatione deprauatum, *exhortari* Ciues, & si opus sit, *cum omni imperio*, siue imperiosè *arguere, dureque increpare, vt sani sint in fide, neque auribus à Veritate auersis ad fabulas conuertantur*, hoc est, ne audire velint, quibus argumentis sententia, quam Episcopi falsam esse iudicant, probetur, velut aliàs ex *Act.* 20, 28. & 1. *Tim.* 1, 4. & 2. *Tim.* 4, 3, 4, 5. & *Tit.* 1, 9, & 13. *Tit*, 2. 5. Et sicut apud Ieremiam Ciues iubentur non ipsi vigilare, sed tantum *audire vocem Tubæ*, cùm speculatores siue Vigiles canunt: similiter Apostolus *Hebr.* 13. iubet eos *Præpositis obedire ac subiacere, quoniam ipsi pro ciuibus peruigilent.* Quod autem speculatores non propter Ciues tantùm, sed etiam propter eos, qui ad Ciuitatem accedere, in eamque recipi volunt, Tubę cantu Hæreticos cauere iubeant, discimus *Isai.* 27. In die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, & qui eiecti erant in terra Ægypti (*siue Gentiles*) & adorabunt Dominũ in Monte sancto in Ierusalem.] Atque hæc est Lux Verbi Diuini, quam etiam Gentes lumine siue ratione naturali perspicere & veram Ecclesiam ab Hæreticorum Synagogis internoscere queunt.

Tuba illa exauditur etiam à Gentibus.

CAPVT LIX.

Alterum genus Luminis quod in Ecclesia gentiles vident.

ALIUD porrò *Lumen*, quo Mons Dei collustratur, nec Ciuitatis Dei conspectum Gentibus adimi sinit, est *opus diuinum*, cùm scilicet Gentiles in Ecclesia diuinam potentiam, diuinum Amorem seu sanctitatem, & diuinam quandam sapientiam, lucere, rationis suę beneficio perspiciunt, eique propter illos plusquam humani

Imperij

Imperij titulos, omnium hominum regnum meritò deberi putant, tametsi adhuc, quib⁹ vtatur legibus, siue quid credendum faciendumque præcipiat, nondum sigillatim & subtiliter pernouerint. *Potentia* quidem *diuina* primùm Miraculis, signis & prodigijs fit conspicua, cùm nulla arte magica, sed solo nomine Iesu adhibito, ipsi naturæ & creaturis omnibus, nouæ velut leges, ab hominibus Ecclesiæ, imponuntur, vt cùm ignis vrere, aqua madefacere, liquor fluere, serpentes aliæq; immanes bestię nocere prohibentur, Hæc enim & alia eiusdemmodi humanis viribus non fiunt, sed sunt Dei opera (*verba signorum Dei*, ait *Psal*.104.) quibus testimonium Ecclesiæ perhibet, eiusque fidem confirmat, sicut facturum se promisit *Isai. 43.* Noli timere Iacob, quia redemi te, & uocaui te nomine tuo, meus es tu. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te] Huius potentiæ exemplum *Act. 3.* legimus: vbi cum Petrus hominem, qui claudus natus fuerat, repentè sanasset, nulla alia re adhibita, quàm verbis hisce: *In nomine Iesu Christi surge & ambula*: impletus fuit populus *stupore & ectasi*, duoq; hominum millia statim Christo nomen dederunt, & in Ecclesiam recepti sunt, quia nempe potentiam in *Petro* non humanam, sed diuinam viderant, eamq; pro diuino Testimonio habebant, sicut etiam Petrus: *Viri Israelitæ*, inquit, *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus patrum nostrorum glorificauit* (per hoc miraculum) *filium suum Iesum, & Fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Similiter *Act. 9.* Inuenit Petrus Lyddæ Aeneam quendam paralyticum, ab annis octo iacentem in grabato, & ait illi: Aenea sanat te Dominus Iesus Christus: Surge & sterne tibi. Et continuo surrexit. Et viderunt eum omnes, qui habitabant ibi, & conuersi sunt ad Dominum] Sic *Act. 13.* Paulus Elymam magum solo verbo excæcat. *Quod Proconsul factum videns, credidit, admirans super doctrina Domini.* Rursum *Act. 16.* cum orantibus Paulo & Sila omnia carceris ostia aperta, omniumq; captorum vincula soluta fuissent, custos carceris tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, & ait: *Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?*] Isti omnes diuinitate in operibus lucente, vt se Christi Ecclesiæ adiungerent, moti fuerunt, quamuis vtrum Apostolorum doctrina Moysi & Prophetis consentanea foret, nescirent: quemadmodum priùs etiam Nicodemus non Christi doctrina (nam ipse qui Legis doctor esset, multò

Potētia diuinæ primū specimē.

Miracula sunt opus Dei.

Quàin potentia sint miracula.

aliter quàm Christus scripturas intelligendas putabat) sed eius miraculis ad fidē ipsi habendā inductus fuerat, sicut ipse Christo cōfitetur Ioh. 3. *scimus, quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Quin etiam Christus, cū Sacerdotes à Deo scripturæ interpretandæ auctoritatē habere, ceterosq; Legē ex ore Sacerdotis requirere, siue verū ab eo Legis sēsū discere, iussos esse sciret, noluit suæ doctrinæ fidē haberi, siue suas scripturæ interpretationes ab ordinariorū Doctorū sētētia discrepantes recipi, nisi eas Dei testimonio, siue potētia diuina, quæ in operib⁹ eius lucebat, cōfirmari cōstaret. *Ioh. 10.* si non facio opera Patris mei, NOLITE credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operib⁹ credite. Nam opera, quę ego facio in nomine Patris mei hæc Testimoniū perhibēt de me *Ioh. 15.* si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent.] *Hoc est*, rectè facerent, quod mihi non credunt, quippe qui scripruras de Messia vēturo loquētes aliter, quam ordinarij Doctores, in Cathedra Mosis sedentes, interpreter, neq; tamen diuino testimonio veritatē meæ interpretationis nouæ cōfirmē. Cùm enim *Deut. 17.* disertim scriptū sit, malū ac morte dignū esse peccatū, si quis sententiam ordinarij Sacerdotis nō sequatur, & Legis interpretationē ab eo datam contemnat, eamq; Sacerdotis potestatē *Malachias cap. 3.* prophetarum vltim⁹ tamdiu duraturam ac ratam fore significet, *donec veniat ad templum suum Dominator & Angelus noui testamenti* (Propheta ille scilicet, quem *Mosi similem*, hoc est, Legislatorem populo suo suscitaturum se Deus promiserat Deut. 18) *qui Sacerdotes ac Leuitas purget & emundet*, hoc est donec Messias ipse veniat, & scripturas de se vaticinatas rectè intelligere doceat : propterea non peccarent in eo, quod Doctoribus in cathedra Mosis sedentib⁹ potiùs, quàm mihi, credunt, nisi me diuino testimonio, velut sigillo, meam Interpretationem scripturæ probasse, siue opera, quæ sine diuina potentia facere nemo potest, perpetrasse scirent. Neque enim Legem, seu voluntatem Dei, siue veram scripturæ interpretationem promulgasse sat est sed vt omnem necessariam auctoritatem Promulgatio secum afferat, siue, vt non modò Diploma Dei Legatus exhibeat, sed etiam vt Diploma signo Dei obsignatum sit, hoc est, vt diuino aliquo Spiritus sancti dono Prædicatio confirmetur necesse est : quemadmodum Marc. 16. legimus : *Illi prædicauerunt vbiq; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*] Alioquin sicut is, qui nihil de voluntate Dei audiuit, iustam habet ignorantiæ excusationem : ita cui Legatus siue

Promulgator

Nicodemus potius miraculis, quam argumētis Christi credidit.

Nec quisquam Christo sine miraculis credere debuit.

Quia Christus ordinarijs Doctoribus contra dicebat.

Legatus Dei non modò Diploma, sed etiam sigillum Dei exhibere debet.

Sigillum est miraculum.

Promulgator sigillum Dei non exhibuit, neq; aliqua diuina virtute se àDeo promulgandi auctoritatem accepisse ostendit, si præsertim eius quod promulgatur, nouitati ab ijs, qui priores auctoritatem ab eodẽ Deo acceperant, contradicatur, non modò excusatus est, qui promulgationem non recipit, sed etiam, si aliter faciat, peccato non vacabit. Itaq; non modo prædicare, sed etiam miracula patrare, siue vt Lucæ verbis *Act.1.* vtar non modò *docere*, sed etiam *facere* Christus voluit, & Pastorib⁹ ac Doctoribus Ecclesiæ eiusdẽ vtriusq; rei causa spiritũ suũ impertitus est *Ioh.15.* Non est seruus maior Domino suo. si me persecuti sunt, & vos persequentur. Sed hæc omnia facient vobis ꝓpter nomen meũ, quia nesciunt eum, qui misit me. (*Neq; tamen ignorantiæ excusationem habent*) si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem (*ignorantiæ*) excusationem non habent de peccato suo (*incredulitatis*) si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem viderunt (*miracula*) & tamen oderunt & me & patrem meum, vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : *Quia odio habuerunt me gratis.* Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me : & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.] Hoc loco animaduertendum, quod ab Apostolis non modò Promulgationem Legis suæ cum locuplete & idonea siue sufficiente auctoritate, hoc est, vna cum Miraculorum faciendorũ potestate legat (nam spiritus eis hic promissus, & postea datus, varia dona, velut membra corpori necessaria, inter quæ *gratia Virtutum*, siue miraculorum, & *prophetiæ donum* recensetur 1. Cor. 12. distribuit) sed etiam idẽ ipsis quodsibi, vsuventurum prædicit, vt scilicet à plurimis cùm prędicatio eorũ repellatur, tum miracula pro præstigijs aut incantationibus magicis habeantur. Nam *Matt.12.* & *Luc.11.* cùm Christus dæmonium ab homine cæco ac muto eiecisset, & loquendi videndiq; facultatẽ ei reddidisset, eamq; ob rem pro *filio Dauid* siue Messia à turbis haberetur, calumniati sunt miraculum eius Pharisæi, *quasi in principe Diabolorum Diabolos eijceret*, id est, pacto cum Beelzebub inito, ac velut potestate à supremo Diabolorum accepta inferiores Diabolos, vnde vellet, eijceret : itaq; aliud *Miraculum de cælo* ab eo postularunt : quasi dicerent : si uis, vt tibi scripturas de Messia aliter, quàm nos, interpretanti credamus, non satis est te Dæmonia eiicere (fieri enim potest, vt tu pactũ quoddam cum Beelzebub inieris, eiusq; collusione

aut

Sine quo ei, qui se Legatũ dicit, credi non debet

Apostolis promittitur spiritus miraculorũ patrator.

Sed simul prædicitur, miracula eorũ calumniam passuros.

Sicut ipsi quoq; Christo ꝰsuuenit,

aut præstigijs, nobis imponas, sicut *Iannes & Mambres* in Aegypto *per incantationes Aegyptiacas & arcanas quasdam naturæ vires* vulgo non cognitas vera Moysis miracula imitati fuere) Itaq; fac eiusmodi miraculum, quod solo digito Dei, non etiam Diaboli præstigijs, aut occulta naturæ vi fieri possit, & exempli causa, fac vt *sol stet in medio cæli, & non festinet occumbere vnius spatio diei*, sicut fecit Iosue. His respondet Christus, se *in digito Dei*, siue potestate à Deo, non à Beelzebub accepta miraculum fecisse, adeoq; propter fortitudinē, qua Diabolis præstet, meritò pro Messia habendum esse. *Si in digito Dei eijcio Demonia, profectò peruenit in vos regnum Dei*, quod scilicet Deus Dauidi promisit. Quod autem in digito Dei, non in Beelzebub, Diabolos eijciat, ita docet. *Primum* Diabolis de regno hominum tenendo inter se conuenit. Itaq; fieri non potest, vt alius alium in gratiam hominis alicuius sibi deuincti eijciat. nam huiusmodi dissidio regnum suum necessario collabi, facilè Diaboli perspiciunt. *Deinde* ex filijs vestris reperiuntur, qui Diabolos eijciant, (*Marci 9, 37.*) quos tamen in digito Dei id facere ipsimet creditis. *Præterea*, Diabolus inuitus ab homine egreditur, & cum eiectus est, mox reuerti conatur, & tandem septē alijs nequiorib⁹ spiritib⁹ adiutus, hominē denuo occupat. Itaq; credibile non est, eum per collusionē cum homine, siue in gratiam præstigiatoris aut malefici, ab homine exire. Eadem porrò calumnia, quæ Apostoli ceteriq; pastores ac Doctores fecissent miracula, ab incredulis traductum iri, cum superiori S. Iohannis loco, tum etiam *Matth. 10.* prænunciat: Euntes prædicate, quia appropinquauit regnum cælorum (*id est, quia Messias iam venit, regnum Dauidi promissum mox post resurrectionem instituturus. Vos ergò Regij Legati estote, ius noui huius regni & legem meam promulgantes*) Non autem vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. (*Hic porrò Spiritus diuinam in vobis operabitur potentiam, sapientiam & bonitatem siue Amorem, vt nullus titulus imperij aut gubernationis super omnes populos, vobis desit*) Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite. Mitto vos, sicut oues in medio luporum. Estote ergò prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ (*id est, prudentia vestra, quam à Spiritu sancto habebitis*, non erit *astuta, siue Macchiavellistica, proprio emolumento omnia metiens, & per fas ac nefas vtilitatem suam comparans, sed ea tantùm, quæ maiori lucro animarum per vos faciendo opportuna fuerint, circumspicere, quæq; impedimentum afferre queant, cauere sciet*) Gratis accepistis, gratis date. Eritis odio omnibus propter nomen meum

Quomodo Christus miraculorū suorum Calumniatores confutet.

Apostoli constituuntur Legati à Christo.

Vt promulgent ius regni Christi

Vt sigillum Dei siue miracula exhibeant.

meum, & flagellabunt vos, ac morte afficient. (*Hic plusquàm humanus ac verè diuinus Amor est, vt propter seruandas hominum animas vitam ponere nihil dubitetis.* Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt quis det animam suam pro aliis, Ioh. 15. *Tametsi autem miracula, etiam illis, quæ feci ego maiora, per gratiam mei Spiritus facturi sitis* (Iohan. 14.) *non tamen statim incredulos conuertetis, quia illi miracula calumniabuntur, & præstigias, aut artem Diaboli esse dicent*) Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominum suum. Sufficit discipulo vt fiat sicut Magister eius. Si *me* patrem familias Beelzebub vocarũt: quanto magis *vos* meos domesticos?] Itaq; nihil mirum aut nouum videri debet, quod hodie quoq; Lutherani omnia, quæ passim in Ecclesia Catholica Deus per sanctos suos miracula operatur derident, aut Diaboli præstigias interpretantur. Nam & Ecclesiam Domino suo Christo, & ipsos Pharisæis similes esse oportet. Neq; tamen Ecclesiæ gratiam miraculorum, prophetię, aliorumq; similiũ diuinorũ bonorũ ad finem vsq; mundi à Christo promissam negare possunt. Nam spiritus Christi, donationes membris corporis siue Ecclesiæ distribuens, in sempiternũ ab Ecclesia non aufertur, velut supra multis scripturæ locis probaui. Atqui locis supra similiter laudatis, Paulus docet, inter Donationes, quas Spiritus Dei Ecclesiæ ad vtilitatem commune dispensat, esse fidei perfectionem siue Virtutẽ etiam montes transferendi, siue gratiam miraculorum, itẽq; Prophetiam (de qua Christus Ioh. 15. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt annunciabit vobis: & clarificabit me*, id est, per sua dona vestræ de me prædicationi fidem & auctoritatem conciliabit) atq; gratias illas, propter ædificationem corporis Christi datas, tam diu duraturas, *donec omnes occurramus in vnitatem agnitionis filij Dei*, siue dum omnes electi ad Ecclesiam conuertantur, hoc est, ad finem vsq; mundi. *Nec enim consummabitis ciuitates Israel*, ait ipse Christus Matth. 10. *donec veniat filius hominis. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos : & ecce ego vobiscum sum* (hoc est, cum ijs, qui docent & baptizant) *omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi* Matth. 28, *Non enim relinquam vos Orphanos, sed veniam ad vos* simul cum spiritu meo *quem vobis mittam à patre* (Ioh. 14. & 15.) Eius donatione ministri mei *huiusmodi signa facient* : In nomine meo (*non incantione aut magia vlla vsi*) dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis serpentes tollent, & si mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit: super ægros manu^9 imponẽt et bẽe habebũt Mar. 16.] Itaq; nõ est periculũ, ne vel in hac sua senecta

Prædicit eis, fore vt miraculis non credatur.

Hæretici hodie miracula derident.

Ecclesia nũquã amittit Spiritũ miraculorũ effectorem.

Vt per ea Christus clarificetur

Quid Spiritus Ecclesiæ datus operetur.

non habeat Ecclesia eundem Spiritum Dei cum donis suis omnibus, quæ ad ædificationem corporis Christi atq; ad conuersionẽ eorũ, qui nondũ sunt consummati, pertinent. *Plantati in domo Domini* (Psa. 91.) *in atrijs domus Dei nostri florebunt: adhuc multiplicabuntur* (multos Christo per Euangelium gignent filios) *in senecta vberi* siue florenti & vegeta: *& benè patientes erunt, vt annuncient.* (nempe laudem & gloriam Dei in Insulis longè, velut Isai. 42, 12. & 66, 119. legimus) id est, bellè ætatem feret, nec vllo senectutis malo impedietur Ecclesia, quo minùs Euangelium annunciet, cum præsertim INSVLÆ ad Ecclesiæ, vt supra copiosè disputaui, senectutem vsq; exspectaturæ dicantur *Isai. 60.* Me enim Insulæ exspectant, & naues maris à principio, vt adducat filios tuos de longè *Isai 51.* Insulæ me exspectabunt & brachiũ meum sustinebunt. *Isai. 41.* Ponet in terra iudicium, & Legem eius *apud se promulgandum* Insulæ exspectabant] *Igitur Ecclesiæ dictum putari debet Psal. 102. & Isai. 40.* Replet Deus in bonis desiderium tuum: renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. Deficient *enim* pueri, & laborabunt: & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinẽ: assument pennas, sicut Aquilę: Current, & non laborabunt: ambulabunt & non deficient.] Atque harum promissionum Veritatẽ magis hoc sæculo, quàm fere ipsorũ Apostolorũ ætate cernere licet, cùm ea passim ad Sanctorũ cũ Christo iam triumphantium tumulos, in primisq; in Beatissimæ semper virginis & Dei genitricis Mariæ Ecclesiis miracula fiant, quibus haud scio an paria vlla ætate facta inuenianrur, cùm præsertim fraudis suspicionẽ nõ modo summorũ Regũ ac Principũ aliorumq; spectatissimæ fidei hominum firmata vel iureiurando, vel tabulis consignatis, testimonia, sed hoc etiã excludat quod pleraq; absẽtib⁹, hoc est, in beatorũ sede iam collocatis accepta referuntur. Nec enim minus videri debet, quod tactis Elisæi mortui ossibus homo mortuus, reuixit, quàm quod eiusdẽ prophetę ad huc in terris agentis voluntate Iordanis aqua stetit, ferrum natauit, puer mortuus vitæ restitutus, Naamani lepra sanata, aquis salubritas reddita, Syrii excęcati fuêre.

Ecclesia etiã in senecta sua Spiritus gratiam retinet.

Itaq; in senecta Ecclesiæ nouus orbis conuertendus fuit.

Ecclesia reiuuenescit.

Nostrũ sæculũ gratia miraculorum nec Apostolorum ætati cedit.

Elisæi miracula

CAPVT LX.

NON me fugit, cùm præsentibus & inspectantibus Hæreticis Dæmonia eiiciũtur, cæci visũ recipiũt, capti pedib⁹ ambulant, aliaq; eiusmodi fiunt, id eos nequaquam putare tanti, vt manum ea causa vertant, propterea quod Antichristi tẽporibus tanta signa ac prodigia factum

Antichristi miracula erũt tãtum præstigia.

factum iri ſcriptura prædixerit (Matt.24.) *vt etiam Electi,ſi fieri queat in errorem inducantur,* quæ tamen *ſigna mendacia*, id eſt, aſſimilata tantùm miracula ſicut magorum illorum in Aegypto,ſiue præſtigias aut naturæ occultos euentus futura Paulus *2.Teſ.2,* monet. Sed non aduertunt miſeri,vtrumq; in ſcripturis prædici, & in Eccleſia, & in Antichriſti regno miracula exſtitura. Nam ipſo Antichriſto regnante magis,quàm aliàs, illuſtrem miraculis fore Eccleſiam *Apocal.11.*diſcimus,vbi de teſtibus ſuis prædicit Deus: Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta (*id eſt,vno menſe minus,quàm Antichriſtus regnabit*) Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Habebunt poteſtatem claudendi cælum,ne pluat diebus prophetiæ ipſorum : & poteſtatem ſuper aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, ſiue cruciandi quotiescumq; voluerint] Hæc erunt alia prodigia,de quib⁹aliter dici non poſſit, quàm quemadmodum Magi Aegyptij deMoyſis miraculis, quæ ipſi imitari non poterant: *Digitus Dei eſt hic.*Sed Antichriſtiana miracula(*Apocal.13.*) nequaquam parem habent rationē, *Primum* enim quod Antichriſtus *quaſi occiſus in mortem ſanabitur,* Draconis ſeu Diaboli poteſtate fieri poſſe nihil admirandum eſt.nam ſæpe ſiue morbo,ſiue ectaſi vsq; eo hominum ſenſus omnes&naturales vires ac facultates ſiue potentiæ (quas vocant) ſopiuntur , vt bene diu nullum in ijs vitæ veſtigium appareat : vbi quinDiabolus latentes vitæ ſcintillas excitare,ac velut Lucretius loquitur, *reconflare* poſſit, nemini eſt dubium. Sed mortuum iam fætentem reſtituere, quod Chriſtus in Lazaro fecit,digitus Dei eſt, & vires Diaboli ſuperat.*Deinde* quod Pſeudopropheta Antichriſti, Ignem de cælo facit deſcendere, præſtigijs Satanæ fieri poſſe nemo non fatetur Præſtrictis nempe ſiue faſcinatis hominum oculis ea ſpecies obijci poteſt : quæ cauſa videtur eſſe, cur ſcriptura dicat : *Ignem de cælo faciet deſcendere in terram in conſpectu hominum.* id eſt, quemadmodum quidem hominibus videbitur. *Tertium* Antichriſtiani regni miraculum ponitur, quod ſtatua ſiue imago Antichriſti ſermonem edet. In quo non eſt cauſa, cur quicquam diuinę virtutis ineſſe cenſearur,cum Diabolus hodiè quoq; apud Indos paſſim per ora ſtatuarum conſulentibus reſpondere ſoleat, quem aduentantes Catholici Sacerdotes ſiue obmuteſcere, ſiue de fraudibus & impoſturis ſuis palàm confiteri, & in perpetuum ſtatuis illis excedere cogunt. Sed etiam in eo Eccleſiæ & Antichriſti miracula differunt,

Et ſigna mendacia.

Antichriſto regnante magis, quàm vnquam Eccleſia miraculis illuſtrabitur.

Antichriſti miracula.

I.

II.

III.

Ecclesia facit omnia miracula in nomine Iesu.
Antichristus in nomine suo.
Quia se ipsum pro Deo haberi volet.
Deum verum negabit.
Sanctos in cœlis regnãtes contumelijs afficiet.
Miraculorum quæ fiunt in Ecclesia, finis.
Hæreticorũ admonitio.
Hæretici tenentur aut ipsi miracula facere.
Aut nostris cedere.

quòd homines Ecclesiæ non *in nomine suo* veniunt, sed legitimè vocati adsunt, & miracula neq; suæ, neq; cuiusquam alterius, nisi Christi Domini sui, virtuti adscribunt. *In nomine MEO* inquit Christus, *eijcient dæmonia, serpentes tollent* &c. Antichristus autem *veniet in nomine suo* (Ioh. 5, 43.) & sua potestate ac virtute signa facere videri cupiet: *Putabit* seu putare faciet, *quod poßit mutare tempora & leges* Daniel 7. Itaq; adoratores eius dicent: Quis similis ei, & quis poterit pugnare cum eo? *Apocal. 13* Magnificabitur enim aduersus omnẽ Deũ, & aduersus Deũ deorũ loquetur magnifica. Deũ patrũ suorum non reputabit (*non manebit in antiqua maiorum suorum religione*) nec quẽquam Deorũ curabit, quia aduersũ vniuersa consurget, *Daniel 11.* Et aperiet os suum in blasphemias contra Deũ, blasphemare nomen eius (*negabit patrẽ & filium esse Deum, negabit Iesum esse Christum,* 1. Ioh. 2.) & tabernaculũ eius (*Ecclesiam*) & eos, qui in cælo habitant, *siue sanctos cum Christo regnantes, contumeliosè tractabit* Apocal. 13. Itaq; nihil Ecclesiæ & Antichristianismi miracula commune habere facilè, qui attẽdit, perspicit. Nam qui in Ecclesia signa faciunt, appellantur *Christi testes,* quia nihil aliud habent propositũ, quàm illud, quod docent (Christũ scilicet ipsorũ Dominũ, cui⁹ ipsi Legati seu vicarij sint: esse Deũ, & Ecclesiam, Christi regnũ) nõ modo signis, sed ipsa quoq; morte testatũ facere. Et signa quidẽ ea faciũt, quæ Christ⁹ facturos prædixit. *In nomine meo eijcient Dæmonia, serpentes tollent, venena bibent, ægros sanabunt &c.* Sed Antichristus eiusmodi facit signa, quæ vel præstigias esse, vel Diaboli potestate fieri posse nemo intelligens ignorat, & facit eo fine, & consilio, vt non Christus, nec alius quisquam, sed ipse solus pro Deo habeatur. Viderint ergo Lutherani, quam Deo contemptorum tot tam illustriũ Ecclesiæ miraculorum rationem sint aliquando reddituri. Sciunt enim Ecclesię donum Miraculorum simul cum spiritu Dei, miraculorum operatore, ad consummationem vsq; sæculi promissum, & simul ea pertinacibus irrisui fore, aut Diabolo auctore facta visum iri, prædictum esse. quid ni ergò aut ipsi, si Christi testes sunt, falsis Antichristianismi signis, vera sua prodigia opponunt (nam hoc Christi testes Antichristo regnante facturos Apocalypsis prædixit) aut nostris in Christi nomine & ad contestandam Christi ac sponsæ eius gloriam factis cedunt? Quid ni quoniam Diabolos, Diaboli siue permissu siue cessione aut collusione eijci Christus negat, sed diuinam ad id virtutem ieiunio precibusque impetratam requiri docet, quid ni, inquam, Diabolos ex obsessis eijciunt? Vtrum se non velle, an non

non posse dicent? At qui velle in primis debebant, vt se Christi Legatos ac Testes esse non tantùm Diplomate exhibito, siue Verbo Dei ab ipsis nouè interpretato, sed etiam Diplomate obsignato, siue signo Dei, hoc est, miraculis confirmato probent. Tale enim Diploma nisi exhibeant, rectè eis non credimus, velut supra Christus nos docuit, cùm præsertim eo instructos fore Christi testes, aduersus Antichristum pugnantes, ex Apocalypsi iam didicerimus. Reliquum ergò est, vt se non POSSE, itaque nec Christi testes esse confiteantur, quod quidem Lutherus fecit *in Colloquiis Islebiensibus de Diabolo* fol. 256. b. quo loco fatetur, *neque se, neque Lutheranorum quemquam Diabolos posse eijcere, sicut fecerunt Apostoli & Prophetæ immediatè vocati, & peculiari mandato instructi Spiritus immundos eijciendi, aliaque signa faciendi.*] Et fol. 257. b. *Diabolus iam hoc tempore postquam prædicatum est Euangelium, non ita se patitur eijci, sicut in Papatu, quia nequitia eius nobis penitùs est perspecta.* Adde, & ipse nostram nequitiam minime ignorat. Sic enim ipse loquitur in Concione Dominicæ Reminiscere, in libro 27. Concionum, witembergæ & Argentinę anno 1523. in quarto, vt vocant, impresso fol. 19. *Probè Diabolum pernoui, quippe quocum plus vno salis modio absumpserim, & similiter me Diabolus intùs & in cute nouit.* Accipimus ergò, quod nobis dat, apud nos scilicet gratiam eijciendi Dæmonia inueniri (nam quod Diabolicas præstigias interpretatur, nihil nos mouet, cum Christus ita futurum prędixerit) sed Lutherum & Discipulos eius huiusmodi potestatem non habere. Habent ergò Gentiles, cur Catholici, quàm Lutherani fieri malint, quippe qui Diuinam potentiam in Ecclesia lucere videant.

Hæretici debebant Dæmonia eijcere.

Si modò credi sibi velint.

Lutherus fatetur, se ac suos non posse eijcere Dæmonia.

Quia ipsi & Diaboli mutuo se bene norunt.

Lutherus fatetur à Papistis eijci Dæmonia, sed miraculum calumniatur.

CAPVT LXI.

VERUNTAMEN vt etiam illo faciendorum miraculorum dono Ecclesia destitueretur, adhuc tamen alia forent, quæ diuinę potentiæ specimen Gentilibus præberent, cuiusmodi est *Violentia illa*, qua multi Satanam, carnem & mundum, hoc est, insidiosas Diaboli suggestiones, naturales cuiusque ad vitia & affectus procliuitates, omnes denique peccandi occasiones vi pugnando vincunt & pedibus subijciunt. De qua Christus loquitur Matth 11. *Regnum Dei vim patitur, & Violenti rapiunt illud.* Cuiusmodi autem sit Violentia ista, alio loco (Matth. 19.) sic declarat: *Sunt Eunuchi, qui non de matris vtero sic nati, neq; ab hominibus castrati sunt, sed qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælo-*

Aliud diuinæ potentiæ in Ecclesia specimen.

Castrare se ipsum sine Dei digito nemo potest.

Quid sit se ipsum castrare.

Qui Deo vouit, tenetur reddere.

Etiã Christiani quod vouerunt, soluere tenentur.

Qui fidem Deo datam siue votum castitatis irritum faciũt habẽt damnationem.

rum qui potest capere, capiat.] Hęc nempe plusquam humana vis est ac potentia, cùm quis animo suo tantum imperat, vt proper regnum cœlorum sibi ipsi facultatem filios generandi adimat, nõ quidem membra corporis, ei vsui seruientia, abscidendo (nam hoc præcepto, *Non occides*, aduersatur) sed voto continentiæ aut castitatis facto, potestatem ducendæ vxoris in perpetuum abdicando. Nam qui sponte sua Deo vouit, iam aliter, quàm vouit facere sine peccato non potest. *Deut.23.* Cùm Votum voueris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis & facies, sicut promisisti Domino, & propria voluntate & ore tuo locutus es. *Psalm.75.* Vouete & reddite Domino Deo vestro.] Ac ne Rex Iacobus refellere queat, illud ad Synagogam tantùm pertinere, disertim *Ierm.33.* de Ecclesia Christi prædictum legimus: conuertam conuersionem Iuda, & ædificabo eos, sicut à principio: & adhuc audietur in loco isto vox gaudij & lętitiæ, vox Sponsi & Sponsæ, vox confitentium Domino, & portantium VOTA in domum Domini. *Et Isai.19.* In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti *siue Gentilitatis*, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & VOTA vouebunt Domino, & soluent.] Igitur etiam Christiani, qui se ipsos castrant, siue castitatem Deo vouent, soluere votum tenentur, & sine peccato ac damnationis periculo fidem Deo datam irritam facere nequeunt. 1.*Tim.5.* Adolescentiores viduas deuita (*id est, non facilè ad votum continentiæ propter Ministerium Ecclesiæ faciendum admitte*) Cùm enim luxuriatę fuerint, in Christo nubere volunt (*id est, cum pruritum siue tentationem carnis ad fornicationem impellentis non patienter sustinuerint, neque vigiliis, precibus, ieiunijs, flagellis & hypopiasmis ei restiterint, sed molliter succubuerint, ad nuptias animum applicant, sibique persuadent, se Christianum matrimonium contrahere posse*) habentes damnationem, quia primam Fidem *voto siue iureiurando obligatam* irritam fecerunt] Igitur se ipsum castrare propter regnum cœlorum, magnę est violentiæ, nec sine diuina potentia fieri potest, quæ causa est, cur simul dicat Christus: *Qui POTEST capere capiat. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* quibus verbis tantùm abest vt cuiquam votum continentię dissuadeat (velut Lutherus contendit) vt contrà auctor sit & suasor Christianis omnibus continentię vouendæ: siquidem datur omnibus, qui capere volunt, hoc est qui instrumentis siue Medijs, quę ad accipiendam à

Deo

Deo gratiam illam præscripta sunt, vtuntur, cuiusmodi iam esse dixi, labores, vigilias, preces, ieiunia, cilicia, flagella &c. in primis autem deuitatam peccandi occasionem, siue illecebras. Nam si quis otietur, nihil oret, crapuletur, cum mulieribus multum conuersetur, *bonam* denique, vt Plautus ait, *vitam faciat*, is profectò capere non vult. Voluntas enim non ad finem modò, sed etiam ad media, sine quibus ad finem non peruenitur, tendit, eamque ob rem non *Volitionem* tantùm, quemadmodum in scholis loquuntur, sed etiam *Intentionem*, *consensum*, *Vsum*, *Fruitionem & Imperium* complectitur. Rectè ergò Salomon Prou. 13. *Vult & non vult Piger, anima autem operantium impinguabitur*, id est, illi qui opus rusticum faciunt, & agrum suo labore excolunt, vberem messem facient. Piger autem egebit, quia messis vbertatem non vult, sed tantum concupiscit siue desiderat. *Prou. 21.* Desidetia occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari: tota die concupiscit & desiderat.] Ergò desiderium quamuis vehementissimum, ac tale prorsus, vt quis eo pæne emoriatur, nondum est Voluntas, sed adhuc reliqua, quę iam enumeraui, accedant oportet. Nam *Velle* non est sine ratione. Iam verò nulla est ratio, vt illud quis habeat, qui cetera, sinequibus illud haberi nequit, negligit. Itaq; *Piger vult & non vult*, hoc est, imperfectè vult. At enim *qui faciunt iustificationes Dei propter retributionem*, siue, qui vitam æternam vel gradum gloriæ excellentiorem, velut Finem, habent propositum (sicut de se Dauid profitetur Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in omni tempore propter retributionem*) ij *Nimis*, seu perfectè & valde volunt, non tantùm desiderant. Psal. 111. *Desiderium peccatorum peribit* (siue, beatitudine, quam desiderabant, non potientur) *sed beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius VOLET NIMIS.* id est, perfectè volet, nec mediorum, quæ ad beatitudinem adipiscendam Deus Ecclesiæ reliquit, vllum prætermittet. Similiter, qui se ipsos castrant seu continentiam vouent propter retributionem beatitudinis, *nimis volunt*, omniaque faciunt, quę cum ad beatitudinem, tum ad finem ei subiunctum, nempe continentiam, siue continendi POTENTIAM à Deo impetrandam pertinent. Itaque dat eis Deus, vt capiant, siue, vt continere possint. *Omnia possum*, (ait Paulus *Philip. 4.*) siue OMNIPOTENS sum *in eo, qui me confortat. Ex Deo est sufficientia nostra: qui in nobis operatur & velle & perficere*, 2. Cor. 3. & Philip. 2.

Velle quid sit.

Qui Mediis nõ vtitur, is non vult, vel, imperfectè vult.

Velle est rectæ rationis.

Vouentes Castitatem nimis seu perfectè volunt.

Volentibus Deus dat omnia, quæ volunt.

CAP.

Aliud diuinæ potentiæ in Eccleſia Specimẽ.

ALIVD huius Chriſtianorum hominum omnipotentię ſpecimen eſt, quod illo loco Matth. 19. Chriſtus docet: *Si vis perfectus* (ſiue Omnipotens) *eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me,* quibus verbis Chriſtus votum Paupertatis & Obedientiæ ſuadet. nam *ſequi* obedientiam ſignificat. Quantæ porrò potentiæ ſit relinquere omnia, quæ habeas, aut ſaltem aliquando diligenter adnitens habere poſſis, ibidem Chriſtus diuitis adoleſcentis exemplo declarat. Cum enim illud Chriſti conſilium adoleſcens alioquin pius ac probus audiſſet, *abijt triſtis, quia multas poſſeſſiones habebat. Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit In regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergò poterit ſaluus eſſe? Aſpiciens autem Ieſus dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.*]

Relinquere omnia & ſponte paupertatẽ & obedientiã vouere ſine Dei gratia impoſſibile.

Igitur non humanis viribus fit, ſed digito ſiue omnipotentiæ Dei rectè adſcribitur, cùm quis nullam aliam ob cauſam, quàm propter regnum cœlorum, omnia ſua relinquit, ſeque totum, hoc eſt, corpus & animam, intellectum & voluntatem Deo, ſiue alicui, Dei vices gerenti, ſubijcit. Vident ergò Gentiles lucentem diuinam in Eccleſia Catholica potentiam, cùm eorum myriades myriadum ſiue milliones habeat, qui ſe ipſos voto continentiæ facto propter regnum cœlorum caſtrarunt, vtque theſaurum in cœlo haberent, relictis omnibus, alicui Chriſti Vicario ſubiecerũt.

Numerus Monaſteriorum, in quibus ſunt Monachi.

De cuius numeri veritate hinc exiſtimari poteſt, quòd *Paulus IV. Pontifex Maximus*, pactis inter Imperatorem Galliæque Regem inducijs, vt & ipſos & ceteros Chriſtianos Reges, Principes, Reſquepub. ad bellum Turcis inferendum permoueret, hanc etiam conficiendæ pecunię ad belli impenſas neceſſariæ rationem commonſtrauit, cùm Cœnobiorum, in quibus Monachi viuunt, 144. millia, Parochiarum verò 288. millia reperiantur, vt vnumquodque Monaſterium quotannis ſenos aureos cum dimidio, ſiue in ſingulas hebdomadas XV. aſſes, ſiue baioccos, ſiue ſolidos, ſeu crucigeros: Parochiarum verò ſingulæ itidem in hebdomadas vnum aureum conferant: Sic enim quotannis XV. milliones & 912. millia aureorum, id eſt, florenorum Rhenenſium pluſquam XXXI. milliones confectum iri. Atque hinc etiam facile eſt conijcere, quantum animos Gentilium commoueri oporteat, cùm tantas à Pontifice, ſi velit, fortiſſimorum militum copias cuicumque hoſti obijci poſſe intelligunt. Si enim ex vno quoque Monaſterio

Quot milliones auri quotannis ex Monaſterijs & Parochiis facile capi queant.

nasterio nõn nisi decem eligantur (sunt autem plurima Monasteria, quæ multò maiorem robustissimorum Fratrum numerum præberent , ex quibus ceterorum paucitas facilè suppleretur) ex illis 144. Monasteriorum millibus , exercitus conficietur vnius millionis & quadragentorum quadraginta millium : in quo non tam numerus , quam ipsum genus siue qualitas militum admirationem mereatur. Erunt enim plerique omnes, maior quidem certè eorum pars, vigilijs, ieiunijs, frigore, laboribus assueti, & Pontifici non aliter, quam ipsi Deo, religioso obedientiæ Sacramento auctorati, vt pro ipsius auctoritate vri, vinciri, ferrum iugulo excipere non modò non recusent, sed vel in maximæ felicitatis loco numerent. Etquis vmquam post homines natos Rex aut Imperator vsquam fuit, qui cum hac Pontificis potentia & cum eiusmodi non tantùm in corpora fortunasque, sed etiam in voluntates ac pæne cogitationes omnes imperio vel minima ex parte comparari posset?

Quàm ingens exercitus ex Monachis confici possit.

Quales milites Monachi illi futuri sint.

Papa omnium Regum terræ potentissimus.

Tametsi autem Rex Iacobus cõiectura de suis forsan Anglis & purissimis Puritanis ducta, nostrorũ Clericorum ac Monachorũ, & Monialium continentiam suspectam aliis reddere conatur, satis tamen vnius Lutheri testimonium supra cap. X. adductum, omni huiusmodi suspicione eos exsoluit. Fatetur enim Lutherus, *se* posteaquam Germanorum & Anglorum Apostolus factus fuerit, *nequaquam labores, vigilias, orationes, ieiunia, aliasque corporis macerationes sustinere potuisse, quas prius, cum esset Monachus, quindecim annis ampliùs sustinuerat.* Sed vt etiam tanta nostrorum Eunuchorum continentia non foret, adhuc tamen maximę potentiæ specimen in eo Gentilibus exhiberent, quod inducere animum possunt, vt ijs, quæ vel iam habebant, vel aliquando fortassis habere poterant, in perpetuum relictis, & omni proprietate siue dominio eiurato, nutui ac ditioni non eius modò, quem habent cognitum, sed quemcumque deinceps sortiri queant Præpositum, se totos humillimè subijciant, ab eo toti pendeant, non nisi quod, quantumque ei visum fuerit, cibi potusque sumant, cubitum, somnum, vestitum, tectum, omnia denique non vlla sua voluntate, sed vnius *superioris*, quem vocant, iussu ac dispensatione moderentur, & quod omnibus his multò adhuc est potentius, ne sapere quidem aliter aut intelligere, quàm superior iusserit, sibi permittant, sed de rebus, quæ dubio adhuc litis examine pendent, neque summi Pontificis sententia sunt decisæ, eam, quæ vera ipsis videtur sententia, iubente Prælato mutet, & ali-

Religiosorum Catholicorum paupertas & obedientia.

& aliter quàm priùs, non modò disputare, sed etiam sentire incipiant. Atque hæc omnia ea religione & animi demissione ac perinde prorsus faciunt, quasi Christum ipsum præsentem conspiciant, eique se probare cupiant. Et sunt tamen non pauci eorum, magnis familiis editi, atq; etiam Principum regulorumq; filij, deliciis priùs innutriti, fructibus prędiorũ annuis locupletissimi, omnibusq; rebus ornatissimi. quomodo igitur horũ mutatio dextræ omnipotentis nõ adscribi, & Gentilibus admiratio non exprimi videntibus queat? Bonus vir, *ait Seneca*, sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus, exsurgere? Ille dat cõsilia magnifica & erecta. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicẽ, in mediis tempestatibus placidũ, ex superiore loco homines videntẽ, non subibit te veneratio eius? nõ dices: Ista res maior est altiorque quàm vt credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc DIVINA descendit. Animum excellentem, moderatum, omnia tanq̃ minora transeuntem, quicquid timemus optamusq; ridentem, cœlestis potentia agitat. non potest res tanta sine adminiculo numinis stare.] *Hæc Gentilis Seneca.*

CAPVT LXIII.

Aliud diuinæ potentiæ in Ecclesia specimen.

IAM ex altera parte non desunt ne in Laicis quidem Catholicis, quæ non nisi diuinæ virtutis ac potentiæ apud Gentiles opinionẽ habere queant. Cùm enim audiũt in genere Catholicos omnes summos & infimos, secreta conscientię suæ, & quicquid vmq̃ turpe & iniustum vel cogitarunt, dum tamen assensum cogitationi iunxerint, aut saltem in cogitando molestè nihil tulerint, nõ secus quàm ipsi Deo ꝑ tribunali ius reddenti retegere. quomodo fieri potest, vt nõ aliquid de ipsis diuini animis concipiant? Quod enim in Repub. sua tanq̃ diuina Plato finxit, cùm Oratores & Aduocatos à tribunalibus remouit, nec excusationibus aut defensionibus tam accuratis locũ reliquit, sed eum, qui peccauit, sponte sua non citatũ, nec testomonijs conuictũ ad tribunal accedere, sui ipsius accusatorẽ agere, peccatũ cõfiteri, & pænam velut remedium exspectare, si quando etiam iniustè condemnat⁹ sit, æquo animo id sustinere, & tanto meliùs in altero sęculo sibi futurũ sperare iussit: hoc à Catholicis religiosissimè obseruari vident. Sed nec in eo non plurimũ moueri Gentiles necesse est, cùm quas Catholici à se ipsis pœnas peccatorum suorum expetant, intuentur: præcipuè verò in

Confessio peccatorum.

Satisfactio Catholicorum pro peccatis.

Maiori siue *sancta illa hebdomade*, qua Passionis & Mortis Christi anniuersaria memoria recolitur. Tum enim passim videre est, Catholicos diuersis sodalitijs distinctos prelatam Christi crucifixi imaginem lõga serie consequi, & recitando *Pœnitetiales Psalmos* suorum se peccatorum, quæ Christo mortis acerbissimæ necessitatem imposuerunt, in mentem reuocare, ac subinde alios flagella, alios ferreas catenas expedire, ijsq; nuda terga sua strenuè cædere, nec nisi copioso effluente sanguine flagellationis finem facere, velut facturos eos iam olim *Zacharias cap.12.* ita prædixerat: In die illa, ait Dominus, effundam super domum Dauid (*siue Clericos velut supra exposui*) & super habitatores Ierusalem (*seu Laicos*) Spiritum gratiæ & precum (*vt mihi pro Passione mea gratias agant, & preces pro remissione peccatorum ad me fundant*) & adspicient ad me, quem confixerunt (*imagine hominis Crucifixi, quã sibi præferẽdam curant, cõmoniti*) & plangent me, quasi planctu super vnigenitum, & dolebunt super me, vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa erit magnus planctus in Ierusalem sicut Iosiam Regẽ ab Ægyptijs occisum anniuersarijs lamentationibus Ieremie cantorum & cantatricum chori plangere solent (*2. Paral.35.* Et planget terra: familiæ & familie seorsum.] Cuius rei nõ modò nullum omnino apud Hereticos vestigium inueniri, sed neq; mentionẽ aures eorũ admittere satis constat: quin etiam Christo nõ mediocrem eo pacto iniuriam fieri cõtendunt, quasi scilicet ipse iam satis flagellatus nõ fuisse, neq; iustitiæ diuine ꝓ peccatis nostris satisfecisse nobis videatur. qua tamen eorũ calumnia supersederi poterat, si scripturas attentiùs legere didicissent. Nã Christus se Vitẽ, nos Palmites esse dicit Ioh.15. Qui manet in me, *inquit*, hic fert fructũ multum, & pater meꝰ purgabit eum, vt fructũ plus afferat. Sicut palmes nõ potest ferre fructũ à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis: quia sine me nihil potestis facere. Omnem vero palmitem in me (*id est, mihi insitum per fidẽ & baptismum*) non ferentem fructum, tollet Pater meus, & in ignem mittet.] Sicut ergo ridiculus foret, qui diceret: *Vitis fert fructũ. Itaq; ignominia Vitẽ afficit palmes, qui & ipse ferre fructũ cupit.* Similiter fatuantur Lutherani, cùm ꝓpterea quia Christus ꝓ nobis flagellatus fuerit & satisfecerit, nos nec flagellari nec satisfacere debere contendunt. Paulus quidem, ne velut Palmes infructuosus recideretur forasq; mitteretur, ipse se flagellare & (quoniam Ecclesia *ædificatur vt Ciuitas, cuius participatio est in idipsum*, Psal.121. hoc est, cuius Ciues omnes omnia inter se participant & ad cõmunem vtilitatẽ conferunt: ex quo Dauid Psal. 118. *Particeps,*

Supplicationes seu processiones Catholicorũ in die Parasceues anniuersariæ.

Protestantes nolunt pro peccatis Deo satisfacere.

Protestantium fatuitas.

S. Paulus pro se & pro aliis se ipsum flagellauit.

ticeps, inquit, *factus sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*) cùm pro se ipso, tum pro aliis Deo satisfacere conatus est. *1. Cor. 9.* Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne reprobus efficiar.] Pro *Castigo*, Græcè est: ὑπωπιάζω, quod est, sugillo, cædo, liuidum verberibus reddo, siue, vt ait Plautus, *ducentas de tergo do prægnantes plagas*: quæ quia seruilis erat pœna (neque enim hominem liberum cædere flagellis fas erat) rectè dicit Apostolus, *se in seruitutem redigere corpus suũ*, id est, mancipij seu serui cõtumacis more tractare. Hoc aliis locis *Mori* ac *Mortificare* vocat. *1. Cor. 15.* Si mortui non resurgunt, quare ergo periclitor omni hora? Quotidie morior propter gloriam vestram, quam habeo in Christo. *Ephes. 3.* Peto ne deficiatis in tribulationbus meis pro vobis, quæ est gloria vestra *2. Cor. 4.* In omnibus tribulationem patior: semper in mortem trador propter Iesum: semper mortificationem Iesu in corpore meo circumfero: Omnia autem propter vos, vt gratia (*boni operis mei siue paßionis* (abundans per multos, abundet in gloria Dei. *2. Cot. 6.* Sum quasi moriens, & ecce viuo: vt castigatus (*nempe flagellis*) sed non mortificatus.] *Nec enim tam facile Catholicos flagellatio, quàm crapula Lutheranos mortificauerit.* 2. Cor. 12. Ego libentissimè impendam (*quæcumque habeo bona opera*) & superimpendar ipse pro animabus vestris.] Quid igitur? dicent Lutherani: nonne Christus dolores nostros, quos portare nos debebamus, ipse portauit? nonne *vulneratus est propter iniquitates nostras? nonne Disciplina pacis nostræ super eum?* id est, nonne ipsius disciplina siue flagellatio pacem cum Deo nobis peperit?) *& nonne liuore* siue hypopiasmis *eius sanati sumus*? nonne ipse impendit & *posuit pro peccato nostro animam suam*? *nonne ipse peccata multorum tulit & pro transgressoribus rogauit?* quid ergò tu, Paule, pro animabus aliorum impendere bona opera & passiones tuas, atque adeò ipse superimpendi postulas? Respondet Lutheranis Paulus *Colloss. 1.* Gaudeo in passionibus meis PRO VOBIS, & adimpleo ea, quæ DESUNT passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. *2. Tim. 2.* Omnia sustineo propter Electos, vt & ipsi salutem cõsequantur, quæ est in Christo Iesu.] Nempe omnes Pauli passiones, quas pro saluandis aliorum animabus sustinuit, omnem suam vim ex Christi passione, velut palmes fructuosus omnem à vite succum, traxerant. *quia sine me nihil potestis*, ait Christus. Iam verò Palmitem multos fructus ferre, in ipsius Vitis commendationem redundat. nam succi optimi plena esse, ex palmitis fructu deprehenditur. Itaque Paulus omnes ad voluntarias passiones siue satisfactiones cohortatur. *Coloss.*

Mori & Mortificare se ipsum quotidie Christianorum est officium.

Lutheranorum aduersus S. Paulum argumentatio.

Responsio S. Pauli.

Pauli passiones in Christi gloriam redundabant.

los. 13. Mortui estis & vita vestra est abscondita cum Christo (*id est, in baptismo Christo promisistis Christo, non carni victuros*) Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram *id est, ieiunio, cilicio, flagello, labore ac vigilia ita perdomate, vt se velut mortua non commouere. nec contra Spiritum concupiscere queant, quod Iudas in Epistola sic exponit* : Odio habete eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam *Galat. 5.* Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus Spiritum : Spiritus autem aduersus carnem : Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.] Sicut enim homo in cruce confixus nihil se aduersus eum, à quo confixus est, commouere potest : Similiter, quorum caro ieiunijs, vigilijs, laboribus, cilicio ac flagellis coërcetur ij, carnis opera non perficiunt, neque carni aduersus Spiritum concupiscenti assentiunt. Atq; hoc est, quod etiam Christus à suis discipuils requirit *Matth. 10. & Luc. 14.* Qui non accipit Crucem suam & sequitur me (*id est, qui me non imitatur patiendo ac se ipsum velut crucifigit*) & non odit animam *siue vitam suam*, non potest meus esse discipulus, & non est me dignus] Quod autem huiusmodi passionibus & crucifixionibus, Christi imitatione & virtute siue operatione susceptis, satis facere pro peccatis Deo possimus, hoc amplius *1. Cor. 11.* Paulus docet : Quia vos indignè ad mensam Domini accedere, nec dijudicare corpus Domini, siue à pane corporali distinguere non soletis : *ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt* siue mortui sunt *multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Apparet Corinthios illos, qui indignè manducati corporis Domini siue morte, seu morbo pœnas dederant, pœnitentiam peccati sui egisse. Alioquin enim damnati certò fuissent, sicut *Luc. 13.* Christus denunciat: *Nisi pænitentiam egeritis, omnes peribitis.* At enim ideò Deus Corinthios illos morbo aut morte affecit, ne cum mundo damnarentur. Itaq; cum iam peccati remissionem per pænitentiam obtinuissent, adhuc pænam aliquam Deo luere necesse habuerunt. *Non te quidem faciam in consummationem* (ait ipse Ierem. 30.) *sed tamen castigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.* Sed si se ipsi iudicare, pænasq; à se ipsis sponte sua expetere voluissent, docet hic Paulus, eos pœnam Dei sinè dubitatione euadere potuisse : vt ita nihil dubitandum sit, quin rectissimè faciant Catholici. cùm Deo pro suis & fratrum peccatis per sui castrationem, paupetatē, obedientiam, ieiunia, preces, vigilias, cilicia ac flagella satis facere conantur.

Mortificare se ipsum quid sit?

Crucifigere carnem suā quid sit?

Omnes Christiani debent se crucifigere.

Qui se ipsum mortificat, Deo satis facit pro peccatis.

Corinthij tenebantur Deo satis facere.

SI qnis iam ex Lutheranis quærat, cuiusmodi *Potentiæ diuinæ* speci-men apud ipsos inuenire Gentilis homo queat, non equidem quid responsuri sint, suspicari possum, cùm Lutherus nihil sua Ecclesia imbecillius ac debilius inueniri posse vltrò fateatur. Nam Tomo 3. Ger. witt. parte 2. in comment. Psalmi 45. fol. 42. b. *eius talem esse dicit speciem, vt nullus Diabolus tam elumbis, eneruis & infirmus sit, quin ei multum viribus præpollere videatur : immò verò eam propemodum ipsius Diaboli, non Christi sponsam apparere.* Ac nequis ei minùs hac de re credat, eo quẽ supra cap. II. laudauimus loco, causam his verbis exponit: *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis Diabolis obsidentur, cùm antea* (priusquam Lutherani facti forent) *vnico tantùm Diabolo obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendida Euangelij luce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multò denique deteriores, quàm prius in Papatu fuerant*] Itaq; nihil errauit, cùm Diabolum Lutheranorum suorũ Deum ac Principem esse dixit Tom. 3. Ger, Ien. in Epistola de libro aduersus rusticos fol. 147. a. §. 2. & Tom. 2. witt. fol. 266. b. *Quis nostrum tam POTENS est, vt animo suo inperet? quis tam POTENS, vt Diabolo & carni resistat? Non est nobis possibile, vt vel minimo peccato resistere POSSIMVS, siquidem scriptura dicit, NOS à Diabolo captiuos teneri, velut à Principe & DEO nostro, vt cogamur facere, quicquid ipse vult NOBISQVE inspirat*] Locus scripturæ est iste *2. Tim. 2.* Qui resistunt Veritati, à Diabolo lequeis captiui tenentur ad ipsius voluntatem] *Et 2 Cor. 4.* Euangelium his opertum est, qui pereunt: in quibus DEVS huius sæculi (*siue Diabolus*) excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij] Nos contrà Catholici Christũ habemus Principẽ, Ezech. 34. *à quo*, velut dixi, *est sufficientia nostra* 2. Cor. 3. in quo nos confortante omnia possumus, *Phil. 4.* Diabolo nempe fortiter in fide resistere, *1. Pet. 5.* & ignita eius tela exstinguere, *Ephes. 6.* ipsum deniq; sub pedibus nostris conterere, *Rom. 6.* sed alia longè est Lutheranorũ ratio, qui septenis singuli Diabolis obsessi, ne minimo quidẽ peccato possunt resistere, nedum illi se ipsos castrare, sua omnia inter pauperes distribuere, alicui aliter velut Christo se totos subiicere, cilicio indui, ieiuniis & orationibꝰ adsiduis instare, flagellis deniqj se ipsos concidere possint. Non hoc eorũ Deus ac Princeps ipsis permittit, sed eos nõ aliter, quàm Porcorũ quondam gregẽ, in profũdũ vitiorũ omniũ ptæcipites abripit, si tamẽ Luthero rursũ credi fas est, cùm in Com.

Apud Protestãtes nullã potentiam diuinam videre Gentiles possunt.

Protestãtes nullam prorsus habent Potentiam

Coguntur obedire Diabolo.

Catholici potentes sunt ad resistendum Diabolo.

Diabolus Protestantibus velut Porcis vtitur:

1.Cor.15. Tomo 1. Ger. witt. parte 2. fol. 56. b. & Tomo 1. Lat. wit. fol. 161, 162. ita de suis discipulis scribit: *Trasonicè iactare audent, sibi iam nullo Prædicatore opus esse. nam futuræ vitæ rationem habent nullam. sed sicut credunt, ita viuunt sunt & manent SVES: credunt sicut sues, & sicut sues moriuntur.* Ipsorũ tamen Lutheranorũ optionẽ esse volo, vtrũ se pro suib⁹ an Lutherũ, subulcũ suũ, pro homine mendacissimo haberi malint. Mihi satis est, rebus maximè necessarijs ac perspicuis vicisse, nullam prorsus apud ipsos diuinæ potentiæ partẽ lucere, quæ hominẽ Gentilẽ admiratione aliqua completum ad amplectendam ipsorum fidem possit allicere. Quid, quod eò demẽtiæ deuenerunt, vt non iam illos qui se ipsi ꝓpter regnũ cęlorũ castrant, siue virginitatẽ aut continẽtiam Deo vouẽt ac seruant, sed qui primam fidẽ irritam faciunt ac periurio violant, inter suos Miraculorũ patratores numerent? Luther⁹ enim *in Epistola ad Comites Mansfeldicos* narrationi suæ de sanctimoniali quadam Virgine, quę monasterij claustra perfregerat, præmissa *Tomo 6. Ger. witt. fol. 248. & Tomo 2. Ger. Ien. fol. 378.* eo consilio illam à sese historiã in publicũ emitti profitetur, *vt omnes,* inquit, *hoc Dei* (illius nẽpe, quẽ iam modò Lutheranorũ esse Deũ dixit, hoc est, Diaboli) *opus aduertant, & hoc eius miraculum ac prodigium minimè negligant. Nos qui iam Euangelium scimus & Veritatem cognouimus, eiusmodi signa, quæ ad CONFIRMANDVM Euangelium fiunt, idq; promouent, negligere nec debemus nec audemus. Quid tum, quod isti nequaquam por miraculo, vel certè pro Diaboli Miraculo illud habent, qui Euangelium nec norunt, nec nouisse volunt, & Monialium vitam rem Christianam esse credunt? Deus hoc proximo triennio huius generis plura fecit miracula, quæ cum tempus feret, similiter literis ad posteritatem prodentur.*] Quis Gentilis non subitò Lutheranus fiat, atq; hac diuina Euangelij potentia, quæ puellas Deo consecratas, simulac prurire vel subare cæperint, claustra perrumpere, & ad viriles cõplexus properare docet, nõ prorsùs in lapidẽ propter admirationẽ obrigescat? Neq; tamẽ nõ illius quoq; Potẽtiæ illustrissima Gentilis idẽ documenta apud Lutheranos inuenerit, de qua *Isai. 5.* legimus: Qui POTENTES estis ad bibendũ, & viri FORTES ad miscendam ebrietatem: qui consurgitis mane ad ebrietatẽ sectandam & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuatis. Cithara, & Lyra, & tympanum, & tibia, & VINVM in conuiuijs vestris.] Huiusmodi Heroum & fortiũ exitus sic ibidem nobis discribitur: Aperuit Infernus os suũ absq; vllo termino, & descẽdent FORTES eius, & populus ei⁹, & sublimes, gloriosiq; eius ad eũ.] Si quæras, quando? respondebo

Nisi Lutherus mentitur.

Lutheranũ miraculum

Quibus signis Luthero doctrinam suam confirmarit.

Protestantium diuina potẽtia in potando.

tum

tum id fieri, cùm vsuuenit, quod *Ierem. 46.* lego: *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.* De hac porrò, si minùs diuina & plusquam humana, saltem inhumana Lutheranorum suorum potandi ac vorandi POTENTIA & FORTITVDINE ita Lutherus Tom. 6. Latin. witt. in comment. Genes. 47. fol. 630. confitetur: *Fuerunt in Aegypto homines frugales, parcè ac duriter viuentes, non fuerunt Heluones, comedones, Bibones, sicut NOS Germani: quorum vnus aliquis vna die tantum cibi & potus absumit, quantum sufficeisset ad victum centum Aegyptiorum.*] Quomodo ergo hanc tantum eorum Fortitudinem adspiciens Gentilis quispiam non continuò fateatur: *Digitus Dei est hic?*

Vnus Lutheranus æque potēs ac centum Aegyptij.

CAPVT LXV.

Aliud diuinæ potentiæ in Ecclesia specimen.

SED vt ad Ecclesiam Catholicam reuertamur etiam illud diuinæ virtutis opinionē Gētilibus mouere potest, quod tantam Sacerdotibus, & omnino Clericis omnib⁹ obediētiam, reuerentiam, cultumq; Laici deferunt, itaq; concorditer simul omnes in eadem ciuitate habitant. Nec enim Pontifici modo ipsi etiam Reges ac Principes, velut eminentiori potestate prędito, humiliter obediunt, memores eius scilicet, quod in genere Paulus præcipit Rom. 13. *Omnis anima sublemioribus potestatibus subdita sit. nam qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem aquirunt:* Sed etiam ceteris Episcopis, in sua cuiq; Diæcesi magna animi demissione subiacent, velut ab Apostolo eis præceptum est: *Obedite Præpositis vestris & subiacite eis: ipsi enim peruigilāt, tamquā rationē reddituri pro animabus vestris*, Hebr. 13. Neq; verò Regem Iacobum hoc verè à me dici non plus etiam, quam vellet, nuper adeò comperisse credo, cùm librum eius in Pontificem scriptum Catholicorum Regum ac Principum vix vllus oblatum recipere sustinuit: alij, qui & humanitati suæ erga Regem nonnihil dare, nec tamen ab officij religione discedere voluerunt, tametsi librum acciperent, nihilominus eum sibi legere nefas esse seriò simul contestati sunt, vt longè Regem in eo fugerit ratio, cùm Lutheranorum argumenta, quibus suam illi Hæresin tuentur & commendant, ad Regum Principumq; cognitionem, quò nullius priuati liber alioquin adspiraret, Regij nominis ac tituli opera sine vlla dubitatione admissum iri credidit. Sed nempe iam experiundo sensit, neq; se, neq; sapientes illos consiliarios suos, Catholicorum erga Regem seu caput suum Pontificem, obseruantiam perspectam habuisse,

Obedientia Catholicorum erga Pontificē & Episcopos.

Eius Rex Angliæ testis esse potest.

Regis Angli in edendo libro suo consilium.

habuiſſe,neq; cauſſæ quicquam eſt, quin iſta *Iſaiæ* verba cap. 19. rectè in eos conferantur : *Stulti Principes Ianeos, ſapientes Conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. quomodo iam dicet Pharao : Filius Sapientium ego, filius Regum antiquorum?* Aut etiam Regi noſtro à Theogneto dictum putetur:

Regẽ Anglum ſpes ſua turpiter fruſtrata eſt

Πεφιλοσόφηκας γῇ τε κὶ ὐρανῷ λαλῶν,
Οἷς ὐδέν ἐσιν ἐπιμελὲς τῶν σῶν λόγον
Terræ atq; cælo Philoſophatus es loquens.
Queis nulla prorſùs ſermonis cura eſt tui.

Qui ſi Prometheus, quàm Epimetheꝰ eſſe maluiſſet, ex quinto Dauidis Pſalmo, qui inſcribitur *Pro ea, quæ Hæreditatem conſequitur,* (id eſt pro Chriſti Eccleſia, velut Lutherus *Tomo 3. Latin. VVitt. operatione in hunc Pſalmum fol 175.* fatetur, aitque Prophetam orare contra operarios ſubdolos, qui verbo Dei adulterato hereditatem ſeu populum Dei deuorant) minimè fallaci diuinatione conatus ſui euentum prædiuinare poterat. Sic enim anima cuiuſcumque Catholici Regis ibi loquitur. Manè adſtabo tibi & videbo : quoniam non Deus volens Iniquitatem tu es : neq; habitabit iuxta te Malignus, neq; permanebunt Iniuſti ante oculos tuos (*id eſt, quia falſam doctrinam, ſiue Hæreſin abominaris, neque vllum Hæreticum in Eccleſia tua toleras, ſedulò & ſolicitè me in diſcenda & retinenda fide Catholica adhibebo, non dormiam, nec negligens ero in religionis cauſa*) Odiſti omnes, qui operantur Iniquitatem (*id eſt, vt ſupra monui, Hæreſin, ſiue, vt Lutherus interpretatur, peruerſam opinionem de Deo*) perdes omnes, qui loquuntur mendacium *ſeu falſam ſcripturæ interpretationem aut falſam & impiam doctrinam, vt ait Lutherus.* Virum ſanguinum (*qui nihil niſi caro & Sanguis eſt, nec ea ſapere vult, quæ ſunt Spiritus Dei*) & doloſum abominabitur *ſiue abominari ſolet* Dominus. Ego igitur in multitudine miſericordiæ tuæ *confiſus* introibo in domum tuam (*humiliter ſequar, ideò datum à te paſtorem, vt per Eccleſiæ portas Reges Gentium inducat, Iſai. 60.*) adorabo ad templum ſanctum ſuum in timore tuo. Domine deduc me in iuſtitia tua: propter Inimicos (*Hebr.* Inſidiatores, *id eſt, Luthero interprete, ſeductores, falſos operarios & mendaces magiſtros*) dirige in conſpectu meo viam tuam (*vt rectà in via tua, ſiue in vera Religione, incedam, nec ab Hæreticis abducar*) Quoniam non eſt in ore eorum Veritas : Cor eorum vanum eſt (*Hebr.* Interiora

Quomodo ſe Catholici Principes ac Reges aduerſus Proteſtantes cuſtodiant.

Proteſtãtes qua les Catholicorũ amici,

eorum insidię. *Quod sic explanat Lutherus : Non id sapiunt, quod verè docent verba, quæ illi è media Scriptura adducunt, sed id volunt verbis videri significari, quod ipsi sapiunt.*) Sepulchrum patens *& pestilentem doctrinam exhalans* est guttur eorum : linguis suis dolosè agebant (*perdulces sermones & benedictiones conantur seducere corda innocentium, Rom. 16.*) Iudicabis *seu punies* illos Deus (*quomodo autem ?*) Decident à cogitationibus suis (*consilijs suis frustrabunttur, longissimèque à destinatione sua iacebunt &, vt ait Lutherus, non perficient, quæ cogitant aduersus pietatem*) Secundum multitudinem impietatum eorum expelles eos (*ex Ecclesia tua*) quoniam irritauerunt te Domine. Et lætabuntur omnes qui sperant in te, & habitabis in eis (*velut Ecclesiæ tuæ facturũ te promisisti*) & benedices Iusto ; vt scuto bonæ voluntatis *seu beneuolentiæ* tuæ coronabis eum.] *Id est,* tu gratia tua custodies illos, nec in Hæresin induci sines, qui in timore tuo manè vigilant, siue diligẽter ab Hæreticis cauent & in te sperant, neq; dubitant etiamsi ipsi non videant, nec intelligant scripturarũ mysteria, adeoq; nec argumentis Hæreticorum refellendis pares sint, quin Pastores eis dederis, quos tutò in vmbra mortis sequantur, & ab eorum virga ac baculo pastorali regi se sinant, velut proxima Parabola copiosiùs docebo. De huiusmodi *Timidis & in Deo sperantibus*, est locus *Isai.* 50. Quis ex vobis timens Dominum (*sedulo ab Hæreticis cauens, neq; negligenter se gerens.* Nam qui timet Dominum, nihil negligit, sed animaduertit omnia, *Ecclesiastæ 7. & Prou. 28.*) audiens vocem serui sui ? (*Pastoris, qui est fidelis & prudens seruus, quem constituit Dominus supra familiam suam, Matt. 24.*) qui ambulat in tenebris, & non est lumen ei? (*qui suo Marte scripturas non intelligit, neq; lumen siue donum interpretandi Scripturas accepit. Quid ergò huiusmodi facere debet, ne in Hæresin velut in foueam incidat ?*) Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. (*Id est, spem optimam habeat, Deum nequaquam in eo fidem fallere, quod Ecclesiæ suæ Pastores iuxta cor suum, qui Mundi lux essent, daturum se promisit. Ierem. 3.* Introducam vos in Sion (*per quos autem viæ duces ?*) Et dabo vobis Pastores iuxta cor meum, qui pascent vos scientia & doctrina. *Qui ergò in Deo sperat, Pastorem suum* Dei seruum cum face præcedentem *non secus ac Deum ipsum sine turbatione ac dubitatione sequitur, ita vt verbis Ieremiæ 17. dicere queat:* Ego non sum turbatus, te pastorem sequens. *Nam Pastoribus Christus dixit:* Vos estis lux mundi : qui vos audit, me audit. *Ergo ab his illuminari, siue in horum lumine ambulare, & scripturas, vt ipsi iubent, intelligere oportet.*

Rex Anglus decidit à cogitationibus suis.

Catholici vt securi sint, timere debent.

Et sperare in Deo.

Ac sequi Pastorem à Deo datum, velut Deũ ipsum.

ter. Ephes. 3. Mihi data eſt hæc gratia illuminare omnes. *Iſai. 42.* Ducam cæcos, *qui nempe ambulant in tenebris, & non eſt lumen eis, hos igitur per paſtores meos, quibus mandaui, vt cæcos & claudos introducant, Luc. 14.* ducam in viam, quam neſciunt, & in ſemitis, quas ignorant, ambulare eos faciam : ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta : hæc faciam eis, & non derelinquam eos. *Sophon. 3.* In die illa auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & non adijcies exaltari amplius in monte ſancto meo (*id eſt, Laici tui non erunt ita ſuperbi, vt ſcripturas marte ſuo intelligere & Sacerdotum imperio non obedire velint*) Et derelinqnam in medio tui populum (*Laicum*) pauperem & egenum, & ſperabunt in nomine Domini (*id eſt, ſpem in Deo habebunt, rectè ſeſe à Paſtoribus ſuis doctum iri, cum ipſi pauperes Spiritu ſint, nec donum Spiritus, quod ad intelligendas ſcripturas requiritur, acceperint*) Reliquiæ Iſraël non facient iniquitatem (*non interpretrabuntur falſo ſcripturas*) nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua doloſa: quoniam illi PASCENTVR & accubabunt, & non erit, qui exterreat] *Id eſt,* ideò in Hæreſes non incident, quia non ipſi Paſtorum munus inuadent, vt ſcripturas velint intelligere, ſed paſci ſe à paſtoribus ſinent, & iuxta illos accubabunt ac ſecurè quieſcent, neq; à lupo metuent. *Iſai. 29.* In die illa audient Surdi verba Libri, & de tenebris & caligine oculi cęcorum videbunt (*id eſt, qui cæci ſunt, nec ſuis oculis videre aut intelligere Biblia poſſunt, illi in lumine paſtorum ſuorum ambulabunt, & interpretationes eorum audient*) Et addent mites (*ſiue humiles*) in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt. Et ſcient errantes Spiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legem] *Id eſt,* qui priùs Sacerdoti inobedientes fuerant, nec Legem ex ore illius requirebant, adeoq; in ſcripturæ intellectu errabant, illi obedient & ſubiacebunt Præpoſitis ſuis, & Bibliorum ſenſum ab illis humiliter diſcent. Qui ergo in Deo ſpem habet, neq; de fide ipſius dubitat, ille in Paſtoris lumine ſibi prælato ambulat, ac veluti qui per cryptas, ſiue montes caliginoſos, ambulant, viæ ducem manu eius humero impoſita ſtrenuè conſequitur. Sin autem ipſe ſibi lumen accendere, vel ſeſe facibus aliunde acceptis accingere, hoc eſt, ſi ſcripturæ ſenſum non à Paſtoribus legitimis diſcere, ſed vel ipſe nouas interpretationes comminiſci, vel quas Hæretici ſeductores pepererũt, ſequi velit, is habet cur hanc Dei comminationem ibidem loci *Iſai. 50.* pertimeſcat: Ecce vos omnes accendentes ignẽ accincti flammis, ambulabitis

Paſtorum enim eſt alios in tenebris ducere.

Catholici Laici non ita ſuperbiunt vt Proteſtãtes.

Sed patiuntur ſe paſci à paſtoribus ſuis.

Catholici ſe gerunt erga paſtores ſuos velut cæci erga viæ ducem.

Catholici in lumine paſtorum ambulant.

Nõ ipſi ſibi faces accendunt: neq; alienis flammis accinguntur.

ambulabitis in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis] *Hoc est*, in foueam tandem vos incidere, ibiq; cruciabiliter perire sinam. *Lux Impij* (ait Iob. 18.) *exstinguetur, nec splendebit flamma ignis eius Lux obtenebrascet in tabernaculo illius, & lucerna quæ super eum est, exstinguetur. Præcipitabit eum consilium suum* (quod pastori noluit inniti) *Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat.* Quibus verbis Ignem nihil aliud, quàm falsam doctrinam, siue seductionem esse significat, velut & *Prou.16*, Vir Impius fodit malum, & in labijs eius Ignis ardescit, lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam] Sed sapientiores, Dei gratia, sunt Catholici nostri Reges, quàm qui se Regis Iacobi Igne lactari, & in viam non bonam duci patiantur. Itaq; nisi aliquod inter *P*uritanos suos operæpretium Rex faciat, Catholicorum causa Librum iam suum deferendum rectè curabit *in vicum vendentem tus & odores, Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.*

Ignis Hæreticorum falsæ scripturæ interpretatio.

Rex Anglus componendo libro suo oleū & operā perdidit

CAPVT LXVI.

Aliud diuinæ potentiæ in Ecclesia specimen.

IAm neq; non eos Clericorum, qui Episcopis inferiores sunt, magno apud Laicos Catholicos honore esse constat, cùm, verbi gratia, ipsi quoque Reges ad genua sedentis pauperculi Sacerdotis accidere, eique quicquid siue faciendo, siue loquendo, seu deniq; cogitando peccarunt, ordine exponere, sententia eius stare, & quamcumq; ipsis poenam imposuerit, magna animi submissione luendam recipere solent. Sed etiam extra confessionem optimi maximi quiq; honore Sacerdotes præuenire, eis decedere de via προεδρίαν priuatim ac publicè concedere, etiam cùm ostiatim mendicabundos sacco onustos vident, priores caput eis aperire nō dedignantur; neq; pauci sunt quos mane domo prodeuntes fortè obuius capuccinus, aut alius quispiam religiosus Sacerdos, non aliter quàm aliqua læti ominis auis exhilaret, ac velut prosperum totius diei auspicium eis faciat. Quanta Catholicorum in Clericos suos sit liberalitas, nihil me commemorare attinet, cùm res ipsa clarius, quàm Rex Iacobus vellet, vociferetur. Quid his rebus simile apud Hæreticos Gentilis homo inueniat, ex quo diuinæ alicuius potentiæ opinionem concipere animo possit ? Lutherus quidem quanta sit Lutheranorum erga Prædicantes obseruantia & liberalitas, sic nobis

In Confessione.

Extra Confessionem.

Liberalitas Catholicorum erga Ecclesiasticos.

Protestantium erga Prædican-

nobis graphicè describit. *Tomo 8. Ien. in Seria epistola de Ecclesiæ ministro per secularem Magistratum non abdicando fol. 108.* à §. 3. Vos Magistratus non estis Parochiarum & Prędicantum Domini, non fundastis Parochias, neque quicquam ad fundationem contribuistis, & multò minùs iuris ad illa inuadenda habetis, quàm Diabolus ad regnum cœlorum. Non est vestrum, Prædicantes in ordinem redigere, quidque docere, facere aut omittere debeant, eis præscribere. Curate vestrum officium, & Regimen Dei missum facite. Non est cuisquam Subulci puer tam humilis, qui vel vno verbo inclementiùs sibi ab alio Domino dici pateretur. Solus Dei Minister siue Prædicans vnicuique pro Matula esse, omniaq; ab omnib⁹ tolerare cogitur.] Hęc scripsit Luther⁹ anno 1543. quo tempore maximè Latheranismus floruit. Et tamē iam tum pænè infames erant Prędicantes: quod etiam eiusdem Lutheri verba, quæ *in Colloquiis Islebiensibus de Principibus* exstant, satis testantur. *Fol. 441.* b. §. 6. Elector Saxoniæ eiusque consiliarij non priùs nos *Prædicantes* premere desinent, quàm nos concacauerimus: quo facto demum excrementa nostra adorabunt, & pro gratissimis odoribus habebunt. Ipsi sese à nobis liberatos cuperent, & nos ab ipsis missos nos factos vellemus: vt non magni videatur negotij alteros ab alteris separare, velut merdam iam bene maturam, & laxum alui foramen.] *Tomo 1. Germ. witt. parte 2. fol. 160. a. §. 3. & b. §. 1.* Iam diu me prædicandi docendique munere abdicassem, neque me cuiusquam mortalium ad id reducere potuisset opera, nisi tantùm propter Deum facerem, quod facio. Nam quod ad homines, quotidie satis iustam causam haberem sic eis dicendi: Agite me misso facto ipsi vobis consulite, aut alius quicumq; meo loco. Neque res vlla esse potest in toto mundo, cuius tam me pigeat ac tædeat, quàm quod QVOTIDIE tam ingentem ingratitudinem videre ac sentire cogor, eorum maxime, qui amici nostri omnium optimi, fratresque dilectissimi esse debebant. Sed ita nempe vsu venire oportet, quemadmodum Christus ait: Qui manducat panem meum, leuat contra me calcaneum suum, oportet ergò nos hoc *deuorare* ac sustinere, eaque consolatione niti, quod rem omnem propter Deum inceperimus. Si propterea conculcemur pedibus, nobisq; ambæ manus CONCACATÆ merdisque impletæ fuerint, æqui bonique id facere, nec mirari debemus.] Itaque sic mutua Prædicantes cum suis Auditorib faciunt. nam vt Auditores *Excrementa Prædicantium adorant*, sic hi rursum merdas illorum deuorant & æqui bonique faciunt. *Et erit sicut populus, sic Sacerdos* (Isai. 23) & similes habent labra lactucas

tes suos obseruantia & Liberalitas.

Prædicantes ab ipsis Lutheranis panè Infames habentur.

Protestantium ingratitudo erga Prædicantes.

Prædicantes deuorant.

Cùm eis manus concacantur.

cas, *quodq; Lutherus in libro Schemhamphoræ Tomo 8. Ger. Ien. fol. 110. b. §, 6. & Tomo 5. Ger. witt. fol. 511. b. §. 4. de Diabolo ac Iudæis scripsit, hoc rectissime quispiã totidem verbis de ipso Luthero ac Lutheranis dixerit:*

Lutherus & sui discipuli cuiusmodi cõuiuio se mutuò accipiant.

Adeste huc ad osculum. Lutherus concacauit femoralia, ventremque denuò exonerauit. Hæ verę demum sunt Reliquiæ Lutheranis osculandæ, vorandæ, potandę & adorandę: rursumq; Luther⁹ vorare ac perpotare debet, quicquid eius discipuli vomere ac supra infraq; effundere queunt. Hic demum veri hospites & caupones conuenerunt, itaq; vt par erat, coxerunt & apposuerunt, *Mutuaq; inter se læti conuiuia curant.* Lutherus strenuè vorat ac glutit, quicquid Lutherani superiore & inferiore gutture eructant & euomunt, nec aliter in eo delicias facit, quàm Porcus olim in bene magna & pingui Merda pone sępem circiter festũ S. Margaretæ inuenta.] Hæc purissimus Euangelista Regis Angli scriptor, quem ipse Rex cum Iohanne Baptista comparare audet. *Tomo 11. Ger. witt. cõment. Genes. 31. fol. 215. a. §. 3.*

Prædicãtes necesse habent furari.

Habẽtur à suis discipulis pro furibus.

Spoliantur ab iisdem.

Tametsi pessimo sanè loco sint res nostræ tametsi omninò nos Prædicantes FVRARI cogamur, nihilominus alacriter in nomine Domini furari possumus. Omninò enim vrbani ciues & agricolæ, cùm quid nobis dant, se velut FVRIBVS ac prędonibus illud dare persuasum habent.] *Tomo 6. Latt. Vitt. in cõment. Genes. 39. fol. 533. aut 575. & Tomo XI. Ger. witt. fol. 74. & 75.* Nostros Auditores vide. Rustici & Nobiles, Ciues & Magistratus diripiunt ac spoliant eos ipsos, quos alere, iuuare ac fouere, ac contribuere debebant ad sustentandam Ecclesiam, vnde tota ipsorum salus pendet.

Catholicorũ liberalitas erga Ecclesiasticos.

Sed ita fieri oportet, nec est quod aliter fore somniemus. Sub Papatu nullus erat modus nec finis largiendi & conferendi ad impiorum sacrorum conseruationem. Vnde fundationes illæ Collegiorum, principatus Episcoporum Cardinalium & Pontificum regna exstiterunt &c. Illi (*Papa, Cardinales, Episcopi, Abbates, Canonici*) dilatati, incrassati, impinguati sunt (*quidni, Luthere, cùm ita futurum Ecclesiæ suæ Deus promiserit*)

Iam olim per Prophetas prænunciata.

Isai. 60. Tunc videbis, & afflues, mirabitur & DILATABITVR cor tuum, cùm omnis conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Suges lac Gentium & mamilla Regum lactaberis. Pro ære afferam tibi aurum, & pro ferro argentum. *Ierem. 31.* Confluent ad bona Domini, super frumento & vino & oleo, & fœtu pecorum & armentorum, eritque anima eorum, quasi hortus irriguus, & vltra non

Sacerdotes Catholici comedũt pinguedinem.

esurient. Et inebriabo, animam *Sacerdotum* PINGVEDINE, & populus meus bonis meis adimplebitur. *Quid autem futurum*

sit

sit illud, quod Sacerdotes vsque adeo impinguet, supra hac Isaiæ verba nos docuerunt : Vos Sacerdotes Domini Fortitudinem Gentium comedetis. *Psalm. 44.* Filia Tyri, *siue* Tyrus, in muneribus vultum tuum deprecabitur, omnes diuites plebis. *Intelligi autem Sacerdotes siue Episcopos, qui Patribus seu fundatoribus Ecclesiæ Apostolis successerunt, sic ibidem declaratur* : Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. *His igitur Ecclesiæ Principibus Tyrus ac diuites plebis, , siue diuites Laici, munera afferunt.* Psalm.71. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent : Reges Arabum & Saba dona adducent : & adorabunt eum omnes Reges terræ, & dabitur ei de auro Arabię.] De Tyro rursum *Isaias cap. 23.* ita vaticinatur : *Et erunt negotiationes eius & mercedes eius sanctificatæ* siue donatæ aut consecratæ *Domino : non condentur, neque reponentur : quia his, qui habitauerint* (Chald. qui ministrant) *coram Domino, erit negotiatio eius*(id est, Sacerdotibus stantibus in domo Domini, in atrij domus Dei nostri, Psal.133. ea *offerent*, quæ negotiando lucrati fuerint: hi enim sunt, qui dicuntur, *Ministrare coram Domino*, 1.Reg.2, 30.)*vt manducent in saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem*, siue toto vitæ tempore.] Hæc omnia in Ecclesia Catholica completa esse cùm res ipsa loquitur, tum hoc loco Lutherus confitetur, vt mirer qua fronte illam *Psalmi 44.* prophetiam de *Venetorum* ad Lutheranismum defectione interpretari animum induxerit. Sic enim in Commentario Psalmi illius *Tom. 3. Ger. witt. parte 2. fol. 47. b. §. 2.* Sabinorum ritu, quod vult, somnians scribit : *Venetiæ Euangelium recipient, pauperesque & oppressos Christianos liberaliter sustentabunt, & nutrient, vt ita multiplicetur Ecclesia.* Nam in Romanam Ecclesiam tales iam fuerunt Venetiæ, qualis hic Tyrus futura prædicitur, multoq; in eo est verior Lutherus, quod hoc, quem cœpimus, loco scribit:) Illi dilatati, incrassati, impinguati sunt: Nos qui purè docemus verbum magno studio & diligentia, & nihil aliud quęrimus, qnam salutem Germaniæ, acerbissima odia & inuidiam OMNIUM ordinum sustinemus. Si buccellam panis, quam edimus, ex ore nobis possent eripere, nulla id religio eos facere prohiberet. Pastores Ecclesiarum in pagis vide, quàm miserè egestate & fame multi tabescant. Sæpe non habent, quo filiolis suis subuculam emant. Nobilitas vero diripit bona Ecclesiastica non Monasteriorum solùm, sed Parochiarum, à quibus tamen abstinere debebant, vt *Pastores* & Ministri Ecclesiarum inde ali & sustentari possent. Itaque BREVI eò res redibit, vt *Pastori*-bus

Lutherus vaticinatur Venetos fore Lutheranos.

Prædicantes quomodo tractentur à suis.

bus fame pereundum ſit. *Ibidem in comment. Geneſ. 47. fol. 631. in Latino, ſed in Germanico fol. 84.* Principes accipiunt tributa à Subditis. Sed de Scholaſticis & Miniſtris verbi (*id eſt, verba dare ſolitis*) quid fiat, videmus. Niſi ſupereſſet ſpolium Ægypti, quod RAPUIMUS Papæ, omnibus fame pereundum eſſet. Alimur de ſpolijs Ægypti, collectis ſub Papatu, & hoc ipſum tamen, quod reliquum eſt, etiam diripitur à Magiſtratu, ſpoliantur Parochię & Scholæ, non aliter ac ſi fame necare nos velint. Noſter Princeps (*Elector Saxoniæ*) non alit nos de ſuo, ſed de ſpolijs Ægypti &c. Noſtri Principes RAPIUNT & compilant omnia, quæ inueniunt in Monaſterijs & Parochijs.] *Ibidem in comment. Geneſ. 45. fol. 617. ſiue 255. b.* Etiam ij Principes ac Magiſtratus, qui emendationem Eccleſiarum inſtituunt (*ſiue, Lutherani fiunt*) eo prætextu ſpoliant Eccleſias ijs bonis, quæ ad conſeruationem Miniſterij & Scholarum conferendę erant. Eſt exemplum Pharaonis Patriarchis adipem ſiue medullam terræ offerentis excellentiſſimum, ad quod reſpexit Iſaias, cùm inquit: *Reges erunt nutricij tui.* Tales fuerunt olim Theodoſius, Conſtantinus, & alij multi. *qui omnes Catholici fuerunt & Romanos Sacerdotes ita impinguarunt.*) Noſtri Principes tantùm rapiunt & expilant Eccleſias, & quamquam multæ abundant reditibus, tamen pauci inde ſuppeditant, quod ſufficiat in vſus neceſſarios Miniſtrorum & Paſtorum: Exiguum nimis eſt, quod eis dari ſolet. Adipem verò Monaſteriorum & Collegiorum RAPIUNT ipſi, quod quidem in hac βωλιμίᾳ Principum vtcumque toleramus. Sed etiam Brandenburgenſium Apoſtolus *Andræas Muſculus*, Prędicantes promiſcuè ab omnibus Lutheranis pæne Infames reputari conqueritur, cùm vix quenquam ſaluo honore Prædicantem fieri poſſe perſuaſum habeant. Sic enim in libro ſupra citato *de Prophetia* fol. 27. ſcribit: Vt iam quis Principũ Miniſterio ſe conſecret & *Prædicantem* agere velit? prȩoptaret, ſcio numquam ſe in lucẽ hanc prodiiſſe: parentes ipſi eum in primo lauacro aquis ſoffocatum eſſe mallent. Quod ſi etiam aliqui ex noſtris (*id eſt, ciuium & opificum honeſtiorum*) liberis *Prædicantes* fieri fortaſſe cuperent, INFAMIÆ & turpitudinis metu quo volunt, adſpirare nunquam poſſunt. Vſuvenit etiam, cùm quis iuuenis virginem aliquam ſibi in matrimonio locari poſcit, vt eum parentes virginis, aut etiam Virgo ipſa, ſciſcitentur, vtrum *Prędicans* fieri cogitet. Habemus etiam (quod multo magis horrendum eſt auditu) eorum exempla, qui ne repudiarentur, hac lege & conditione matrimonium contraxerunt,

Miniſtri Verbi cur Prædicantes Vocentur. Viuunt rapto.

Proteſtantium Principes Lutherus ſacrilegij inſimulat.

Prædicantẽ eſſe apud Lutheranos Infame quiddam Videtur.

contraxerunt, vt se *Prædicantes* numquam fore iureiurando promitterent. O Deus ne in furore tuo arguas nos.

CAPVT LXVII.

IPSI ergo iam Lutherani viderint, quęnam in ipsorum Ecclesiis diuina virtus ac potentia luceat, qua Gentilis quispiam ad ipsos allici, & ad suspiciendam ipsorum Religionem permoueri queat. nam ego quidem non nisi ea, quę omnes sani iudicij homines longè ab ijs auertere debeant, inueni, tametsi nihil id mirum mihi videtur, qui nihil peius cauere eos sciam, quàm ne qua sancta aut pia actione videantur cœlum mereri, & à Deo gratiam inire velle. Sic enim eos Lutherus suus facere docuit: *Tom. 1. Germ. Ien. de Nouo Testamento siue Missa fol. 339. b.* Caueamus à peccatis, sed MULTO MAGIS à bonis operibus. *In Postilla Wittemb. Dominica nona post Trinit. fol. 124. a. §. 2.* Quod si cœlum apertum viderem, idq; culmo stramineo de terra sublato mereri possem, culmum nequaquam vellem tollere, vt ne possim dicere: Ecce, iam cœlum merui.] *Et Tomo 6. Ger. Witt. aduersus Erasmum fol. 490. b.* Si iusti homines bene operantur, vt consequantur regnum cœlorum, numquam in æternū id obtinebunt, sed magis Impijs annumerandi sunt.] Sed Catholici contrà tum demum rectè se facere putant, si Christi imperio illi audientes se prębeant: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant OPERA vestra bona, & glorificent Patrē vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5. quod quidem vt tanto faciant alacriùs, mercedem siue remunerationē sibi proponere, & illuc vitæ suæ cursum contendere solent. *Apocal. 2.* Esto fidelis vsq; ad mortem (*inquit Christus*) & dabo tibi coronam vitæ. Hanc Coronam spectabat Moyses, velut Hebr. 11. legimus: *Magis elegit Moyses affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro AEgyptiorū, improperiū Christi: Adspiciebat enim in remunerationē.*] Hanc eandem spectauit Dauid Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in omni tempore ꝓpter retributionem.* Hanc Paulus spectauit ipse, nosq; omnes similiter spectare docuit. *Philip. 3.* Quę retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. *2. Tim. 4.* Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidē seruaui. In reliquo reposita est mihi Corona iustitiæ, q̄ reddet mihi Dominus iustus Iudex in illa die. *1. Cor. 9.* Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt,

Gentiles nihil diuini apud Protestantes videre possunt.

Quia cauent, ne luceant eorum bona opera.

Catholici student, vt sua bona opera luceant.

Adspiciūt enim in remunerationem.

Persequuntur brauium.

omnes quidem currunt,ſed vnus accipit brauium?Sic currite,vt comprȩhendatis.Omnis autem qui inAgone contendit,ac omnibus(*iucũdis,Venere præcipuè*)ſe abſtinet:& illi quidẽ vt corruptibilem Coronam accipiant:.nos autẽ(*eo fine & conſilio à rebus licitis & iucundis abſtinemus, vt accipiamus coronã vitæ*) incoruptam. Ego igitur ſic curro,non quaſi in in incertum:Sic pugno,non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo *ſeu flagello* corpus meũ, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauero(*vt opera ſua bona corã hominibus lucere ſinant*)ipſe reprobus efficiar] ſicut ergò Lutherani cum hanc Coronam nequaq̃ ſpectent, non induunt arma lucis,neq; ſicut in die honeſtè ambulant (*Rcm.13.*) ſed faciunt opera tenebrarũ:ita viciſſim Catholici,qui theſaurizare in cœlo ſtudent,qui in remuneratione̅ adſpiciunt, qui brauium in ſtadio currentes perſequuntur,qui propter incorruptibilem coronam in agone certant,& à iucundis abſtinent, *ſunt ſine querela & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos LVCENT ſicut Luminaria in mundo,vt qui eos vident,glorificent Deũ*, tanquam qui diuina ſua virtute & velle & perficere in ipſis operetur, *Philip.2.*

CAPVT LXVIII.

An propagatio Euangelij Lutherani fuerit miraculoſa.

VERUNTAMEN adhuc aliquid habere ſe Lutherani putant, in quo diuinȩ potentiæ ſpecimen vel Gentiles videre poſſint, miraculoſam ſcilicet Euangelij ſiue Lutheraniſmi propagationem, de qua ſic ſcribit Lutherus *in libro de vtraq; ſpecie Tomo 2.Ger. Ien.fol.94.a.* §. *2.& Tomo 7.Germ.Vitt. fol.355.b.* Scio,vnde doctrina mea profecta fuerit, & quis me erexerit. Sed etiam opus ipſum de eo ſatis teſtatur. Quamuis enim PARVORUM illorum SIGNORUM nullum fecerim(quȩ tamen ſi res poſtularet, FORTASSIS facere poſſemus)hoc certè pro MAGNO SIGNO & miraculo haberi debet, quod tam multos à Papatu abduxerim.] *Similiter aduerſus Caprum Lipſenſem Tomo 1.Germ.Ien.fol.365.§.4.& Tomo 7.Ger. witt. fol.147.* Non quidem affirmare auſim,ſed tamen ſpero, me in Dei nomine doctrinam meam cœpiſſe, & purum Dei verbum docere. Sed huius ſpei meæ nullum certius aut efficacius documentum ac MIRACULUM habeo, quàm quod tam ſubitò in OMNEM terram(*exceptis paucis tantùm locis,vt America,Africa,Aſia,Inſulis,& maiore Europæ parte*) propagata fuerit doctrina mea,tantaſq; turbas ac diſſidia commouerit.] In eandẽ ſententiam omnes Concordiȩ libro ſubſcripti Germaniæ Principes, Proceres, Ciuita-

Lutherus parua Miracula fecisse ſe negat. Infra cap.69.

Vnicum & magnum Lutheri miraculum.

Ciuitates cum octo millibus Prædicantum, ludimagistrorum & æditorum, de Augustana sua Confessione in eiusdem libri præfatione magnificè gloriantur: *Eam non nisi quindecim annorum spatio in TOTVM Orbem terrarum sparsam VBIQVE percrebuisse, & in ore & sermone OMNIVM esse cœpisse.* Quæ res si vera esset, magnum profectò videri posset non nemini Miraculum, tametsi veram Religionem non modò fama & auditione, sicut *Mercurium Gallobelgicum*, aut aliam quamcumque rerum nuper gestarum relationem vulgari, sed subtiliter & accuratè à Dei Legatis, legitime missis, non sua sponte currentibus, omnibus Regibus & Gentibus, & quidem efficaciter annunciari, siue persuaderi oportet. *Psal.21.* Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familię gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Manducabunt (*cibum Christi, siue veram Religionem amplectentur*) & adorabunt omnes Pingues terræ *Psal.101.* Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam. In conueniendo populos in vnum, & Reges vt seruiant Domino *Isai.66.* Assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas, & mittam ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad Insulas longè, ad eos, qui non audierunt de me (*qui prius Christiani non fuerunt*) & non cognouerunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino.] Quamuis autem hoc Miraculum in Augustana Confessione non appareat, illud maximi Prodigij monstriq; loco habendum esse non nego, quod hoc tam ingens apertissimumque Mendacium libri Concordiæ Architecti non modò confingere, sed etiam tot Principes & Ciuitates, vt illud suo nomine exire paterentur, inducere potuerint. Quotusquisq; enim extra Germaniam Confessionis Augustanæ nomen vel fando audiuit? cùm etiam illorum, qui ei subscribunt, vix vnus hodie sit, qui Confessionem Augustanam vel semel modò viderit. Tametsi enim minimùm vicies typis impressa fuit, tamen neque vlli eorũ exemplarium cum ceteris, neq; Autographo, quod Carolo V. Cæsari Augustę oblatum, Moguntiæ in Archiuo Imperij seruatur, cum vllo editorum, etiam in maximi momenti rebus, conuenit, quod ego, si res postulet, ipsa autopsia & exhibitis exemplaribus demonstratisq; adulterationibus docere possum. Itaque in istos *fabricatores mendacij & cultores peruersorum dogmatum* (velut Iob ait) rectissimè Dei apud Prophetam verba contulero *Ezech 13.*

Lutherani Principes miraculosam Religionis suæ propagationem iactant.

Omnes Reges & populos Christi religionem amplecti oportet.

Mendaciũ Lutheranorũ pro magno Miraculo habendũ.

Violant me ad populum meum proprer pugillum hordei & fragmen panis, mentientes populo meo credenti mendacijs.

CAPVT LXIX.

Rex duo miracula suæ Religionis commemorat.

REx Anglus, quamuis & ipse miraculosum aliquid in Lutherana sua Religione demonstrare cupiat, quia tamen non ita totus à Predicantibus pendet, sed satis se sibi rem suam sapere putat, & ipse quoque libros nulli Prædicantium pœnitendos scribere didicit, noluit aliquid Regia Maiestate indignum facere, nec ita frontem perfricare, vt Prædicantium istorum more mentiri vellet: sed satis habuit scribere Pag. 138. *Christiani Orbis omniumque in eo ordinum, inde à Regibus liberisque Principibus vsque ad infimæ conditionis homines, pars* PROPE *media in nostram Religionē iam concessit, de Babylone certè exiuit.*]In quo non vereor, ne quis Regi dicam mendacij impingere velit.

Prius; quod prope media Christianorum pars sit Lutherana.

Quot Reges sint Lutherani: quot Catholici.

Nam tametsi Lutherani non nisi Angliæ & Danię Reges habent, quos nostris Catholicis Cæsari, Hispano, Gallo, Vngaro, Polono, Conghio, & qui Regibus æqualem dignitatem obtinent, Alberto & Ferdinando Archiducibus opponant, Principum verò suę partis neminem habent, qui quemadmodum Hetruriæ, Sabaudiæ & Lotharingiæ Principes Liberi vocari possint (nisi velut Lutherum supra fecisse docui, Germaniæ Principes ab obedientia Cæsaris & Imperij absoluere Rex velit) tametsi etiam Respublica hodie nulla est inter Christianos, quin magna saltem ex parte sit Catholica. (Hollandos enim pro Repub. Rex habere nequit, nisi contra quàm filio suo in *Basilico Doro* faciendum monet populis, Principi suo nefariè rebellibus, malo more auctoritatem dare velit) tametsi denique nullo modo credibile est, Catholicos ab ijs, qui Regis participes sunt, numero æquari, nisi Rex omnes Anabaptistas, Schuencfeldianos, Arianos, Antitrinitarios, Hussitas, Nestorianos, Græcos Schismaticos & suos confœderatos Turcas sub ijsdem signis ducere in Catholicos conetur: adhuc tamen nihil est in verbis Regis quod mendacij meritò postulari possit.

Lutherani nullum Principem liberū suæ partis habent.

Nulla Respub. Lutherana.

Vtri numero sint plures Catholici an Lutherani.

Quomodo Rex nihil mentitus fuerit de Lutheranorum numero.

Nam *primum* non simpliciter mediam, sed tantū PROPE MEDIAM Christianorum partem secum facere dicit. *Deinde* non satis constat, quotumnam partem dixerit. Fieri enim potest, vt de *Decima parte* senserit, eam prope mediam cum Catholica Ecclesia dissidere. *Præterea* negare potest, se Catholicos Reges pro Regibus, aut Principes Res-

quepub-

quepub. pro liberis habuisse, cum ipse pag. 139. Imperij ac Reipub. dignitatem ac libertatem in eo positam existimet, vt ne quis Pontificem, aut quemcumq; Deo minorem, se maiorem esse ducat, quod quidem Catholicos parum pensi habere ait Pag. 97. quippe qui se Pontifici humiliter subijciant, eumq; adorare ac pedes ipsius exosculari non detrectent. Quoniam ergò hac via parum sibi successurũ animaduertit, aliud Dei miraculum, quod à Gentilibus scilicet in Ecclesia saltem Scotica perspicuè videri posset, consomniauit, de quo hæc eius verba in Basilico ipsius *Doro pag. 40. & 41.* legimus: Reformata Religio in hanc nostram Scotiam diuino plane miraculo introducta est. Nam cùm multa in illo negotio à concitata multitudine temerè fierent & perturbatè, multi etiam cupiditatum suarum turbine abrepti, cæco animi impetu, & nullo iudicio ad opus illud Dei peragendum (*siue ad introducendum ibi Lutheranismum*) ferebantur &c In illa & rerum & temporum confusione orti sunt quidam igneæ naturæ concionatores (*ad incendia scilicet excitanda nati de quibus Prou. 16. Vir impius fodit malum, & in labijs eius IGNIS ardescit : homo peruersus suscitat lites &c.*) qui eò potentiæ apud populum prouehebantur, vt dulcedinem iam Imperij degustantes, inciperent nescio quam Democraticæ reipub. formam sibi somniare] Nempe res admirabilis Regi videtur, quod homines temerarij cupidi, turbulenti, ambitione excæcati nulloq; iudicio vsi Lutheranismum in Scotiam induxerint. Sed nondum vt id Gentili cuipiam Dei opus, seu Miraculum, videatur effecerit, de quo vno nos hic agimus. Quin imò nos, vt nihil esset aliud, hoc vno saltem nomine Religionem illam meritò impietatis suspectam haberere deberemus, quod eam homines non Dei, sed Diaboli spiritu pleni induxerint. Quibus enim Deus in promulganda Lege sua Legatis vtitur, *eos signat Spiritu promissionis sancto* Ioh. 20. sicut misit me Pater, & ego mitto vos : Accipite Spiritum sanctum *Luc. 4.* Spiritus Domini super me, eò quod ad euangelizandũ misit me] *Quasi dicat* : Cum me mitteret Dominus Spiritu suo me signauit. *Ioh. 6.* Me Pater signauit Deus, *quod ibidem interpretatur* : Pater misit me. *Isai 66.* Ponam in eis, signum, & mittam eos ad Gentes, & annuncient gloriam meam Gentibus] Itaq; Christus *Matt. 7. & 12. ac Luc. 6.* iubet eiusmodi, qui sua sponte, non missi veniunt, seq; Christi Legatos profitentur, ex fructibus eorum cognoscere, vtrum scilicet opera eorum carnis, an Spiritus fructus sint. *Vnaquæq; enim arbor de fructu suo cognoscitur. nam omnis arbor mala malos fructus facit.*

Posterius Lutheranismi miraculum, quod Rex commemorat.

Prodigiosa & plane diuina Lutheranismi in Scotiam introductio.

Prædicantes incendiarij siue ignea natura.

Miraculum illud Scoticũ est signum Diaboli

Legatos suos Deus ornat spiritu sancto.

Ex fructibus iudicandi sunt, qui se Dei Legatos profitentur.

Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Fructus Carnis* *Manifesta sunt opera* (siue fructus) *carnis* (ait Paulus Galat. 5.) *quæ sunt inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, & his similia.* *Fructus Spiritus* *Fructus autem Spiritus sancti est charitas, pax, patientia, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides modestia, continentia* (id est, ab opere coniugali abstinentia, 1. Cor. 7. 9,) *castitas.*

CAPVT LXX.

Quodnam sit grande Lutheranismi miraculum,

NE tamen nihil omnino Serenissimo Regi concedere velle videar, hoc ei sanè do ac largior, vt cùm homines cum eiusmodi carnis fructibus multos discipulos inueniunt, eosque ad oppugnandam Ecclesiam commouent, id pro grandi ac stupēdo miraculo habeatur. Nam ita *Isai. 29.* lego: Ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Miscebit eis Dominus Spiritum saporis, claudet oculos eorum, prophetas & Principes eorum excæcabit. Sic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicauerint contra montem Sion] Sicut autem hoc Regi concedo, ita neq; cum Luthero propterea multū contendero, quod negat se PARVORVM signorum vllum fecisse (cuiusmodi Christus & Apostoli fecerunt, quæ Matth. 10. & 11. recensentur: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, dæmonia eyciuntur.* Horum ergò nullum se fecisse Lutherus verbis supra positis fatetur) sed hoc vnum tamen signum seu miraculum magnum patrasse gloriatur, quod tam multos à Papatu abduxerit. Hoc enim signum magnum esse, Christus ipse docet *Matth. 24.* vbi de Pseudoprophetis nouissimorum temporum vaticinatur. Nam quod semel dicit: *surgent pseudoprophetæ & dabunt* SIGNA MAGNA, hoc aliter sic interpretatur: *surgent pseudoprophetæ & SEDVCENT multos.* Id quod etiam *2. Petri 2.* prædictum inuenio: Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, velut irrationabilia pecora post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulantes, audaces, sibi placentes, in conuiuijs luxuriantes, superba vanitatis loquentes, Dominationem *siue Magistratum* contemnentes: & MVLTI sequentur eorum luxurias, quibus illi libertatem promittent.] Principes

Nempe cæcitas Regū ac Principum Protestantium.

Paruum miraculū Lutherus nullum fecit,

Sed vnum Magnum signum.

Multos nempe seducendo:

Subditisq; libertatem a Cæsaris obedientia promittendo.

cipes nempe ab obedientia Cæsari & Imperio debita absolueuendo, velut Lutherum supra cap. XVI. *fecisse docui.* Ceterùm si vel totum Orbem illo libertatis seu Licentiæ lenocinio ad se pellexisset, adhuc tamen nihil admiratione dignum cuiuis Gentili paulum modo intelligenti fecisse videretur, quippe qui volentes neq; quicquam reluctantes traxerit. Nihil enim ieiunare, numquam peccata confiteri, quicquid libeat, facere, neque dum modò tibi Deum esse propitium credas, quicquam quod verearis, aut eius offensam metuas, habere, eiusmodi est Religio, qua nulla septemtrionalibus accommodatior fingi aut somniari posset, cùm præsertim etiam Principes Ecclesiarum fundos sub suam redigendi ditionem ab eodem Luthero potestatem acceperint, vt tanti eis visum fuerit, relicta maiorum fide hanc nouam tam luculentam & vberem Religionem sequi. Sed Catholicam religionem, quæ tot ieiunia anniuersa indicit, quæ vsuram prohibet, quæ Sacerdoti omnia peccata narrare iubet, quę vigilijs, orationibus eleemosijnis, omnique bonorum operum genere salutem acquiri docet, quæ cùm omnia tua vendideris pauperibusque distribueris, & perpetuo ieiunio, cilicio, continentia, obedientia, flagellatione, humi cubatione, & similibus Deo seruias, adhuc tamen cum spe pauorem, timorem ac tremorem coniunctum habere præcipit: hanc igitur tam insuauem & acerbam Religionem animis maximè Aquilonaribus inserere, non nisi diuinæ potentiæ ac virtutis opus merito vel homini Ethnico se probauerit. Nam etiam Philosophus ille, cur plures multò Epicuræi fierint, quam stoici, rogatus : *quia plures*, inquit, *sunt, qui vngi, quàm fricari malint.* Itaq; Lutherus ipse parum in illo Magno suo miraculo sibi constitit, eamque potiùs Hæresion Notam esse vltrò confessus est. *Tomo 6. Lat. VVitt. in comment Genes. 19. fol. 239. & Tomo 10. Ger. VVitt. fol. 440. b.* Non ludus aut leuis tentatio est, auocari NOVIS & alienis cogitationibus à verbo (*Id est, Nouitas magnam habet vim homines à vera religione abducendi*) Arius cum spargeret venenum suum in mundum, magno applauso acceptus est, quia afferebat aliquid NOVI, hactenus non auditum in mundo. Talia ferè initia OMNIVM Hæresion fuerunt : Obuijs vlnis accepit eos mundus, & sic admiratus est, ac si priores Doctores non fuissent puri] Tale quoq; suæ doctrinæ initium fuisse alijs locis ipse vltro fatetur. *Tomo 8. Ger. Ien. in breui admonitione de Sacramento fol. 181 b.* §. 4. Quoniam eo tempore doctrina hæc nostra NOVA & supra modũ scandalosa erat per vniuersũ Orbem, pedetentim progredi cogebar &c.]

Sed Gentiles nihil eiusmodi magno miraculo commouentur.

Catholicã Religionem septemtrionalibus displicere mirum non est.

Lutherus fatetur suum Miraculũ esse notam Hæreseos.

Quàm

Quàm porrò facile nulliusq; negotij sit, Germanis Nouitate se commẽdare, sic ipse testatur *Tomo 2. Ger. Witt. de soliditate verborum*, Hoc est corpus meum *fol. 122. b. §. 3. & Tomo 3. Ger. Ien. fol. 338. b. §. 3.* Nos Germani eo sumus ingenio, vt quicquid NOVVM est, arripiamus eiq; velut fatui adherescamus, quoq; magis id nobis quispiam adimere conetur, tanto id furiosi⁹ retineamus. Sin autẽ nemo nos impeditũ eat, mox nostra sponte tædio eius capimur, & aliquid aliud Novi exspectamus. Itaq; rẽ factam iam habet Diabolus, vt nulla doctrina tam absurda somniari possit, quin discipulos inueniat, & eo quidẽ citiùs, quo stultior fuerit. Solũ autẽ verbũ Domini manet perpetuo: errores semper iuxta illud oriuntur ac rursũ intereunt] His quidẽ verbis aliud adhuc præter Nouitatẽ cõplectitur, quo Doctrina ipsi⁹ suspecta esse cuiuis sano debet, quia nimirũ exiguo tẽpore durauit, & *quasi solstitialis herba*, vt ait comicus, *paulisper fuit, repentinò orta, repentino occidit*, vt quidem ipse sibi ominatus est. *Tomo 1. Ger. Witt. in comment. Galat 3. fol. 183. b. §. 3. aut 195. §. 3.* Ego profectò metuo, ne post obitũ meum doctrina mea rursum intereat: si quidem ante diem nouissimum horrendis & ingentibus Tenebris atq; erroribus impleri Mundũ oportet] *Tomo 3. Ger. Isleb. in comment. Exodi 18. fol. 387. b.* Si Mundus adhuc aliquandiu stet, uidebitis puram & veram Christi cognitionem (*siue Lutheranam Religionem*) rursum penitus interire, tametsi nomen Christianum permaneat] *Tomo 6. Latin. Witteb. in comment. Genes, 13. fol. 162, a. vel 171. b. & Tomo 10. Ger. Witteb. fol. 300. b.* Accident hęc vt pro Christo Satan, pro Apostolis Hæretici audiantur, Turcæ irruant, Papa regnum suum uindicet & à Verbo nostro abducat) vel etiam his tristiora aliquanto pòst, nobis sublatis, nostris hominibus, quia illam gratiam quam desiderauit Abraham videre, non curant] *Ad oram huius loci adscriptum legimus*, Prophetia Lutheri de tenebris sæcuturis ingentẽ lucẽ nostri sæculi] *In Colloquijs Islebiensibus de verbo Dei fol. 8. b. §. 2.* Existimo ingentes tenebras hanc Euangelij lucem secuturas esse, ita vt Euangelium deinceps nequaquam publicè de suggestu prædicetur, & mox veniet dies nouissimus] *Tomo 3. Ger. Ien. in Epistola ad amicum fol. 141. b. & Tomo 9. Ger. Witt fol. 228. §. 2.* Quoniam finem meum appropinquare intelligo omnesq; cõtra me furere video, vt Doctrinam meam, quæ fortassis post obitum meum rursus supprimetur, proprio exemplo confirmẽ, vxorem duxi.] *Tomo 5. Ger. Ien. in comment. Matt. 7. fol. 433. b. §. 4. & Tomo 4. Ger. VVitt. fol. 82. a.* Vbi sinceri sunt Prædicantes, ibi eis vsu veniat oportet, vt à Nobilitate & à Ciuitatibus eijciantur

Lutherus fatetur Germanos esse curiosos & Nouitatis amatores.

Ac propterea facilè à Diabolo decipi.

Lutheri doctrina etiam ex hoc suspecta, quia non durabilis.

Vaticinia Lutheri de interitu Lutheranismi.

Nota Verorum ac sincerorum Prædicantium.

tur

tur, vel fame enecentur, Hæc enim Euangelij in mundo ſors eſt: cũq; rurſum eò res redierit (ſicut ſæpe ſum vaticinatus, & vereor, ne prophetia mea nimis citò impleatur) vt homines eiusmodi, velut Papa & Epiſcopi, rerum potiantur, iam penitus ſublatum & conculcatum Euangelium, & de Prædicantibus inperpetuum actum erit.] *Tomo 5. Ger. VVitt. in comment. Zachar. 5. fol. 396. §. 5.* Si quis Veritatem docere Prædicans velit, nusquam permanere poteſt. Si ergò diteſcant, neceſſe eſt, vt prædicandis mendacijs homines emungant pecunia & furentur ſicut veteri prouerbio fertur: Mundus vult decipi. Sed omnia huiusmodi mendacia manent impunita, imò etiam oportet ea puriſſimam & ſaluberrimam doctrinam haberi, & qui ea docent, pro veris demum & ſinceris prædicantibus extolli] *In Colloquijs Isleb. de Prædicantibus fol. 235. §. 4.* Breui rurſum eo rem redire oportebit, vt probi, ſinceri ac fideles Prædicantes (*cùm ſcilicet nemo eis dabit, unde vxores & liberos alant.*) cęlibem vitam ducant, & alienis vxoribus ac filiabus vtantur, quæ cùm erga ipſos benè affectæ fuerint, etiam mariti ac patres eos diligere cogentur.

Prædicãtes, qui diu tolerantur, ſunt mendaces & fures.

Fideles Prædicãtes ſunt fornicatores & adulteri.

CAPVT LXXI.

SIc ergo vaticinatur Lutherus, Religionem ſuam non fore vitalem, ſed mox ſimul cum *Prædicantibus* interituram eſſe. Iam quæro vtrum vera an falſa ſit eius Prophetia. Si vera eſt, nemo quicquam diuini intelligere in Lutheraniſmo poteſt, ſed pro humana & commentitia habere doctrinam Lutheri cogitur, id quod ipſe quoq; iudicat *Tomo 2. Ger. Ien. de vtraq; ſpecie fol. 94. §. 3. & Tomo 7. Ger. VVitt fol. 355. b. §. 2.* Si meam doctrinam ſuppreſſerint aut domuerint, Deus certò per os meum non eſt locutus] Hominum enim commenta perdurare non poſſunt, ſed velut idem Lutherus paulò prius dixerat, *iuxta Veritatem oriuntur & rurſum occidunt.* Si eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluitur: Si vero ex Deo eſt, non poterunt homines diſſoluere illud, *Act. 5.* quod ipſum Lutherũ Treuirenſi Archiepiſcopo in comitijs Vormatientibus ſubieciſſe Sleidan⁹ narrat. Prou. 11. *Impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem iuſtitiã merces fidelis.* id eſt, qui ſeminat Veritatẽ, eius opus durat ac perennat: nõ itẽ, qui mendaciũ docet. *Verte impios, et non erunt: domus autẽ iuſtorũ permanebit* Prou. 12. Itaq; de Seductoribus nouiſſimorũ tẽporũ prædicit Paul⁹ *2. Tim. 3.* Quẽadmodũ Ioannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtent Veritati,

Quid de ſuperioribus Lutheri vaticinijs ſentiendum.

Si verũ prædixit doctrina eius non eſt ex Deo.

Nam doctrina quæ eſt ex Deo, perpetuo durat

Sed Hæresion insipientia breui manifestantur.

sed vltrà nõ proficient. Insipientia enim eorũ manifesta erit omnibus sicut & illorũ fuit.] Atq; hoc ipsũ Oseas sub *Ephraim* siue populi seducti figura (*nam omnia contingebãt illis in figura, scripta sunt autẽ ad correptionẽ nostrã, in quos fines sæculorũ deuenerunt*, 1. Cor. 10.) de nostrorũ tẽporũ Hæreticis prædixit: Scitote Israel (*vos Israelitæ*) stultũ prophetã, insanũ virũ spirituale, propter multitudinẽ iniquitatis tuæ, & multitudinẽ amentiæ.] *Quasi dicat*: Propter peccata & stultitiam vestram vobis, ò Protetestantes, Lutherũ stultũ prophetã & insanũ Monachũ dedi. *Sequitur*: Speculator Ephraim cũ Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus est super õnes vias eius] *Quasi dicat*: Cùm Lutherus adhuc Deo adhereret, fuit Theologus & Sacerdos: sed postquam Propheta esse & aliquit noui docere cæpit, laqueus ruinæ, siue seductor in omnibus fidei articulis factus est. *Mox addit*: Ephraim, quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu] *Quasi dicat*: Lutheranismus desijt, nec iam videtur ampliùs, & multitudo discipulorum, in quo gloriabatur, imminuta est, nec deinceps alios pariet. *Sequitur*: Da eis domine. Quid dabis eis? Vuluam sine liberis, & vbera arentia. Non addam, vt diligam eos. (*quare? quia*) omnes Principes eorum recedentes (*chald.* rebelles. *70. Interpp.* Inobedientes *nolunt nempe obedire Præpositis suis, nec subiacere eis. Sed ipsi Episcoporum munus inuadunt*) Percussus est ergò Ephraim, & radix eorũ exsiccata est: fructũ nequaquam facient. Quod etsi genuerint filios, interficiam amantissima vteri eorũ. Quod etsi enutrierint filios suos, absq; liberis eos faciam in hominibus] Hoc idẽ Hæreticis futurũ *Psalmo* 128. prænũciatur, quẽ quidẽ Psalmũ etiam ipse etiam Lutherus de Ecclesia interpretatur: Confundẽtur & conuertentur retrorsùm omnes, qui oderunt Sion: fient sicut fenũ tectorum quod priusquam euellatur, exaruit: de quo nõ impleuit manũ suam, qui metit, & sinũ suum, qui manipulos colligit (*quos Episcopi Dei agricolæ*, Matt. 21. *nequaquam colligunt, nec in Ecclesiam, Dei horreum, inferunt sed potiùs excommunicant*) Et non dixerunt, qui præteribant: Benedictio Domini super vos.] Id est, illi qui iam olim mortui sunt, nihil de illorum Religione sciuerunt, nec cum ipsis communicarunt, quippe cum eorum tẽpore hæc religio nõdum esset exorta. *Præterire*, est mori. *Matt.* 24. Non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. *Iob.* 14 Roborasti eum paululum, vt in perpetuum transiret. *id est*, das ei vitam, sic tamen vt ei postea moriendum sit. *Iob.* 36. si non audierint Dominum transibunt per gladium, *id est*, morientur gladio cæsi. *Psal.* 140. singulariter ego sum, donec transeam. *id est*, donec moriar. Illi ergò *qui præterierunt seu transierunt non benedixerunt illis, qui oderunt Sion*, siue, cum Hæreticis

Hæreses sunt infecundæ

Hæresiõ filij nõ sunt vitales.

Hæretici sunt velut fenũ tectorum.

Superiorum sæculorum homines cum Hæreticis non communicarunt.

Hereticis non communicarunt. *Iohannes epist. 2.* Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite ei Aue dicere, *siue benedicere.* Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis] Sic ergò perspicuum est, si vera sit Lutheri de interitu doctrinæ suæ prophetia eam ex Deo esse non posse, neq; ad Gentes admiratione quadam implendas & alliciendas momenti quicquam habere.

CAPVT LXXII.

SIN autem Lutherus ea, quæ velut Propheta prædicit, mentitur, rursum quam ille induxit Religionem, vera ac diuina esse nequit. nam Mendaces prophetæ habent Spiritū immundum. *Zach. 13.* Pseudoprophetas & Spiritum immundum auferam de terra.] Itaq; Diabolus 2. Paralip. 18. *egreditur & est Spiritus mendax in ore omnium pseudoprophetarum.* Ac propterea iussit Deus ex euentu vaticiniorum de Prophetarum spiritu iudicium facere *Deut. 18.* Propheta qui arogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret: aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur (*Ita discimus, non vnū genus esse Pseudoprophetarum. nam alij in veri Dei nomine ea, Prædicāt, quæ iussi non sunt, hoc est, currunt non vocati sine legitima missione docent: alij nomine falsorum Deorum prædicant, et hi statim cognoscuntur, sed priores non item, qui verum Deum colunt, et ab illo mandatum accepisse se gloriantur*) Quod si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbū. quod Dominus non est locutus? (*id est, vnde scire possum vtrū à Deo missus sit, nec ne propheta?*) hoc habebis signū: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit: hoc Domin⁹ non est locut⁹, sed per tumorē animi sui propheta cōfinxit, et iccirco nō timebis eū] *Quasi dicat:* si semel mentitum deprehenderis, id argumento tibi erit, eum à Deo missum non esse, sed sponte sua, vel spiritu mendacij impulsum prophetam agere voluisse. Iam verò quos Deus non mittit ad prophetandum, eis, nec spiritum suum, siue donum prophetiæ impertitur: ex quo fit, vt qui missi non sunt, propterea quia spiritum illum nō acceperunt, nihil videant, adeoq; nisi si quando casu id, quod prænunciarunt, euadat, mendaciū vaticinari necesse habeant. *Michææ. 2.* Vtinam essem vir nō habens spiritum, ac mendacium potiùs loquerer. *Ezech. 3.* Ingressus est in me spirit⁹, & locut⁹ est mihi, et dixit ad me etc. *Zach. 4.* Et reuersus est angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo, et dixit ad me &c. *Ezech. 13.* Væ

Sin Lutheri prophetia mendax est, etiam doctrina eius est ex Diabolo.

Pseudoprophetæ duûm sunt generum.

Propheta semel mentitus, fugiendus.

Prophetæ à Deo non missi mentiuntur.

prophetis insipientibns, qui sequuntur Spiritum suum (*non Spiritum Domini*) & nihil vident, cùm Dominus non miserit eos. Vident vana & diuinant mendacium. In consilio populi mei non erunt, & in Scriptura domus Israel nō scribentur, nec in terram Israel ingredientur] *Id est,* non erunt membra Ecclesiæ. Sic ergò quiuis colligere potest, cuiusmodi esse Doctrina debeat, quam Lutherus tam mendax propheta discipulos suos docuit: quod tamen multo adhuc fiet manifestius, si quis cum priore ipsius Prophetia hęc, quæ iam reddam, λαπίζματα & triumphalia carmina, ante victoriam tamen cantata, contendere voluerit. *Tomo 2. latin. witt. aduersus Henricum Angliæ Regem fol 333. b.* in hunc sensum vaticinatur an fatuatur: Doctrina mea stabit & manebit, Papa verò cadet, inuitis omnibus inferorū portis. Ad bellum me excitarunt. Bellum igitur habebunt. Oblatam pacē contempserunt. Pacem ergo non habebunt. Videbit Deus, vter nostrū prior fessus succūbat, Lutherus an Papa. Siquidem iam appropinquat Papatûs mors terribilis & ad finem suum peruenit, nemoq; auxiliabitur ei] *Tomo 2. Ger. Ien. in consolatoria ad Miltembergenses fol. 388. b. & Tomo 3. Ger. VVitt. fol. 66. b. §. 4.* Papistæ cogentur Lutherum, Lutheranam doctrinam & Lutheranos homines tolerare, nec poterunt eos, quominꝰ in gloria caput exaltent, impedire: ipsi autem cum Religione sua confundētur & penitùs interibunt, vt etiam totus mūdꝰ repugnet ac Diabolo ilia rūpantur. Si viuimus, pacē præ nobis nō habebunt: Sin morimur, multo etiam minùs pacē habebunt. In summa, missos eos non facimus, nisi pessū iuerint & sponte ad nos accesserint: qua in re nihil eis furor ipsorū proderit. Scimꝰ enim, cuius sit Verbū illud, quod prædicamꝰ. Hæc esto mea PROPHETIA, quæ nequaquam me frustrabitur] *Tomo 12. Ger. witt. in epistola ad Brixium Tonwerde fol. 272. a. §. 3.* Papistæ non volunt Religionē nostram vllo modo tolerare, & tandē tamen inuiti tolerare cogentur, neq; ipsis quicquam in mēdacijs & cædibꝰ erit præsidij. Nam illud est, quod ait scriptura: Deus noster ignis cōsumens est. Et: Verbū Domini manet in æternū] *Tomo 2. Ger. Ien. in admonitione de cauenda seditione fol. 69. & Tomo 2. Ger. VVitt. fol. 70.* sine me adhuc duos annos doctrinam meam prædicare, tum circūspicies & quæres, vbi Pappa, Episcopus, Cardinalis, Presbyter, Monachꝰ, Monialis, campana, turris, Missa, cuculus, cappa, omnisq; Pōtificiæ maiestatis congeries aliquando fuerint. Nimirū in fumū & nihilū cuncta dissipata erunt.] Hoc scripsit anno 1522. à quo tempore nō duos, sed XXIII. & amplius annos tam ipse, quam collegæ eius plurimi nō modo stē torea

Lutheri prophetia superioribus contrariæ, quas solas pro veris vult haberi.

Euentus harū prophetiarū eas mēdacij arguit.

rea voce, ſed etiam calamo in Pontificiam maieſtatem debacchari perſeuerarunt, & in hodiernam vſque diem tot furioſorum Hæreticorum, Schiſmaticorum, Macchiauelliſtarum, Turcarumque millia collatis conſilijs, opibus & copijs Romanam Eccleſiam oppugnare non deſiſtunt: eo tamen euentu, vt ſi qui Gentilis rem omnem accuratè conſideret, ſicut Diabolicam in proiectiſsimo ad mentiendum Luthero vanitatem, inquè Lutheranis ſiue Proteſtantibus ſtuporem incredibilem, ita diuinam quandam in Eccleſia Romana virtutem ac robur ſtatim ſit deprehenſurus, neque dubitaturus quicquam, quin ea ſit ipſius Dei domus, de qua rectiſsimè Chriſti verbis dici queat: *Deſcendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſuper Petram,* Matth. 7.

Romana Eccleſia prorſus inuicta.

Fundata enim eſt ſuper Petrã.

CAPVT LXXIIII.

SECUNDO loco *Diuini* quoque *Amoris* multa illuſtria documenta videre Gentiles in Eccleſia Catholica poſſunt. Neque enim vllum eſt tempus, quo non aliquot Catholici Sacerdotes, in primis Religioſi ſiue Monachi ad ipſos commeent, & verum numinis cultum, ſeu, veram religionem eos doceant: quos cum illi non modò ab omni propriæ vtilitatis ſuſpicione remotos, veræque paupertatis amatores, ſed etiam OMNI PATIENTIA affectos vident, omniaque cruciatuum genera, & ipſam denique mortem æquiſsimis animis ab ipſis ſuſtineri intelligunt, non poſſunt tandem quin ſeſe colligant, & diuinitatem Amoris, qui homines eiuſmodi vel cum præſentiſsimo cruciatuum mortiſque periculo ad ipſos adducit, agnoſcant. *Maiorem hoc Amorem nemo habet, quàm vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis* Ioh. 15. Atqui id non rarò inter homines vſu venit, vt parentes pro liberis, amici pro amicis moriantur. Sed vt quis animum inducat, eius cauſa mori velle, cum quo nulla ipſi amoris cauſa ſit, atq; adeò quem propter ſummam diuinarum ac humanarũ rerum diſsimilitudinem videbatur meritò odiſſe debere, id verò omnem humani Amoris magnitudinem longè longeque ſuperat. Itaque cùm Chriſtum noſtri Amore incarnatum, & crudeli morte affectum fuiſſe, noſtri Sacerdotes prædicant, quia id humanæ rationi abſurdiſsimum videtur, non mediocriter fide prædicationi exemplũ ipſorum conciliat. Minùs enim fit incredibile Chriſtum noſtra cauſa fuiſſe mortuũ, quando ipſius Miniſtros tam promptis animis mortem adire paret. Huius

Diuini Amoris in Eccleſia ſpecimen.

Martyrium eſt opus maximi Amoris.

rei plurima in historiis Martyrum exempla legimus. Et verò ipse etiam Paulus cum se Dei Apostolum probat, non magis miracula sua, q̃ OMNEM PATIENTIAM & mortificationẽ cùm voluntariam, tum aliena violentia illatam, commemorare solet. Atq; hoc modo omnes ferè populos per Pontificis Romani aut Episcoporum cum Pontifice coherentium Legatos, siue Sacerdotes ac Monachos, ad Christi fidem conuersos fuisse, ipsi etiam Magdeburgenses Centuriatores luculentè testantur: id quod etiam supra citatus Isaię locus cap. 66. futurum prędixerat: Venio vt congregẽ omnes gentes & linguas (*cùm scilicet Legatos meos ad Gentes misero*) & assumam Sacerdotes & Leuitas, & ponam in eis signũ (*id est, peculiari Spiritus mei gratia eos signabo*) & mittam ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad Insulas longè, ad eos, qui NON AUDIERUNT de me & non viderunt gloriam meam (*ad Gentiles, qui nihil de Christo priùs sciuerunt*) & annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino.] Hoc, inquam, per Catholicos Sacerdotes impletum esse, ipsi eorum inimici Magdeburgenses vltrò confitentur. Sed Gentium per Hæreticos, maximè Lutheranos aut Caluinianos ad fidem Christi conuersatos nullum exstat exemplum. Nam qui ad Christum eos, qui de ipso nihil audierunt, cupit adducere, is summo Amore præditus sit oportet, ita vt vitam ponere & sanguine suo veritatem obsignare non detrectet. *Bonus Pastor dat animam suam pro ouibus suis* Iohan. 10. Hæretici autem sunt eiusmodi, quibus cum Christo dici queat: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? Cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Cùm enim Amor siue Dilectio sit appetitus seu Voluntas Pulchri, Deus autem solus demum Pulcher sit, à quo reliqua omnia pulchritudinem suam accipiunt, fieri necesse est, vt solus Deus propter se ipsum, reliqua non nisi propter Deum amentur. Iam vero Deus *Hominem ad Imaginem suam creauit*, hoc est, sibi similem & omnium creaturarum pulcherrimam, nisi quod *minuit eum paulò minùs ab Angelis* Psal. 8. Igitur qui Deum amat, Hominem quoque propter Deum amet oportet. *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* 1. Ioh. 4. Sacerdotes ergò Catholici, qui Gentilibus vel cum exploratę mortis periculo Christum annunciant, verè cùm Deum, cuius gloriam annunciant, & propagant, tum homines, quos ad fruendum ipso Deo adductos cupiunt, Amare se declarant. Sed Hęreticus nullus neq; Deũ, neq; proxi-

Gentiles per Catholicos Sacerdotes ad fidem conuertuntur.

Non per Lutheranos aut Caluinistas.

Nam Gentiles conuersurus summo Amore præditus sit, oportet.

Quo carent Hæretici.

Amans Deum, amat etiam proximum.

mum amat, ſed ſe ipſum ſiue ea, quæ in mundo ſunt. Nolite, *ait, Iohannes 1. Ioh. 2.* diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit Mundum, non eſt charitas Patris in eo. Omne porrò quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.] *Concupiſcentia carnis* eſt in ijs, qui gulæ & luxuriæ ſunt dediti, ſiue Intemperantes: *Oculorum* verò, qui auaritia laborant, & ſubinde theſauris ſuis inſpiciendis ſe oblectant. *Superbia* eſt plus ſapere, quàm oportet ſapere, & non ſapere ad ſobrietatem, ſecundum menſuram donationis Chriſti, dona ſua Spiritus ita diſtribuentis, vt alij præſint, alij obediant, alij doceant, alij diſcant, velut priore Parabola ex *Roman. 12.* vberiùs demonſtraui. Si quis ergò, qui donum vt præſit ſiue gubernet, non accepit, ſubiacere non vult, ſed libertatem amat, ſiue liber à Præpoſiti iugo eſſe poſtulat: Similiter ſi cui gratia docendi ſiue interpretandi data non eſt, eam ipſe ſibi aſſumit, & ſe, illum eſſe, qui ſcripturas intelligant, reliquos verò falli & delirare ſibi perſuadet, is ſuperbus eſt & altum ſapit 1. *Tim. 6.* Hæc doce (*tu qui es Epiſcopus*) & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Chriſti (*ſeu verbo Dei*) & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ (*id eſt, Epiſcopis ea, quæ non quidem in ſcriptura totidem verbis exſtant, ſed à pietate tamen non abhorrent docentibus*) SVPERBVS eſt, nihil ſciens. *1. Tim 1.* Quidam conuerſi ſunt in Vaniloquium (*ſiue Hæreſin*) & circa fidem naufragauerunt, volentes eſſe Legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant] *id eſt,* facti ſunt Hæretici, quia cum donum intelligendi non accepiſſent, ſibi tamen ſapere permiſerunt (vt Caluinus de Lutheranis loquitur: *Mundus aliquid ſibi ſapere permiſit*) & ſcripturas ſuo ſenſu interpretandas ſuſcipere auſi ſunt. *Hebr. 13.* Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, tamquam rationem reddituri pro animabus veſtris, vt cum gaudio hoc faciant, non gementes. hoc enim non expedit.] Si quis ergò recuſet Epiſcopo ſubiacere, propterea quod dicat, ſibi ipſi pro fide ſua rationem reddendam fore, neque Epiſcopum ſuo loco ad inferos profecturum eſſe (ſicut Rex Iacobus facere & dicere iubet pag. 139.) is facit ꝙ ſibi non expedit, ſed vehemẽter nocet. Cùm enim Deus Eccleſię ſuæ promiſerit, *Paſtores iuxta cor ſuũ, qui oues ſcientia & doctrina paſcant,* Ier. 3, 15. *Speculatores, qui tota die & tota nocte in perpetuũ non taceant,*

Hæretici neque Deum, neque proximum amant.

Sed ſuperbi ſunt:

Et libertatem amant aut vanam gloriam, ſiue ſcientiæ opinionem.

Hæretici Epiſcopis obedire ac ſubiacere nolentes.

Quòd eos erra- reputent.

taceant, Isai. 62, 6. *à quorum ore Spiritus & verbum Dei in æternum non recedat*, Isai. 59, 21. *qui non ipsi loquantur, sed Spiritus Dei in ipsis*, Matth. 10, 20. cumq; ijs non secus, quàm sibi ipsi omnes Christianos dicto audientes esse iusserit Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: certè non potest quis aliter scripturas, quàm Episcopi docent, intelligere, neq; obedientiam eis negare, nisi idem parum Deo fidei habeat, eumque mendacem esse nec pacto stetisse existimet. quod quanto cum periculo faciat, nihil attinet verbis demonstrari. Deus quidem vt supra docui, mortis supplicio, si quis Sacerdoti obedire & Legis interpretationem ab eo discere nollet, sancire voluit. *Deut. 17.* Si quis SUPERBIERIT nolens obedire Sacerdotis imperio, moriatur homo ille, & auferes malum de Isarel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.] Quin etiam vt Sacerdotum auctoritas tanto magis sanciretur, exemplo terribilis illius pœnæ, qua Core, Dathan & Abiron affecti fuerunt, quid eos maneret, qui Sacerdotibus resisterent, documenrum dedit Numer. 16. Cùm enim illi tres simul cum ducentis quinquaginta principibus populi contra Aaronem summum Pontificem murmurassent, & offerendo incenso munus eius inuasissent: *dehiscens terra* tres illos Hæresiarchas, siue seditionis capita *Cum vxoribus, liberis, omnique familia deuorauit, descenderuntque viui in infernum. Sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta Principes*; qua pœnæ atrocitate nequaquam affecti fuerant, qui vitulum aureum adorarant, vt sciremus eos, qui Sacerdoti contradicunt, grauiùs, quàm Idololatras peccare. Est autem operæ pretium verba, quibus rebellionem præferunt, accuratè considerare: Cùm stetisset (*inquit Scriptura*) aduersum Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis (*Hebraicè*) Multum vobis, *id est, nimium vobis sumitis, cùm soli sacerdotio fungimini*) quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus: cur eleuamini super populum Domini? *id est:* omnis populus est sanctus & sacerdotij capax: quare ergò vobis Sacerdotium vindicatis? Hæc eorum verba sic statim ibidem Moses interpretatur: *Multum erigimini*, siue Multum vobis sumitis, *vt vobis etiam Sacerdotium vindicetis. Blasphematis Dominum, cùm contra Aaron murmuratis. Homines impij estis, quorum tangere rem vllam nemo debet, ne inuoluatur in peccatis vestris, sed procul à tabernaculis vestris recedere.*

Deum mendacij suspectum habent.

Ac propterea interfici à Deo iussi sunt.

Sacerdotibus rebellãtes atrociùs puniti, quã Idololatra.

Exemplum rebellionis aduersus Pontificem.

Impij & blasphemi sunt, qui contra Põtificem murmurant.

CAP.

HOc loco non poſſum non vehementiſſimè mirari, quod Rex Iacobus Præfationis ſuæ pagina 14. ſcribit: *Maledictus, qui maledicit vncto Domini, pereatq; interitu Core, qui peccauit in contradictione Coræ: foras eiuſmodi Canes porciq; eyciantur, extra cœleſtem dico Ieruſalem.*] Nam vt de Canibus ac Porcis nihil dicam, quod ipſe Lutherus *in cõment. Galat. 3. Tomo 1. Ger. witt. fol. 181. a. §. 2.* Sic interpretatur, vt Zuinglianos ſiue *Caluiniſtas*, dicat eſſe *Canes rabidos*, *Lutheranos* autem *lutulentos Porcos*, & vtriſque optat ſub Papæ tyrannide etiamnum manere, quemadmodum etiam *Tomo 5. Ger. Ien. fol. 433. b. & Tomo 9. witt. fol. 82. in comment. Matth. 7.* hæc Chriſti verba: *Nolite ſanctum dare Canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante Porcos*] de Principibus ac Proceribus ſiue Magiſtratibus Euangelicis interpretatur: Nos Prædicantes, *inquit*, habemus illos pro Porcis & Canibus, & denunciamus illis, ne ſpem ſibi faciant, ſe quicquam ex Euangelio à nobis habituros. Interea non curamus, quod legunt & audiunt conciones noſtras, quantum volunt, ſeque EVANGELICOS eſſe gloriantur.] Sed vt hoc prætermittam, quiſquam ne magis Vncto Domini maledicere & cum Core contradicere poteſt, quàm ipſe Rex, qui Papam, ſummum Sacerdotem ſecundum ſimilitudinem Melchiſedec, adeoque multò Aarone ſuperiorem, Antichriſtum eſſe contendit? qui contra Epiſcopos & Cardinales poteſtatem habendorum Conciliorum & interpretandæ ſcripturæ exercentes murmurat, eamque cum Chriſtianis omnibus communicatam cupit? qui Papam nullo iure ſuper ceteros eleuari conquerirur? qui Regibus, Principibus ac Rebuſpub. optat, vt tales fiant, qualis & ipſe eſt, nempe Schiſmatici & Hæretici, qui non modò legendæ, ſed etiam ſuo modo ac more intelligendæ ſcripturæ poteſtatem ſibi ſumant? Hæc enim eius verba ſunt pag. 50. *Prorſus pernego, terreſtrem eſſe aliquem Eccleſiæ Monarcham. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Monarcha eſt, Chriſtique vices explet, quem venturum promiſerat, Spiritus ſanctus. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* (Ergò Spiritus ſanctus dominatur, ſicut Reges gentium, & eſt Chriſti Regis vicarius, ſiue Prorex, hoc eſt Chriſto inferior, Hæc flagitia ſiue monſtra concipere tandem oportuit eum, qui cum Core contradicere volebat) *Nec Chriſtus antequam in cœlos adſcenderet, pollicitus eſt, ſe Petrum, qui Apoſtolos dirigeret ac doceret, relicturum: Sed Spiritum ſanctum ſe in eum finem miſſurum* eſſe *prædixit.*] Certè Apoſtoli erant oues Chriſti, & Chriſtus in cœlum adſcenſurus Petro dixit: *Paſce oues meas*, ſicut eidem ante reſurrectionem præceperat,

Rex Anglus ſibi ceteriſq; Lutheranis malũ precatur.

Caluiniſtæ Canes, Lutherani Porci: Vtrique Papiſtis peiores.

Rex Anglus Coræ ſimilis.

Prædicãtes ſuos Principes pro Canibus & Porcis habent.

Inſania Regi Anglo diuinitus obiecta.

Apoſtoli erant oues Chriſti & Petro Commiſſi.

ceperat, vt *aliquando*, nempe postquam ipse in cœlum assumptus foret, *suos fratres confirmaret.* Iam verò Pastoris esse Oues regere seu dirigere,& docere siue scientia pascere, præterquam quod sensu communi constat,etiam ex scripturis discimus *Psalm. 79.* Qui REGIS Israel,intende:qui deducis velut Ouem Ioseph. *Psalm. 22.* Dominus regit me, in loco pascuæ me collocauit: deduxit me super semitas iustitiæ. *Ierem. 3.* Introducam vos in Sion, & dabo vobis Pastores iuxta cor meũ;& ipsi pascent vos scientia & doctrina.] Itaque Petro quoq;, vt Oues Christi omnes regere,deducere, dirigere ac doctrina pascere seu docere posset,necessaria Spiritus sui dona dederit Christus oportet,sicut Isai.28.promissum fuerat: *Spiritus iudicij erit sedenti super iudicium.*Sed parum de his Regi nostro pensi fuit, qui in animo habebat Coræ aduersus Mosen & Aaronem verba in summum Pontificem & Episcopos Catholicos intorquere:*Nimis multum vobis sumitis,quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populum Domini?* Quin etiam in his eiusdem Regis verbis turbulenti aliquid & Dathanicum atque Abironicum Spiritum intelligo. Pag. 5. *Cardinalatus dignitas nihil est aliud, quàm noua Paparum institutio, quam in immensum excrescere Decessorum nostrorum, Regum, inquam, qui his aliquot sæculis rem Christianam rexerunt,mollis & ad omnia Pontifici conniuens lenitas permisit.* Pag.11.*Abdicandorum Regum*(Hæreticorum scilicet & Tyrannorum desperatorum) *ius nullo legitimo modo Pontifici quæsitum esse censeo, & hanc iniustam Paparum vsurpationem & violentiam sæcularem, Excommunicationis, quæ spiritualis censura est, fines longè lateque excedere arbitror*] quia nimirum non meminit Rex argumenti illius Paulini 1. Cor. 6. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia?* quo loco si *Angelos* interpretarer *Reges,* aliquid ex Regis Iacobi Apologia didicisse videri possem. nam is hoc titulo & honore Reges in scripturis affici contendit. quod tamen de Dauide & Assuero, quibus eam appellationem alij tribuerunt, atque haud scio an de quoquam præterea legitur, cùm de Sacerdote generatim dicatur: *Angelus Domini exercituum est*, Malach. 2. & Ecclesiastæ 5. *Ne dicas coram Angelo:Non peccaui, sed sum innocens:ne fortè Deus iratus huic voci tuæ condemnet cuncta opera manuum tuarum.* Sic enim Lutherus in Germanico reddit, hac addita explanatione: *Noli contra Sacerdotes & Doctores seductionem & falsam tuam doctrinam defendere, sicut mendaces Spiritus & Somniatores siue enthusiastæ faciunt*, quorum imitatorem nunc Regem esse nollem. Sed Pauli argumentum docet, qui Spiritualem

Itaque Petri erat Apostolos regere & deducere.

Dathanismus & Abironismus Regis Angli.

Ecclesia habet iudicium super Angelos & super sæcularia.

Omnis Sacerdos est Angelus.

lem iurisdictionem habeat, eum simul inferiorem, de sæcularibus nempe negotijs iudicandi potestatem, habere. Ex quo conficitur, si Pontifex censuram Ecclesiasticam in Reges hæreticos, siue Tyrannos, distringere, eisque per excommunicationem claudere cœlum possit (quod quidem hic Pontifici Rex tribuere vel relinquere videtur. nam cum potestatem excommunicandi & ius abdicandi Tyrannos contrario nomine opponit, & hoc ius ideò iniustè acquisitum dicit, quia Excommunicationis fines excedat: de excommunicandi potestate non videtur quicquam controuersiæ mouere. quod similiter suspicari me facit, quod pag, 113. scribit: *Neq; me ab ista sententia vllus Pontifex dimouebit* (quę Papam Antichristum esse statuit) *nisi qui nihil sibi iuris esse in temporalibus Principum rebus ac negotiis priùs fatebitur.*) Ex Pauli ergo argumento conficitur, si Pontifex Tyrannum aut Hæreticum (per pusillum namque interest) regno cœlorum priuare per Excommunicationem queat, vt multò magis regnum alicuius non spatiosæ terrę aut Insulæ adimere eidem possit. *In promptu habemus vlcisci omnem inobedientiam* per Excommunicationem. *Sin autem & amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, non erubescam*, 2. Cor. 10. Non quo potestas sæcularis Excommunicatione maior sit, sed quia ijs, qui Paulum arbitrabantur *tamquam secundū carnem ambularet*, siue, qui Paulum vt hominem humilis loci atque ordinis, nec felicius aut illustrius natum quàm Bellarminum Rex insimulat (Pag. 116.) prę ceteris contemnebant, plus in sæculari iurisdictione speciei & dignitatis inesse videbatur. Nunc Abironem nostrum Britannicum porrò audiamus. Ait ergò pag 12. *Pontifices contra auctoritatem scripturarum, contra conciliorum antiquorumque Patrum mentem sibi in temporalia Regum iura & auctoritatem, iniustè Tyrannidem occuparunt: in qua quidem Regum auctoritate asserenda totam meam Apologiam impendi.*] Hoc est; id vnum mihi in Apologia mea fuit propositum, vt docerem, Reges non debere vllam Episcopis, neque ipsi Pontifici obedientiam, ne in rebus quidem fidei, & ad Reges potestatem habendorum conciliorum propriè pertinere. Pag. 118. *Hæc est præcipua, quam nobis Regibus Episcopi inferunt iniuria, quod ius Christianis comune Regibus in Generalibus Concilijs nobis adimant, cùm illorum habendi modum* (nam sic elegantiæ, credo, causa in Anglia dicere malunt, quam, illorum habendorum modum) *penitùs sustulerunt, eorum vi ac potestate ad se pertracta*] Horum omnium verborum summa esse huiusmodi videtur: Numquid parum est vobis Pontificibus atque Episcopis, quod nos Hęreticos ac Tyrannos excommunicatis,

Rex Anglus relinquit Pontifici potestatem excommunicandi Reges.

Ergò multò magis Regem excommunicatū regno Papa spoliare potest.

Ecclesia habet adhuc maiorē potestatē, quàm excommunicationem.

Rex fatetur librum suum esse Tubam rebellionis.

Specimen elegantiæ Anglicanæ.

tis,& quod in vobis eſt,aditu regni cœlorum prohibetis, niſi & dominati fueritis nobis. An & oculos noſtros eruere, ac ſcripturarum interpretandarum habendorumque Conciliorum poteſtatem abrogare nobis vultis?Nequaquam vobis dehinc obedimus.] Nunc videamus,ecquid huius ſimile Corę participes, ac Regis noſtri Patriarchæ dixerint. *Miſit Moyſes ſummus Sacerdos ſæculari imperio præditus, vt vocaret Dathan & Abiron. qui reſponderunt: Non venimus. numquid parum eſt tibi, quod eduxiſti nos ex AEgypto, vt occidere in deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri? Reuera induxiſti nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis. An & oculos noſtros vis eruere? Non venimus.*] Sed non ſolus Rex Iacobus in Coræ contradictione nomen ſuum profitetur. Eandem enim animum habuiſſe pleroſque, qui Lutherani doctrinam primùm amplexi ſunt, ita Philippus Melanchthon *in epiſtolis ad Camerarium Lipſiæ editis fol. 151.* teſtatur: Lutherum nulla de cauſa quidam vt video, amant, niſi quia beneficio (*vel potiùs veneficio & faſcinatione*) eius ſentiunt ſe Epiſcopos excuſſiſſe, & adeptos LIBERTATEM minimè vtilem ad poſteritatem. qualis enim, cedo, futurus eſt ſtatus ad poſteros in Eccleſiis, ſi omnes veteres mores ſint aboliti, ſi nulli certi ſint Præſides? *Et fol. 148.* Vt quod ſentio dicam, vtinam poſſim non quidem Dominationem confirmare, ſed Adminiſtrationem reſtituere Epiſcoporum. Video enim qualem habituri ſimus Eccleſiam diſſoluta πολιτεία Eccleſiaſtica. Video poſtea multò intolerabiliorem fore Tyrannidem, quàm antea vmquam fuit.] Iam nimirum quicquid Regi aut Principi de Religionis cauſa viſum fuerit, id Prædicantes, niſi cum vxoribus liberiſque ſolum vertere & exulatum ire malint, alios docere, omniſque prouincia amplecti ac profiteri cogitur, vnde factũ, vt in Electorali Palatinatu intra 38. annos quinquies Religio mutaretur, nouo Principe nouam populis ſubiectis Religionem præſcribente.

Quare pleri;que Lutherani facti fuerint.

Amore nempe Libertatis.

Hæc ita ſcripta erant abhinc XVI. menſibus.

CAPVT LXXV.

Qualem Amorem habeant Hæretici.

EST igitur, quod Hęretici amant, nihil niſi *Libertas* (q̃ Philippus vocat, ego *Licentiam credendi ac faciendi quicquid libeat*, rectiùs dixero) cùm ſcilicet graue eis accidit Pontificis imperio teneri, neque inuenti alicuius Nouitate ſibi nomen & diſcipulorum Sectam parare poſſe: id quod Paulus teſtatur Act. 20. *Exſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* Sed æquius fuerit ipſum Lutherum de inge-

nio

nio consilijsq; Hæreticorum, hoc est, de se ipso exponentem audire. Verba ipsius *in comment. Genes. 27. Tomo 6. Latin. VVitt. fol. 364. b.* hæc sunt: Id longè est pessimum & tristissimum, quando Ecclesia optimè constituta est, & est consensus docentium & credentium, vnum os, vnum cor, vnus calamus, cum idem omnes docemus & scribimus, & existit aliquis qui turbat hęc omnia, qui vult esse Doctor & Magister, & ad se trahere totam Ecclesiam Hæretici vident, se non posse inclarescere, si maneant in communi societatæ & concordia Ecclesiæ. Quid faciam? dicunt. Nomen meum plane obscuratur, non celebratur in alijs regnis & ditionibus. Tentanda igitur via est, qua me possim tollere humo, vt videant homines, quid possim præstare] *Superbia* igitur est omnium Hæresion mater, cum quis exemplo Core, Dathan & Abiron, Iugum Sacerdotis excutere, seq; si minùs Doctorē ac Ducem ceteris profiteri audet, saltem in libertatem vindicare studet. Itaq; Iudas Apostolus de *Illusoribus* in nouissimo tempore venturis scribit: Hi sunt murmuratores querulosi, & os eorum loquitur superba, qui segregant semetipsos, Spiritum non habentes. Væ illis, quia in contradictione Core peribunt.] Sicut enim Core murmurauit contra Aaronem summum Pontificem, similiter Hæretici sunt murmuratores querulosi contra Pontificem, ac propterea eodē supplicio affici merentur. Itaq; eodem exemplo Paulus Christianos ad obedientiam & subiectionem cohortatur *1. Cor. 10.* Ne murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatione (*Et quia futuros præuidebat Paulus Lutheranos, qui negarent illam Coræ Sacerdoti contradicentis historiam quicquam ad nos pertinere, adeoq; nullum periculum esse, ne quis Sacerdoti siue Pontifici contradicens simili supplicio afficiatur: propterea addit Paulus, quod in primis Lectorem meum obseruare velim*) Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt] Sed alio adhuc loco longè efficaciùs ad asserendam tuentamq; Sacerdotum auctoritatem eadem Corę historia Paulus vtitur. Nam *2. Tim. 2.* scribit: Profana & vaniloquia deuita (*siue prohibe, 1. Tim. 3.*) multum enim proficiunt ad impietatem & sermo eorum, vt cancer serpit (*si suas opiniones proferendi ac tuendi occasionem præbeas Hæreticis*) Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à Veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam (*in baptismo scilicet, in quo anima à peccatis resurgit*) & subuerterunt quorundam fidem (*siue aliquos in Hæresin suam, sicut Core, perduxerunt.*) sed firmum FVNDAMENTVM Dei stat, ha-

Lutheri de Hæresiarcharum natura testimonium.

Superbia & Iugi impatientia Hæresion mater.

Omnes Hæretici sunt Coræ similes in schismate.

Paulus docet, Coræ historiam esse figuram Hæreticorum.

Idem Episcopos cum Aarone, Hæreticos cum Core comparat.

bens signaculum hoc: Cognouit Dominus, qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini] Hic citat Apostolus verba quæ in historia Core *Numeri 16.* apud 70. Interpp. leguntur hoc modo: Cùm audisset Moyses murmurationem Coræ, cecidit pronus in faciem, locutusq; est ad Core & ad omnem multitudinē: cognouit Dominus, qui sunt eius, & Sanctos (*siue Sacerdotes*) adduxit ad se, & quos non elegit sibi, non adduxit ad se. *Et mox*: Ait Dominus ad Moysen: Præcipe vniuerso populo, vt separetur à tabernaculis Core, Dathan & Abiron. Dixitq; moyses ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, (*quod Paulus ita reddit: Discedat ab iniquitate omnis*) & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.] Cùm ergo Hymenæus, Philetus & Alexander superbia inflati blasphemassent (sicut de Core, collegisq; Moyses dicit, *eos blasphemasse Dominum, quia contra Aaronem murmurarint*) hoc est, volentes esse legis Doctores, & aliter quàm Sacerdotes siue Episcopi, docentes, in vaniloquium conuersi essent, et circa fidem naufragium fecissent (velut *1. Tim. 1.* legimus) quia valdè plausibilis eorum videbatur sententia, tam speciosis scripturæ interpretationibus minùs intelligentibus se commēdans, ita vt multos alios in Hæresin suam traducturi viderentur: propterea dicit Apostolus, non esse vllum periculum, ne fides eorum subuertatur, qui tanquam fundamento innituntur auctoritati Episcoporū, quæ his scripturę verbis obsignata & confirmata est: *Cognouit Dominus, qui sunt eius, & discedat omnis ab iniquitate &c.* quasi dicat: Etiam si isti Hæretici per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentiū, siue, tametsi speciosè Hęresin suam ex scripturis de resurrectione mortuorū allegoricè declaratis tuentur, tamē nō commouebūt nec subuertent eos, qui Sacerdotū doctrinæ firmiter innituntur, cum ex historia Coræ sciant, Sacerdotes à Deo electos esse, & Spiritus sancti gratiam ad docendū necessariam per impositionē manuum presbyterij accepisse, sibiq; imperatū esse, vt ab ijs, qui exemplo Coræ Sacerdotibus contradicunt, discedant, & nihil quod ad eos pertinet, hoc est, neq; libros, neq; conciones eorū attingant. Nam paulò post sic se interpretatur: *Si quis emundauerit se ab istis* (si quis se ab Hæreticis mundum conseruarit, ab ijs discedendo, neq; quicquam rei cum ijs commiscendo) *erit vas in honorem, sanctificatum & vtile Domino.* Atq; hæc in gratiam Regis sibi ipsi Coræ interitum imprecantis (quem ego, vt ab ipso Deus auertat, ex animo voueo) disputare hic volui: nunc ad propositum reuertor.

Contra Episcopos murmurare est blasphemare

Auctoritas Episcoporum est fundamentum ab ipso Deo obsignatum.

CAPVT

QVicumq; ergò aliter siue docent, siue docendum putant, quam Sacerdotes siue Episcopi præcipiunt, ij *superbiam vitæ* amant, & Amorem Dei in se non habent. *Charitas enim* (ait Paulus 1. Cor. 13.) *non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt* (sed omnia ad Dei gloriam, ad proximi vtilitatem refert) *omnia credit, omnia suffert*, quæ scilicet Episcopi credenda & facienda imponunt. Atq; hæc est causa, cur Hæretici non abeant ad Gentiles, qui nihil de Christo audierunt, quia *quæ sua sunt, quærunt, & gloriam ab hominibus accipiunt*, seq; propter nouam scripturæ interpretationem, quam siue inuenerunt, siue tuētur, admirationi esse desiderant, quod tantum apud Christianos, non etiam apud Gentiles consequi se posse intelligunt. Itaq; *si & corpus suum tradiderint, vt ardeant, cùm charitatem simul non habeant, nihil eis prodest.* Sed neq; si nonnumquam id fiat, hoc est, si Hæretici flammis cremari, quam sententiam mutare malint, quicquam in eo mirandum intelligentibus apparet. Neque enim nesciunt, difficilius esse homini ambitioso, superbo & se ipsum amanti de sententia sua cuiquam concedere, quam Libidinoso ab adulterio, Helluoni à crapula, Auaro ab iniusto lucro tēperare. Sicut ergò istos amor, vel potiùs cupiditas falsæ vtilitatis & voluptatis vincit, vt istarū rerū causa mortis periculū adire nihil dubitent: ita Hæreticū *contentio* seu Pertinacia hoc est, conceptæ opinionis vel sententiæ suæ obtinendæ ac tuendæ cupiditas, etiam cruciatus ac mortē sustinere iubet. Sed qui inter Gentiles morte afficitur, is non suam, sed Ecclesiæ doctrinam & de Christo sententiam obsignat, idq; non alio fine, nisi vt Christum glorificet, & ipsos Gentiles tanta patientia commotos ad Ecclesiam adducat, sibi ipsi deniq; gloriæ cælestis ius acquirat. Ergò hunc Amor Dei ac proximi ad mortē mittit. Speciē enim Pulchritudinis diuinæ animo cōcepit, eaq; frui desiderat: et cùm intellectu percipiat instrumētorū siue mediorū: quę ad fructū pulchritudinis illius ducunt, nullum esse Gentiliū conuersione præstantius (*nam qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates*, Daniel 12. *Et qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum suorum*, Iacob. 5.) cumq; Gentiles conspecto diuino Christianorū Amore faciliùs permoueri sciat (Itaq; de Apostolica Ecclesia legimus: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Christo, et gratia magna erat in omnibus illis*, id est, magnam gratiam & efficaciam cum Apostoli, tū eorū discipuli habebant ad mouēdos hominū animos. *Erat enim multitudi*

nis

Superbi & inobedientes Episcopis non habent charitatem Dei

Cur Hæretici non laborent de conuertendis ethnicis.

Hæreticos æquo animo cremari nō est mirabile.

Catholici Martyres quid sibi quærant.

Amore Dei impelluntur.

Gentiles mouet Amor, quem in Catholicis vident.

nis cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Itaq; nemo erat egens inter illos) cum deniq; sanguineis præcibus Deum facillimè exorari & conuersionis gratiam Infidelibus impetrari non ignoret (nam qui propter Deum ita proximum amat, vt eius saluti suum quoq; sanguinem impendat, is perfectam habet charitatem, & cum pro persecutoribus rogat, exauditur. Isai. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum. Fortium diuidet spolia* (siue ex errore & Dæmonum potestate homines eripiet) *pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & pro transgressoribus rogauit.* quod de Christo quidem proprie dictum, ad omnes tamen eius vicarios siue Pastores pertinere ipse nos docet *Ioh.10.* Bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis *Matth.5.* Orate pro persequentibus uos.] Itaq; Stephanus quoq; cum lapidaretur, pro inimicis rogauit & Pauli conuersionem impetrauit, *Act.* 7.) cùm igitur Catholicus Sacerdos inter Gentiles constitutus ad fruendum Dei pulchritudine nulla via certius citiusque quàm infidelium conuersione, per Matyrium confecta, perueniri sciat, tanta Dei charitate siue Amore incenditur, vt vitam ponere vel in lucro deputet. *Philipp.1.* Mihi viuere Christus est, mori lucrum. *Hoc est.* si viuo, Christo seruio: sin autem pro Christo morior, vitam æternam lucror. *Rom.8.* Si compatimur (*cum Christo*) & conglorificabimur. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] Nimirum Martyres Dei instituta vtriusq; generis bonorum comparatione, gloriæ cælestis siue fructu pulchritudinis aut visionis diuinæ, & huius caducæ vitæ, cum illud bonũ huic posteriori infinito pręstantius iudicent, magis etiam illud volunt siue amant, adeoq; huius iactura illud redimere nihil dubitant. *Luc.14.* Si quis non odit patrem & matrem, & vxorem & filios, adhuc autem & animam (*siue vitam*) suam, non potest meus esse discipulus. *Matt.10.* Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.] Hic ergò est diuinus ille *Amor*, quem etiam Gentiles in Catholicis Martyribus perspicere possunt. Videamus nunc paulò subtiliùs, quo Diaboli Martyres Amore præditi esse soleant, Hæretici, inquam, illi, qui non à Gentilibus, ad quos, vt dixi, numquam veniunt, sed à Catholicis magistratibus auctoritate legum Imperialium cremantur. Loquor autem de Veris Hæreticis, non de illis, qui simpliciter eis credunt, *dulcibus eorum sermonibus & benedictionibus* (vt Paulus Rom. 16. ait) *seducti*, & ferè à pueris nulla sua, sed omni parentum & amicorum

Deum Martyres facillimè exorant

Cùm perfectam charitatem habeant.

Quid ament Martyres.

Hæretici à Catholicis cremati sunt Martyres Diaboli.

rum culpa in errore educati. Nam hos vt à Catholicis distinguam⁹, Hæreticos vulgò dicimus, quadam nominis Adiectiui forma, velut Grammatistæ loquũtur, quasi *Hæreticios* aut *Hæreticales* dicas, quod Hęreticorum sint *partiarij*, vt ait Tertullianus, sed eos propriè Hæreticos non esse, neq; propter Hæresin, sed propter negligentiam. inconsideratione, aliaq; peccata cum à Deo damnari, tũ à Magistratu puniri, luculentè in *Scaligero Hypobolimæo* demonstraui. Veri autẽ *Hæretici*, definiente S. Augustino *sunt, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusq; sui gratia falsas ac nouas opiniones vel gignunt, vel sequuntur*. Hoc ipsum Spirit⁹ sanctus in scripturis docet. Rom. 16. *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula faciunt contra doctrinam, quam vos* Romani *didicistis* (id est, qui nouam scripturæ interpretationem, in vestra Ecclesia inauditum gignunt, itaq; faciunt, vt alij eam amplexi vobiscum dissentiant) *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones ac benedictiones* (siue, speciosas ac plausibiles scripturæ deprauationes) *seducunt corda innocentium*] Hoc loco duo de Hæreticis affirmat. *Vnum*, eos aliter, quam Romanos docere, siue à Romanis, dissentire: quod nouitatem doctrinæ significat. Romana enim Ecclesia super Petri fidem indeficientem fundata nullo doctrinę vento euerti potest, neque perfidia aut Nouitas ad eam habet accessum. *Alterum*; eis non gloriam Christi propositam esse, sed propriam vtilitatem & gloriam. Vtilitatem, *Venter* significat, cui scilicet luxuriando & crapulando seruiunt. Gloriam propriam siue ambitionem, verbis *seducunt* & *Dissentiones faciunt*, designat, quod Act. 20. dixerat: *surgent* scilicet sua sponte, non vocati, *viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Sic ergo discimus, cùm etiam tradunt Hæretici corpus suum, vt ardeat, in eis tamen charitatem siue Amorem Dei non esse, propterea quia suum Ventrem, siue suam gloriam amant. Et quamdiu quidem nullum eis vitæ periculum ostenditur, ventris sui cultum, Christi seruitio potiorem ducunt. Sed cum ad rogum ductum iri videntur, nempe vel esurire & continere, quam propter opiniones suas conflagrare malunt. Sin autem & mori quàm de sententia decedere præoptant, apertè declarant, non tanti esse eis vitam, quàm Gloriam suam siue scientiæ opinionem, & ab Episcoporum Iugo libertatem. Potiùs igitur vitam amittunt, quàm sese in scripturis intelligendis errare fateantur aut suum iudicium Ecclesię iudicio subijciant. Atque hoc ipsum est supplicium, quo securitatem & superbiam

Hæreticis simpliciter credentes quare puniantur & damnentur.

Hæreticorũ definitio. Sunt, qui se ipsos aut sua amantes à Romanis dissentiunt.

In Hæreticis nõ est Amor Dei.

Hæretici sanabiles.

Hæretici insanabiles.

Pertinacia pœna superbiæ.

biam eorum Deus vlciſcitur, vt videlicet; quia vocem Paſtorum ab ipſo conſtitutorum audire noluerunt, ſed ipſi ſuo Marte ſatis ſapere, recteque Scripturas intelligere ſibi viſi ſunt, iam à Satana faſcinati adeò nihil de opinionis ſuæ veritate dubitent, vt eius cauſa vel cremari æquo animo ſuſtineant.

Digreſſio ad Locum communem de Perſeuerantia & Pertinacia.

Sed quoniam hic Catholicorum Sacerdotum Amor, cuius inſtinctu vitæ ſuæ tam ſunt prodigi, maximam Eccleſiæ diuinitatem arguit: ne vel pauculi illi Hæretici, quos pertinacia ſua mortem iubet contemnere, laudis huius controuerſiam eis facere queant, aut ſimili quodam Amore accenſi videantur: operæ pretium fuerit, naturam & cauſas tantæ eorum pertinaciæ paulò enucleatiùs & diſtinctius indagari.

CAPVT LXXVII.

VT igitur Ariſtoteles VII. *Ethic. IX.* docet ἐμμενετιχῶν τῇ δόξῃ, hoc eſt, *eorum, qui perſeuerant in ſententia* nec opinionem mutant, duo ſunt genera. Alij enim perſeuerant propter rationum & argumentorum vim ac momentum (ex eoque *Perſeuerantia* à Tullio definitur *in ratione bene conſiderata ſtabilis ac perpetua permanſio*) quibus ſi ſolidiores valentioresque pro contraria ſententia rationes afferas, à priori ſententia diſcedunt, eoque laudem merentur. Ratio enim eſt, quæ nos facit homines & à beſtijs diſcernit, cui qui non paret, belluam, quam hominem, rectius dixeris. Poſtulat autem Ratio, vt etiam verum eſſe credatur, quicquid à Deo, tamquam Spiritu Veritatis, qui mentiri neſcit, profectum eſſe conſtat: vt ita nullum hoc loco inter argumenta quæ à ratione & ab auctoritate diuina ducuntur diſcrimen faciendum videatur, eum & ipſa ratio diuinum quiddam ſit; & quamuis humana ratio non capiat, quæ ſunt Dei, numquam tamen auctoritati diuinæ contradicat. Quapropter Apoſtoli diſcipulos ad Perſeuerantiam in ſententia, ſiue Firmitatem Conſtantiamque adhortari ſolent. Tamquam Paulus 2. Tim. 3. *Mali homines & ſeductores* (qui nempe in aſtutia ambulant, falſa interpretatione adulterantes verbum Dei, 2. Cor. 4.) *proficient in peius, errantes & in errorem mittentes* (quomodo? *per dul-*

Conſtantes, qui manent in ſententia propter rationem:

Item propter auctoritatē diuinam.

ces

tes sermones & benedictiones, Rom. 16. id est per plausibiles & sensui hominum Carnalium accomodatas Scripturæ declarationes) *Tu verò* nihil moratus quantumuis acuta & probabilia istiusmodi hominum commenta *permane in his, quæ didicisti, Sciens à quo didiceris.* nempe ab Apostolo, *in quo loquitur Christus* (2. Cor. 13.) *qui Spiritum Dei habet* (1. Cor. 7.) *qui non ipse loquitur, sed Spiritus Dei in ipso* (Matth. 10.) *Similiter 2. Tess. 2. Rogo vos, vt non citò moueamini à vestrò sensu.* Quid autem, mi Paule (poterat Tessalonicensis quispiam rogare) si quis pro contraria aut diuersa sententia rationes tam validas in medium afferat, vt nihil respondere possimus? vtrum non erimus Pertinaces, si maneamus in nostro sensu, inque sententia, quam tueri non possumus? Respondet Paulus : *Num retinetis, quod cùm essem uobiscum, hæc dicebam vobis? Itaque state & tenete Traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. ne quis vos seducat vllo modo.* quasi dicat : Vestri officij est perseuerare in eo, quod à Christi Apostolo vobis traditum esse meministis, tametsi contradictionibus eorum, qui vos à sententia abducere conantur, nihil ex Scripturis possitis respondere. Scitis enim Apostolos *Christi sensum habere* (1. Cor. 2.) & Christum siue ipsum siue per Spiritum suum *aperuisse Apostolis sensum, vt Intelligerent scripturas*, Luc. 24. & Iohan. 14. Vnde autem, mi Paule (poterat alter regerere) certi sumus, te Christi Apostolum esse, & Spiritum sanctum in te loqui? *Scitis, fratres* (respondet ille 1. Thes. 1.) *quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa.* Hoc est, velut ipse 2. Cor. 12. se interpretatur : *Signa Apostolatus mei facta sunt supra vos in omni patientia, in signis & prodigijs & virtutibus.* Iam verò *hæc omnia operatur Dei Spiritus*, 1. Cor. 12. Eiusdem Perseuerantiæ siue Constantiæ S. Iohannes discipulis suis auctor est 1. Iohan. 2. *Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Et epist. 2. *Hoc est mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis, quoniam multi seductores* (ex Ecclesia) *exierunt in mundum. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi* (quam scit auditam fuisse ab initio priusquam seductores isti ex Ecclesia exirent) *Deum non habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam* auditam ab initio *non affert*, sed nouum

Auctoritas hominum, in quibus loquitur Spiritus sanct. est diuina.

Ei qui inherent non sunt Pertinaces, etiamsi contrarijs argumentis respondere nesciant.

Vnde constet, Spiritũ sanctũ in homine loqui.

Constãs est, qui permanet in eo, quod auditum fuit ab initio.

uum scripturæ sensum loquitur, *nolite recipere eum in domum nec Aue ei dixeritis.* Id est, nec minimum illius humanitatis officium aut signum ei exhibueritis, eum nec audire aut intueri dignābimini. *Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis,* siue particeps fit peccatorum eius in primis Hæreseos & schismatis, & ruinæ pestisque tot animarum. Exemplo enim alijs est, vt similiter seductorem eiusmodi recipiant eiusque nouam doctrinam audiant, itaque ab eo, quod auditum fuit ab initio, recedant. Rectè igitur Catholici nostri, maximè Laici, tametsi quid hæreticorum argumentis respondeant nesciunt, permanent tamen in eo, quod didicerunt, cum quia id sciunt auditum fuisse ab initio priusquam noui Scripturarum sensus à Luthero & Caluino inuenti fuerunt (quod quidem supra *Capite Sexto* ipsius Lutheri ac Lutheranorum testimonijs demonstraui) tum quia sciunt à quo didicerint, nempe ab Ecclesia, quæ in Scripturis interpretandis mentiri nequit, cum sit *Ciuitas Veritatis* (Zach. 8.) immò *Columna & firmamentum Veritatis* (1. Tim. 3.) cui Deus *Pastores iuxta cor suum* daturum se promisit, *qui oues scientia ac doctrina pascant* (Ierem. 3.) *à quorum ore spiritus & Verbum Dei in æternum non recedant.* Isai. 59. Non solùm autem boni Catholici in Ecclesiæ doctrina permanent, sed neque fabulis Hæreticorum aures præbere sustinent: quam esse Christus veram ouium suarum notam docet. Ioh. 10. *Pastorem Oues sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum*, siue quia non volunt nosse, neque audire vocem eorum, qui aliud afferunt, quam quod auditum fuit ab initio: Ac propterea Princeps Apostolorum 2. Pet. 3. cum *difficilia Scripturarum loca* ab Hæreticis *deprauari* monuisset, hoc amplius præcipit, *vt nos ab illis custodiamus*, siue aures nostras ijs præcludamus, *ne ipsorum errore* siue praua Scripturæ interpretatione *traducti excidamus à propria firmitate veraque Christi cognitione.* quemadmodum Paulus quoque 1. Timoth. 1. & Tit. 1. diligenter Episcopos monet, vt suis ouibus *denuncient, easque Dure increpent, ne intendant Hæreticorum fabulis*, qui vel mortuorum resurrectionem futuram negarent, vel Cerimoniarum Mosaicarum obseruationem Christianis necessariam contenderent,

Catholici non sunt pertinaces, quamuis fidem suam aduersus Hæreticorū argumenta tueri nequeant.

Ecclesiæ auctoritas est diuina

Catholici non sunt Pertinaces etiamsi Hæreticorum argumēta audire nolint.

rent, & ad vtrumque suum somnium minus acriter intelligentibus persuadendum scripturarum verbis abuterentur, itaque mentes simpliciorum fascinarent. Sic enim Galatas, qui cum intendissent auresque præbuissent Hæreticorum fabulis, easque confutare non possent, non permanserunt in eo, quod à Paulo didicerant, *sed conturbati & in aliud Euangelium translati sunt*, hos ergò sic obiurgat Paulus Gal. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit nõ obedire Veritati?* Et quia ipsi respondere poterant: Vnde autem, ô Paule, nos certò scire poteramus, illam esse veritatem, quam tu nobis annunciasti, ac non potiùs, quam aduersarij tui posteriùs nos docuerunt, quibus propterea credidimus, quia nihil quod argumentis eorum contradiceremus, habebamus? propterea scribit Apostolus: *Qui ergò tribuit vobis Spiritum, & operatur Virtutes* (vtrum id facit) *ex operibus legis, an ex auditu fidei?* quasi dicat: Cùm mihi credidistis docenti hominem non ex circumcisione alijsque Legis operibus, sed ex fide in Christum iustificari, accepistis Spiritum sanctum, multaq; inter vos miracula facta sunt: illi verò, qui circumcisionem aliaque Mosaicę Legis opera saluari cupientibus necessaria esse docent, nulla fecerunt miracula, adeoque nullum Spiritus sancti testimonium exhibuere. Itaque colligere debebatis, meam doctrinam veram esse. nam Spiritus Dei, qui operatur Virtutes & miracula, est Spiritus veritatis, qui nequaquam mendacio testimonium præbere credendus est. Atque his exemplis & præceptis moniti, vos Augusti Principes, meritò parui ducitis, quid *Rex Anglus* fabuletur, quantaque *benedictione* siue probabilitate sua ille somnia ex scripturis probet. quod si etiam librum eius legissetis (à qua tamen culpa longissimè vos abesse scio) neque vos argumentis eius quicquam reponere posse deprehenderetis, adhuc laudem Firmitas & Constantia vestra mereretur, qui quidem non pateremini *vos moueri à sensu vestro, neque transferri in aliud Euangelium,* sed permaneretis in eo scripturarum sensu, quem ab initio statim post Apostolorum tempora ad vos vsq; auditum fuisse ipsius Lutheri, Wigandi & Magdeburgensium Centuriatorum Confessione supra *cap. VI.* testatum feci. *Scitis* quippe *à quo didiceritis*, ab ea nempe Ecclesia, cuius doctrinam, quamuis carni & sanguini molestam, tot iam sæculis neque potentissimorum Imperatorum Regumque vis, neque fraus callidissimorum Hęreticorum, vt etiam extrema quæque tentarent, supprimere potuit, vt dubitari nihil queat, quin *Digitus Dei sit hic*, hoc est quin Romanæ Ecclesię doctrina vera sit, cùm ei Deus tam miraculosa cõseruatione diuinitatis ac Veri-

Spiritus sanctus per miracula veram scripturæ interpretationem confirmat.

Catholici Principes nihil curant Regis Angliæ librum.

Sed permanent in eo quod auditum fuit ab initio.

Cùm sciant se ab Ecclesia Romana didicisse.

Cui digitus Dei testimoniũ diuinitatis præbet.

tatis testimonium præbeat. Ac tametsi ex modò recitatis Apostoli Pauli verbis, vos rectissimè ratiocinari, satisque cur à vestro sensu non moueamini, sed in Catholica fide constanter maneatis, causæ habere quiuis sanus intelligit, non molestè tamen fero, vos etiam habere paratum Lutheri aduersus Regem patrocinium. quem cùm ipse *suum Scriptorem* vocet, neque cum S. Iohanne Baptista, tertium quippe Eliam illum, comparare dubitet, recusare certè non debet, quin eum causam pro vobis dicentem audiat. Sunt autem hæc eius verba *in libro aduersus Anabaptistas Tomo 4. Ger. Ienensi fol. 330. & Tomo 2. Ger. Witteb. fol. 229.* Adhuc nulla fuit Hæresis, quæ diu durasset, ac non potiùs, vt ait S. Petrus, celerem perditionem sibi superduxisset, breuique manifestata & ludibrio habita fuisset. Quod si ergò Paruulorum Baptismus non esset legitimus, profectò Deus illum tamdiu durare & per vniuersam Christianitatem communiter seruari non permisisset. Obijcies mihi, hoc non est probare verbis sacræ scripturæ. Respondeo, verè te hoc obijcere. nam sanè verbis scripturę non satis firmiter probari potest, vt quis ijs confisus Baptismum paruulorum incipere audeat: sed tamen æquè firmiter probatur, neminem iam nostro tempore salua conscientia posse Baptismum puerorum tam inueteratum reijcere aut intermittere, eo argumento, quia Deus Baptismum illum non solū ipso facto tolerat, sed etiam iam inde ab eo tempore, quo primùm cœpit, conseruauit neque interire passus est. Vbi enim OPUS Dei videmus (*diuturnam scilicet alicuius doctrinæ conseruationem, quæ alioquin humanitùs permanere non potuisset*) non minùs, sed æquè cedere & credere tenemur, quàm vbi VERBUM eius audimus &c. Hæc Lutherus anno 1528. quo tempore perfectè scilicet à Deo suo illuminatus omnes Papatûs reliquias excusserat.

Lutherus Paruulorum baptismū tueri aduersus Anabaptistas nequit ex sacra scriptura.

Sed ad opus diuinum, siue ad miraculum cōfugit.

CAPVT LXXVIII.

ET adhuc quidem vnum genus eorum, quos Aristoteles ἐμμενετικοὺς τῇ δόξῃ siue sententiæ retinentes aut in opinione perseuerantes dicit, qui nempe Ratione ducuntur. Alij sunt, quos idem Philosophus ἰσχυρογνώμονας dicit siue *Pertinaces*, à Peruicendo (nam *Vicere* priscis pro *Vincere* in vsu fuit) quod opinionē suam firmiter teneant eaque peruincere cupiant, quos eosdem δυσπείστους esse ait, id est, quibus ægrè ac difficulter persuaderi queat: quod quidem, velut ibidem docet, alijs accidit propter affectum animi, siue Voluptatem aut Molestiam

Pertinaces, qui non propter rationem, neque propter auctoritatem diuinā manent in sententia.

leſtiam, alijs propter ſtuporem, ruditatem & inſcitiam. quibus ego addiderim, qui propter vtrumq; ſententiam & opinionem pertinaciter tuentur. Ἰδιογνώμενες enim, hoc eſt, ſuæ ſententiæ ſuique ſenſus homines (quos etiam αὐθάδεις dicunt) nõ propter rationem ſiue argumentorum vim, ſed propter iucunditatem ac moleſtiam in opinione ſua animo pertendũt. *Gaudent enim* (ait Ariſtoteles) *tamquam victores, ſi pertendant, neq; de ſententia abducantur, dolent contrà, ſi ſua tamquam Leges aut Populi ſcita abrogentur irritaque fiant.* Cuiuſmodi autem ſit hominum eiuſmodi Voluptas, ex Rhetoricis eiuſdem Philoſophi diſci poteſt. Nam primùm ſua quemque delectare, ſiue, ſuum cuique pulchrum & iucundum eſſe docet, quemadmodũ Poëtæ verſus ſuos quamuis malè tornatos, nec ſatis propitijs Muſis factos amant: idq; propterea, quia ſibi ipſe quiſq; charus & iucundus eſt, natura ſibi quemq; ipſi cõmendante & conciliante. Eſt autem opus cuiuſque velut pars ipſius. Itaque non magis parentibus liberi, quàm partus ingeniorum auctoribus ſuis chari & iucundi eſſe ſolent. Prou. 15. *Lætatur homo in ſententia oris ſui, & ſtultitia gaudium ſtulto.* Atque hæc ipſa eſt cauſa, cur plerique opiniones ac ſententias parentum, vxorum, liberorum, omninò denique eorum, quos vel naturę neceſſitudo & coniunctio ſanguinis, vel beneficium, vel obſequium, vel ingenij, morum ſtudiorumq; ſimilitudo charos ipſis reddidit, non minùs, quàm ſi ipſi eas cõcepiſſent, arripere & amplexi tenere ſoleant. *Amicorum dicta ac facta* (ait Symmachus) *eadem indulgentia cenſemus, qua plerumque ſinguli etiam vitia noſtra diligimus.* Et velut ex Platonis ſententia Plutarchus diſputat, quiſquis ſiue ſe ipſum, ſiue alium amat, non aliter cœcutit & alucinatur, quàm is in oculos humor vehementiùs egeſtus luminum aciem ſuffundit. Quantam amicorum amor etiam ad ſapientes dementandos habeat efficaciæ, ſic docet Euripides:

Idiognomones, pertinaces ſunt propter Iucunditatem.

Prima cauſa Voluptatis Pertinacium. Quia ſe ipſos amant.

Quia amant eos, qui ſententiam aliquam tuentur.

Πολλοὶ δὲ θνητῶν τοῦτο πάσχουσιν κακὸν,
Γνώμῃ φρονοῦντες, οὐ θέλουσ᾽ ὑπηρετεῖν,
Ψυχῇ, τὰ πολλὰ πρὸς φίλων νικώμενοι.
Pleroſque morbos vexat hic mortalium,
Sane vt ſapientes non tamen ſententiam
Mutare, amore victi amicorum, velint.

Familiariter domeſtica adſpicimus (ait Seneca) *& ſemper iudicio fauor officit.* Exemplo eſt Epicurus, qui ſua erga fratres beneuolentia & re fa-

Benefactores aliis facilè perſuadent ſuam opinionem.

re familiari ipsorum fideliter procuranda, velut Plutarchus commemorat, sic eorum sibi deuinxit animos, vt philosophandi rationem ab ipso inuentam quasi diuino quodam furore perciti sectarentur, & neminem post homines natos eo sapientiorem exstitisse crederent.

Liberi amant parentum opinionem.

Sic de Parentibus scribit Aristoteles, eorum iussa ac mores maiorem domi, quàm Leges & instituta in Repub. vim habere, siue, magis eis obedire liberos, quàm ciues Legibus, διὰ τὴν συγγένειαν καὶ τὰς εὐεργασίας, *propter cognationem & propter beneficia:* in quorum vtrouis satis magna amoris ac proinde obedientiæ causa est. Exemplum huiusmodi Pertinaciæ ex amore parentum natę habemus 2. Paral. 22. *Ochozias ingressus est per vias domus Achab, Mater enim eius impulit eum, vt impiè ageret.* Et Ezech. 2. *Mitto te ad filios Israel, ad gentes Apostatrices, quæ recesserunt à me. Patres eorum præuaricati sunt pactum meum, & filij dura facie & indomabili corde sunt.* Ierem. 9. *Dereliquerunt Legem meam, & abierunt post prauitatem cordis sui, quod didicerunt à patribus suis.* Itaque sic eos monet Ezech. 20. *In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis.*

Amatores sectantur sententiam mulierũ adamatarum.

Quantam porrò mulierum amor hac in re vim habeat, his 3. Reg. 11. verbis docemur: *Salomon adamauit mulieres alienigenas de gentibus, de quibus dixit Dominus filijs Israel, non ingrediemini ad eas: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum. His copulatus est Salomon ardentissimo amore, & deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.*

Secunda causa Voluptatis Pertinacium. Quia sententiã suam priùs arripuerunt:

Alios sententia, quam tuentur, hac ratione oblectant, quod eam priùs audiuerint & combiberint. Sic enim in conuictu hominum agendisque rebus vsu venire ait Aristoteles (7. *polit.* 17.) vt quæ omnium prima nobis oblata sunt, magis nos delectent, hancque Theodoro claro illi Tragœdo causam fuisse, cur neminem vnquam ne cõtemptum quidem Histrionem ante se in scœnam prodire pateretur, quod existimaret Spectatorum aures ijs, quæ prima sunt, captas occupari: non aliter, quàm is cibus, qui primus anteponitur, ac latrantem Stomachum compescit ventremque iratum placat, etiam quæsitissimarum epularum, quæ posteriùs inferuntur, gratiam vehementer delibat & imminuit. Memorabile porrò exemplum Pertinaciæ ex occupatione siue Anteuersione, &, vt ita dicam, Præuentione natæ apud Plutarchum in Symposiacis legimus.

Quæ prima hominis animo imprimuntur, quàm firmiter inhæreant.

Parmeno, *inquit*, suis vocem sic imitabatur, vt admirationi foret omnibus. Cùm autem alij mox eum æmularentur, homines nouitatis gratia deliniti ac velut præiudicio occupati dicere solebant: Probè sanè & hic, sed nihil ad Parmenonis suem.

Itaq;

Itaque quidam porcellum sub axilla pallio contectum tenens in medium prodijt, cuius grunnitum cùm audissent, nihilominus dicebant: Et quid hoc ad Parmenonis suem? Ille ergo retecto & in medium emisso porcello: Iamne, inquit, animaduertitis, vos non veritatem in iudicando, sed opinionem sequi?]

Huic Voluptatis generi finitima est illa, quam pleriq; ex opinione sua percipiunt, quod eam rudibus adhuc pueritiæ annis combiberint, & cum ea procedente ætate simul velut adoleuerint. Iam autem nemo est, qui nesciat, quàm siue natura, siue consuetudine, quæ altera est natura, eorum tenaces simus, quæ à pueris combibimus. *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.* Eius porrò Pertinaciæ causam esse amorem & voluptatem (omnium enim rerum, etiam turpium feminarum, vt ait Poëta, *consuetudo concinnat amorem*) facile est ei colligere, qui quantam eorum, queis consueuimus, mutatio molestiam ac dolorem adspergere soleat, non ignoret. Prou. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Et Isai. 48 natam hinc Pertinaciam sic populo suo Deus exprobrat: *Neque audiuisti, neque cognouisti, neque aperta est auris tua. Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te.* Similiter Ierem. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm à pueris didiceritis malum.* Item supra laudato loco Psalmi 57. *Abalienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, ne exaudiat vocem incantantium.*] Sed neque in Nouo Testamento similis Pertinaciæ exempla desunt. Nam Matth. 22. Christus Pharisæis & Sadducæis partim ratione, partim scripturarum auctoritate os obturat, vt nemo verbum ei respondere possit: neque tamen quisquam in Christi sententiam discedit, propterea quod nimis altas haustus in pueritia error in animis eorum radices egerit, quo persuasum eis fuit, Messiam cum ingenti gloria ac splendore sæculari appariturum, regnumque omnium, quæ vnquam fuerint, maximum florentissimumque in terris, nulla prorsùs cruce aut passione antecedente, instituturum esse. quem eundem errorem in discipulus suis Christus Luc. 24. Sic reprehendit: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Dixerant autē illi paulò priùs: *Sacerdotes & Principes nostri crucifixerunt Iesum: nos autē sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.*] Hæc persuasio erat velamen illud, de quo Paul⁹

Tertia causa Voluptatis Pertinacium.

Quia sententiā suam in pueritia didicerunt.

Iucunda sunt, quibus consueuimus.

Iudæi aduersus Christum quare tam Pertinaces.

Persuasio à pueris hausta est

2. Cor. 3. scribit. *Obtusi sunt sensus Iudæorũ. nam vsq; in hodiernũ diẽ in lectionẽ veteris Testamenti velamen positum est super cor eorum.* Et Act. 13. *Qui habitabant Ierusalem & Principes eius ignorantes Iesum & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, consummarunt omnia, quæ scripta sunt de ipso,* Sic Act. 28. cùm Paulus exponens legem Mosis & Prophetas *à mane vsq; ad vesperã testificatus fuisset Iesum esse Christum, quidã crediderunt ei, alij nõ item,* sed in sententia, q̃ à pueris imbiberant, pertinaciter manserunt: quos Isaiæ verbis dixit Apostolus, *oculos suos compressisse ne videant.* Quin etiam ipsis Apostolis, hominibus minimè malis, inculcatus ille de Christi regno error & simul cum annis corroboratus vsque eò imposuit & tenebras mentibus eorum offudit, vt etiam clarissima Christi verba nulla ex parte possent intelligere. Luc. 18. *Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis: Ecce adscendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.*]

Velum intelligentiæ hominis obductum.

Apostolorum Pertinacia & stupor vnde originem habuerit.

Plerumque etiam vel sola Libertas suam hominibus sententiam & opinionem cõmendat, ꝙ nulla scilicet ita credẽdi necessitas eis incumbat. Cùm enim vis sit præter naturam ex eoq; molestiam pariat, quicquid nõ sponte, sed inuitè ac vi subigente suscipitur, ꝙ contra vel molestissimos & grauissimos labores iucunditas quędam condire videtur, quando nostra voluntate, nemine cogente, ad eos accessimus, neq; nobis eos rursum abijciendi, cùm libeat, arbitrium est ereptum: sic fit, vt etiam censendi & existimandi libertas mirè grata hominibus accidat. Et verò si rem propiùs inspexerimus, maximam Hæreticorum partem non aliam Pertinaciæ causam habere comperiemus. Catholicis enim non licet esse nisi Humilibus ac modestis, qui velut mansueta iumenta iugo colla humerosque oneri patientissimè supponant. Psal. 72. *Vt iumentum factus sum apud te* (quomodo?) *quia ad nihilum redactus sum, & nesciui.* id est, gessi me humiliter, tanquam rerum diuinarum non plus intelligerem, quàm asinus ille clitellas vehens. Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis, quia ipsi pro vobis peruigilant & rationem reddent.* Hæretici autem ipsi rem suam sapere, ipsi salutis suæ negotio superesse ac vigilare, neque Pastoribus ac speculatoribus à Deo datis se committere volunt, & velut Iob. XI. scriptum est, *in Superbiam eriguntur, ac velut pullos Onagri se liberos natos esse putant.* Rursum Catholici velut Cœci, qui se suo Marte veram

Quarta causa Voluptatis Pertinacium. Quia sentẽtia, quam tuentur, est libera eorũ voluntati relicta.

Plerique Hæretici propter hãc voluptatẽ sunt Pertinaces.

Catholici sunt velut Iumenta mansueta.

Hæretici velut Onagri sunt impatientes oneris.

ram viam inuenire aut scripturas rectè intelligere haudquaquam posse persuasum habent, tametsi Hebraicè, Græcè ac Latinè doctissimi, summaque alioquin sapientia præditi, nihilominus Pontificē aut congregatos in Concilio Episcopos, quamuis indoctiores, tamquam Viæ Duces sequuntur, eosque pro oculis suis habent(sicut Iob. 29. *Oculus fui Cæco*) quod Spiritus sancti gratiam ad perspiciendum verum scripturarum sensum necessariam, Episcopis, non Grammaticis aut alioquin eruditis promissam fuisse sciant. Isai. 42. *Ducam Cæcos in viam, quam nesciunt: Et in semitis, quas ignorant, ambulare eos faciam.* Cæcos dicit Humiles, qui se Cæcos in rebus diuinis putant, neque sibi ipsis intelligentiam sacræ Scripturæ arrogant. Eiusmodi Cæcus nobis describitur Act. 8. Eunuchus enim quamuis Hebraicè intelligeret, S. Biblia asiduè manibus tereret, Deum religiosissimè coleret, roganti tamen Philippo : *Putasne intelligis, quæ legis?* Humillimè & simplicissimè respondit : *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Hunc ergò Cæcum Christus duxit in viam, quam nesciebat, non quidem ipse (nam de se testatur Iohan. 9. *quamdiu sum in mundo, Lux sum mundi*) Sed per Philippum Euangelistam & Diaconum, qui per impositionem manuum Presbyterij acceperat hanc Spiritus sancti gratiam, vt esset Lux siue Oculus Cæcorum, quemadmodum Sacerdotibus ac Doctoribus dixit Christus Iohan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Iam verò *ego* à Patre *Lux in mundum veni*, Iohan. 12. Itaque & *vos*, quos mitto, *estis Lux mundi*, Matth. 5. *Mitto* autem *vos in populos, aperire Oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem*, Act. 26. & do vobis hoc *donum gratiæ, in gentibus Euangelizare & illuminare omnes*, Ephes. 3. Et sicut *ego in iudicium veni in hunc mundum, vt Cæci, qui non vident, & qui vident, siue* videre & sapere se putant, *Cæci fiant*, Iohan. 9. Similiter *& ego vos misi in mundum*, Iohan. 17. Itaque *si quis non acquiescit Sermonibus vestris, Superbus est, nihil sciens*, siue Cæcus, 1. Tim. 6. nam *si quis superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio*, Deut. 17. eius oculum Deus humiliabit siue *cæcitate, amentia & furore mentis percutiet, vt palpet in meridie, sicut palpare solet Cæcus in tenebris*, Deut. 28. quod similiter Psalm. 17. docemur : *Tu populum humilem saluum facies*(illuminabis eos, qui humiliter cæcitatem suam fatentur, sed) *Oculos superborum humiliabis. Tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* Et Prouerb. 11. *Vbi est humilitas, ibi & sapientia : Simplicitas iustorum diriget eos*, id est, qui simpliciter & humiliter suam cæcitatē agnoscent &

Catholici se ipsos pro Cæcis habent.

Et Episcopos tāquam duces sequuntur.

Christus fuit Dux Cæcorum, quamdiu fuit in mundo.

Relicturus mūdum alios suo loco Cæcis Duces dedit.

fatebuntur, illi sapientiam discent & illuminabuntur ab ijs, quos Deus ea gratia donauit, vt essent oculi cœcorum. Prou. 21. *Paruulus* siue humilis *si sectetur sapientem, sumet scientiam.* Nam sapientia, siue vera Religio Deique rectè colendi scientia, non contingit, nisi Paruulis & omni scientiæ opinione vacuis. Prou. 9. *Sapientia misit ancillas suas vt vocarent ad se sic proclamantes: Si quis est paruulus, veniat.* Superbos verò & arrogantes ac monitorum derisores, non vocat. nam *Abominatio Domini est omnis arrogans,* Prou. 16. & *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam,* 1. Pet. 5, Et sapientia Prou. 9. ancillis suis perspicuè interdicit, ne Derisores ad se vocet: *Noli arguere derisorem, ne oderit te. nam qui arguit & erudit Derisorem ipse sibi iniuriam facit.* Huiusmodi Derisores sunt Hæretici, qui sibi ipsi Oculi, siue viæ Duces esse postulant, & cum tria verba Hebraica aut Græca intelligunt, atque adeò cùm vix tantum in literis profecerunt, vt Biblia in vernaculum ipsorum sermonem qualicumque fide conuersa legere sciant, se demum illos esse putant, à quibus omnes omnium sæculorum sanctissimi & eruditissimi Doctores, & Episcopi totius Orbis in Spiritu sancto ritè congregati, verum scripturæ sensum discere debeant: nedum ipsi cœcitatem suam fateantur & in Episcoporum Lumine ambulare velint. Itaque Iob. 24. de illis scriptum est: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.* Nam Pertinaciam significat, dum eos negat reuerti per semitas luminis, siue, relicta sua opinione Episcoporum sententię subscribere. Causam verò Pertinaciæ indicat esse contumaciam, siue Licentię aut falsæ Libertatis amorem. *Rebellis* enim obedire ac subiacere non vult, sed velut *Onager* se liberum natum putat. Itaque eodem ipso capite de ijsdem Rebellibus legimus: *Quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum.* Cuiusmodi porrò sit Onagrorum siue Rebellium Hęreticorum opus, imaginibus siue parabolis aliquot toto illo capite Spiritus sanctus docet. Sunt nempe similes Furibus, Adulteris, Latronibus & Tyrannis. Nam vt *Fures & Adulteri obseruant Caliginem, & sic in tenebris, quasi in luce ambulant:* non aliter Hęretici *difficilia intellectu Scripturæ loca deprauant* (2. Petr. 3.) *& per occulta dedecoris in astutia ambulantes adulterant verbum Dei,* 2. Cor. 4. Et quemadmodum *Latro mane primo consurgit, atque interficit egenum & pauperem,* securè sine armis incedentem: item Hęretici *per dulces sermones ac benedictiones* (quibus pro gladijs vtuntur. Psal. 58. *Loquuntur in ore suo, & gladius in labiis eorum.* Psal 56. *Lingua eorum gladius acutus.* Huiusmodi ergo gladio occidunt &) *seducunt corda innocentium* (Rom. 16. hoc est, eorum, qui

Superbi, qui videre se putant, non ducuntur à ducibus.

Hæreticorum superbia.

Hæretici pertinaces propter voluptatem ex Libertate sua natam.

Hæreticorum opus quod sit.

Sunt fures & Latrones & adulteri.

qui ſimpliciter credunt eis, neq; de fraude ſuſpicantur. Prou. 14. *Innocens credit omni verbo.* Sic etiam Chriſtus de illo, qui alios docere vult, cùm legitime miſſus, & gratia interpretandi ſermones per impoſitionem manuum Presbyterij donatus non ſit, nec per oſtium intrauerit, ſed adſcenderit aliunde; *Ille,* inquit, *fur eſt & Latro,* Ioh. 10. Sic Ezech. 13. *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum, & nihil vident,* ſed cæci ſunt, *cum dominus non miſerit eos, qui interficiunt animas &c.* Poſtremò ſicut Tyranni *transferunt terminos, diripiunt greges* alienos *& paſcunt eos: agrum non ſuum demetunt, & vineam eius, quem ui oppreſſerint, vindemiant:* Sic Hæretici inuadunt in verorum Epiſcoporum munus, & commiſſas ijs oues omni ui paſcere ſeu docere poſtulant. Et huiusmodi quidem ſunt eorum opera, quos immoderatæ Libertatis amor omnisq; Iugi impatientia Lumini ſiue Epiſcopis rebellare facit.

Hæretici ſunt Tyranni

CAPVT LXXIX.

ALij propterea ſententiam quampiam probant ac pertinaciter tuentur, quod eam ſuæ naturali ad vitia procliuitati congruere intelligant. Ita perſuaſiſſimum habebat Nero, neminem caſtum aut pudicum eſſe, ſed plerosq; vitium ſuum diſſimulare & obtegere, cum ipſe ſcilicet eſſet moribus contaminatiſſimis & prodigioſis libidinibus infamis. Eodem pacto valde probabilis Germanis noſtris, omninoq; Septemtrionalib⁹ omnibus Lutheri ſententia videtur, caſtitatem & ieiuniorum obſeruationem hominum vires ſuperare contendentes, cum ipſi nempe gulæ & abdomini, turpiſſimæq; parti corporis dediti, & quod humanam ſatietatem ſequi ſolet, ex intimis vnguiculis perpruriſcentes, de toto genere humano ex ſua nequitia coniecturam ducant.

Quinta cauſa Voluptatis Pertinacium. Quia ſententia quam tenent, palpatur vitijs & affectibus eorum.

Multis compendij lucriq; ſpes volupati eſt, vt propterea ſententiam firmiùs amplectantur. nam in genere, vt Ariſtoteles docet, omnia illa iucunda eſſe ſolent, quorum vlla ineſt hominibus cupiditas. *Deſiderium ſi compleatur, delectat animam* Prou. 13. Itaq; nihil miramur vsq; adeò Lutheranos in Lutheri doctrina pertendere, cùm priuatis quidem hominibus rem vſuris facere permittat, Magiſtratibus vero ac iudicibus Munerum accipiendorum, & alienorum bonorum, Eccleſiaſticorum puta, in fiſcum redigendorum poteſtatem faciat, quippe qui nihil niſi credere teneantur, & ne volentes quidē, quantiscumq;

Sexta cauſa Voluptatis Pertinacium. Quia ſententia quam tenent ipſis lucroſa eſt.

Lutheri doctrina Principibus Protestantibus lucrosa.

furtis & latrocinijs, damnari possint, dummodo firmiter credant. *Pecca*, & exempli causa, furare ac rape, *fortiter* (ait Lutherus, de quo supra capite secundo,) *sed fortius fide* siue crede *& gaude in Christo.* Hoc vt ex me semel dididerunt *Nostri Principes RAPIVNT & compilant omnia, quæ inueniunt in Monasterijs & Parochijs, atque si panis quoque buccellam, quam nos Prædicantes edimus, ex ore nobis possent eripere, nulla id religio eos facere prohiberet. Itaque nos quoque Predicantes alacriter in nomine Domini furari possumus* : quæ omnia Lutheri verba esse supra Capite LXVI. docui. Quis ergò iam dubitet, vtrum vlla religione fænerari & munera accipere vetentur, quibus per Religionem Furibus ac Raptoribus esse licet? Quantum prorro ad excęcandas hominum mentes, momenti habeat cuiusquemodi lucri occasio, cum ratio & quotidianæ vitæ vsus docet, tum sacræ literæ passim vociferantur. Deut. 16. *Munera excæcant oculos sapientum*, hoc est, faciunt, vt vel iniquissima causa etiam intelligenti iudici siue iusta, siue saltem non improbabilis videatur. Prou. 22. *Qui dat munera, aufert animam accipientium.* Quomodo igitur non abstulisset Lutherus animam suorum Principum, inq; suam pertraxisset sententiam, quibus tam opulenta Collegia, Sacerdotia & Episcopatus dedit muneri? velut supra capite LXXVIII. gloriantem audiuimus: *Habent à nobis Libertatem à Papæ tyrannide, atq; insuper externa bona* Similiter Prou. 9. Hæresis, velut *mulier illecebris plena væcordem* sic ad se allicere inducitur: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus &* rapto quæsitus, *suauior.* Et Prou. 1. Hęreticorum hominum huiusmodi recidatur suasoria: *Veni nobiscum, omnem pretiosam substantiam* (in monasterijs & Episcopatibus) *reperiemus, implebimus domos nostras spolijs.* Quam verò Pettinax in sententia fiat, qui semel in aures eiusmodi suasorias admiserit, populi Iudaici exemplo Ierem. 6. discimus : *Cui loquar? & quem contestabor, vt audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt. Ecce verbum Domini* (siue argumentum ex scripturis de promptum quamuis validissimum) *factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. A minore quippe vsque ad maiorem omnes Auaritiæ student.* Et Ierem 8. *Quare auersus est populus iste auersione contentiosa?* quare *apprehenderunt mendacium, & nolunt reuerti? quia à minimo vsque ad maximum omnes Auaritiam sequuntur.* De huiusmodi notæ hominibus etiam Paulus loquitur 1. Tim. 6.

Hæresis iniusti lucri spe plerosq; capit.

Voluptas ex lucro quam Pertinaces faciat homines.

Tim. 6. *Contentiones hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, quippe qui existiment quæstum esse pietatem*, siue lucrosissimam quamque de pietate sententiam, simul verissimam putant. *Qui porro volunt diuites fieri*, & rem suam occupandis Ecclesiarum bonis constabilire, *incidunt in tentationem & laqueum Diaboli*, id est, eos tentat Diabolus, facitque vt prauas Scripturæ interpretationes probabiles esse putent (id enim significat *Laqueus*, quemadmodum supra capite xx. constitit) Hoc porrò Laqueo ad Diaboli voluntatē captiui tenentur, vt resipiscere & veritatem cognoscere non possint, adeoq; Pertinacissimi maneant 2. Tim. 2.

Alios in sententia perseuerare delectat, quod vberē inde contentionis siue disputationis materiam sibi prouenturam augurentur. Sunt enim pro dissimili corporum constitutione & crasi seu tēperamēto alij ad alias virtutes aliaq; vitia magis propensi, & nonnulli quidē, alioqui minimè malitiosi, tanta verbis velitandi cupiditate tenētur vt disputare eis pro Cibo sit. Ex hac nota mēoriæ proditū est fuisse M. Cælium, cuius inter familiares Ciceronis exstat Epistolarū liber. qui cum die quadam clientem quendam pransum ad se duxisset, isq; ne sibi contentio cum illo incideret, in omnibus ei secundas ageret, neq; in vllo contradiceret, ille contendere iam olim miserè cupiens, eamq; occasionem sibi non dari dolens, cū stomacho tandē, *Quin tu*, inquit, *contradicis aliquid mihi, vt duo videamur*? Causam porrò cupiditatis huius hanc reddit Aristoteles, quia disputanti victoriæ spes ostendatur: Victoriam autem esse propterea iucundam, quia ex ea phantasia quædam siue imago prestantiæ & excellentiæ concipiatur, cum qui vincit, altero sit eo ipso superior.

Septima causa Voluptatis Pertinacium.

Quia natura sunt ad disputādum & altercādum propensi.

Voluptas contētiosorum cuiusmodi.

Victoria quare sit iucunda.

Atq; ex hac eadē causa illos in sententia manere delectat, qui plures alios sibi assensuros putant. nam hinc sapere videntur, & multum alijs præstare. Cuius rei voluptas omnibus Hæresiarchis Pertinaciam suadere solet, velut non multò antè Lutheri verbis, de sua & aliorum Hæreticorum natura palam confitentis docui: quod etiam S. Paulus Act. 20. significat: *Exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.*

Octaua causa Voluptatis Pertinacium.

Quia sperant multos sententia sua fore asseclas.

CAPVT LXXX.

ALij deniq; ea causa sentētiam tuentur, vt ijs, quib⁹ eam nō probari sciunt, propter iram vel odium, quo erga illos incensi sunt, ægrè

Nona causa Voluptatis Pertinacium.

Quia putant se ægrè facere ijs quos oderunt.

ægrè faciant & molestiam exhibeant. Cum enim & Irasci propter vindictæ spem, & Vindicare se, propter imaginem siue speciem ac phantasian præstantiæ, voluptatem quandam coniunctam habeat (posse enim facere, quod valde desideres, & malo afficere, quẽ oderis cuiq; succenseas, eius videtur, qui multum excellat) propterea fit, vt opinio, quam ijs, quibus irascuntur, quosue vlcisci desiderant, molestiæ fore censent, quodam iucunditatis lenocinio ipsis se commendet, omninoq; probabilis, atq; adeò verissima appareat. *Sibi indulget Ira* (ait Seneca) *ex libidine iudicat, audire non vult, ea tenet, quæ inuasit, & eripi sibi iudicium suum, etiamsi prauum est, non finit. Etiamsi ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem, coargui non vult, & in malè cæptis honestior illi pertinacia videtur, quam pænitentia.* Similem planè esse Odij rationem, significat Salomon Prou. 15. *Vir iracundus prouocat rixas.* Prou. 10. *Odium suscitat rixas.* Vt enim qui amat, sibi cum eo, quem amat, de omnibus diuinis humanisq; rebus conuenire studet ac gaudet (1. Cor. 13. *Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem Veritati.* id est, qui diligit, non tuetur iniquam seu falsam sententiam, vt alteri ægrè fit, sed gaudet suam & alterius sententiam in veritate conspirare) sic è conuerso qui odit, nihil sibi cum eo, quem odit, esse commune cupit, nedum suam sententiam, de rebus præsertim magni momenti, mutet & alterius opinioni subscribat. Exempli causa Marius ille Ciceronianus *ita non amabat Græcos, vt neq; ad uillam suam via Græca ire vellet*, VII. epist. famil. 1. Pertinaciæ ex odio profectę memorabile exemplum ante hos decem annos in *Iordano Bruno Nolano* Romæ videre me contigit. Is enim potius quam portenta ac monstra, quæ ab Epicuræis antiquis alijsq; id genus Philosophastris & Hęreticis didicerat, ac libris nonnullis palam propugnarat, in primis autem execrabiles in Christum & Apostolos contumelias ac blasphemias recantaret, seq; quod eos præstigiatores & Magiæ artifices, dixisset, penitentia duci fateretur, infelicibus sarmentis circumsæptus luculento igne viuus vstulari maluit. Vsq; adeò *est Vindicta bonum vita iucundius ipsa* ac velut ait Mimi senarius: *Inimicum vlcisci vitam est accipere alteram.* Cum enim ingens eius eius esset erga Cardinales Inquisitores odium, siue illud ex intolerabili nonnullorũ subagrestium austeritate atq; importunitate, siue, quod in homine elati animi & cedere nescio, est vero similius, ex propria contumacia & parendi impatientia conceptum, ne rem eis gratam faceret, neu victus succumbere videretur metuit, si sententiam mutasset. Sed si vitam potius posuisset

Irascentiũ pertinacia.

Qui amat, gaudet sententiam cum eo, quẽ amat, sibi communem esse.

Quid odit nihil sibi cum eo, quẽ odit. vult esse commune.

Vindicta iucunditas.

quodam

quodammodo victor, aut saltem par, discedere sibi videbatur. *nam victor nemo est, nisi victu fatetur,* vt ait Ennius. Sic etiam Anabaptistis & sacramentarijs siue Caluinistis odium Pontificis & Catholicorum Hæresios nouæ causam dedisse, Lutherus testatur *in Epistola de Anabaptismo Tomo 4. Ger. Ien. fol. 320 a. §. 2. & Tomo 2. VVitt. fol. 279. a. §. 4.* Audio nonnullos ex hoc fundamento Anabaptismũ instituere, vt Papæ molesti sint, quippe qui nihil ab Antichristo habere velint, queẽadmodũ etiam Sacramẽtarij ex contẽptu Pontificis nudũ panẽ & vinũ in Eucharistia credũt, seq; hoc demũ modo Papatũ deiecturos existimant. Profecto hoc eorũ Fundamẽtum est prorsus nullius rei, neq; super id quicquam boni ædificabunt. Nam si hoc ius sit, oportebit nos etiam negare totam Sacram Scripturam & Prædicandi officiũ (nam hoc totũ sine dubio à Papa habem⁹) oportebit nos quoq; noua Sacram scripturam cudere] In his nõ accusamus Lutheri fidẽ verũ enim testatur, sed nõ minus de se ipso suisq; Lutheranis sic confitenti credim⁹. *Tomo 2. Ger. witt. in epistola ad Argentinenses fol. 110. a. §. 4. & Tomo 3. Ien. fol. 104. a. §. 3.*

Anabaptistarũ & Caluinistarũ Hæresis ex odio Pontificis cæpta.

Hoc sanè cõfiteor, si quis ante quinquẽniũ (*hoc est, ante annũ 1519. quando contra Pnotificẽ scribere primũ cæpi*) me docere potuisset, in Sacramẽto nihil nisi panẽ & vinũ remanere, quod id in magni beneficii loco habiturus fuerim. Grauissima in eo sustinui, meq; ipsũ torsi & extremam mihi vim feci, vt eam sententiam euincere & obtinere possẽ (*non vllo quidem Veritatis studio sed*) quoniam probè intelligebam, eiusmodi ictum longè maximas ad Papatum prosternendum vires habere *Tomo 2. Ger. Ien. de adoratione Sacramenti ad waldenses fol. 225. & Tomo 7. Ger. witt. fol. 368. b.*

Lutherus odio Pontificis cuperet Caluinismũ tueri.

Quamuis error iste, quo putatur post cõsecrationẽ non adesse panis, sed tantum species & forma panis, nõ sit magni momenti, quia tamen Papistæ eum adeò tuentur, Nos *Tantum* ad ipsorũ despectum, vtq; molesti eis simus credemus verè panem & vinũ manere vna cum corpore & sanguine Christi. *Tomo 4. Ger. witt. de vtraq; specie fol. 382. & Tomo 3. Ien fol. 519.*

Lutherani tantum ex odio Catholicorũ Transubstantiationẽ negant.

Neq; tonsuram clericalem, neq; cappam, neq; ieiunium, neq; quicquam aliud ex nugis Papistarũ obseruare aut tolerare volumus, sed neq; rem vllam cum eis communẽ habere, aut in quacũq; re similes ipsis inveniri, sed alacerrimè & tantũ in despectũ eorũ faciemus & omittemus, quicquid ipsos vrit maleq; habet &c. *Tomo 2 Ger Ien. ad Equites ordinis Teutonici fol 214. § 3 et Tom 6 wit. fol. 252. b § 4.*

Lutherani nihil cũ Catholicis commune habere volunt.

VerbũDei præcepit Ecclesiasticis vxores ducere(*nempe 1. Cor. 7 Bonum est homini mulierem non tangere volo omnes homines esset sicut me ipsum*, id est, cælibem. *quia Bonum est illis, si sic permaneant sine vxore. n..m qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui*

Lutheri mendacium de coniugio Ecclesiasticorum.

Cælibatũ quare Paulus coniugio præferat.

autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: sicut etiam innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & Spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Volo autem vos sine solicitudine esse, id est, *malo vos esse cælibes vt cogitetis tantum quæ sunt Domini, sitisq; sanctiores & corpore & Spiritu*) Nihilominus si contingeret per Decretum Concilij Ecclesiasticis nubendi libertatem dari, tum ego Ecclesiasticis omnibus loco Dei præciperẽ, vt null⁹ ipsorũ ui Decreti illius vxorẽ ducat sub ęternæ damnationis pæna: sed potiùs castè viuat, aut si hoc nõ queat, vnam, duas aut tres cõcubinas habeat, & in hac infirmitate sua nequaquam de gratia Dei desperet. *Tomo 3. Ger. Ien. de Christiano Missæ celebrandæ modo fol. 274. b. §. 5. et Tom. 7. Wit. fol. 397.* Si quo casu Cõciliũ propria auctoritate statueret vel permitteret communionẽ sub vtraq; specie, tunc minimè omniũ nos sub vtraq; communicare, sed multo magis tunc demũ in despectũ tam Cõcilij, quam Decreti sui, aut vnam tantum, aut nullam sumere, ac planè anathema eos habere vellem⁹, quicumq; auctoritate talis Cõcilij sub vtraq; communicarent.]Quis ergo iam tot propria nomina, quæ in S. Biblijs leguntur, aliter à Lutheranis atq; à Catholicis scribi ac pronunciari miretur? Quamuis enim Christũ ipsum eiusq; Apostolos & Euangelistas, spiritu sacto inspiratos, eodẽ prors⁹ modo quo, 72. Interpretes Hebraica nomina enunciare solitos nemo: qui Noui Testamẽti libros Græcos legerit, ignorare queat, adeo vt Luther⁹ ipse in eorundẽ librorũ versione Iudaizare ausus nõ fuerit, velut nomina *Ezechias, Zacharias, Gedeon, Sãson, Elisæ⁹* testatũ faciunt: nihilomin⁹ vt ne occasionẽ ægre faciendi Ecclesię Catholicæ & ab ea dissentiendi, omnino pręmitteret, in veteri Testamẽto perpetuo *Hiskias, Sacharia, Gideon. Simson, Elisa*, & in Nouo quoq; *Iesaias*, pro *Isaias* & *Deus Zebaoth*, pro *Sabaoth*, Iudæorũ potius, quam 70. Interpp. atq; adeò Christi ipsi⁹ & Apostolorũ auctoritate posuit, et hodie quoq; Lutherãi, ne à magistri Catholicorũ odio degenerasse videantur, simili exẽplo plerũq; Iudaizant. quo igitur tandũ mo do contumacib⁹ illis Iudæis similiores esse poterant, quorũ velut *superborũ virorũ* (Ier. 43, 2.) hæc ad Ieremiam verba legimus Ierem. 44. *Sermonẽ quẽ locutus es ad nos in nomine Domini, non audiem⁹ ex te, sed facientes faciemus omne verbũ, quod egredietur de ore nostro.* Quis porrò nõ hæc similiter Lutheranis dicta agnoscat Ierem. 6. & 42. *Hæc dicit Dominus: State super vias & videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea Et dixerunt: Non ambulabimus Et constitui super vos speculatores* Episcopos, qui quando vident gladium siue Hæresin, tuba canant. *Audite ergo vocẽ tubæ* eorũ, siue, cauete ab iis, quos speculatores pro Hæreticis

Lutherus odio Catholicorum præcipit concubinatum.

Eodem odio reijcit communionem sub vtrãque specie,

Et Iudæos potius quam Christum, in nominib propriis scribendis sequitur

Lutherani pertinacia sua Iudæis prijcis similes.

ticis habent. *Et dixerũt: Non audiemus. Hæc est via eorũ ab adolescentia ipsorũ.* Luther⁹ quidẽ quemadmodũ verbis iam recitatis confessus est, se doctrinam suam, tantum odio Papæ ac Papistarũ cœpisse, in quã sententiam in Disputatione quoq; Lipsica: *Hæc,* inquit, *causa propter Deũ non cœpit, neq; propter Deũ finietur*: ita se in eodem odio mori, eiusq; odii velut Hereditatem Lutheranis suis relinquere Smalcaldiæ in morbo cubans ac suprema iudicia ordinans testatus est. nam hæc tum fuerunt eius verba, quæ conuiuial. Isleb. fol. 451. legimus: *Ego morior in odio Papæ nebulonis.*

Lutheranismo hominum odio capit, hominum odio finietur.

CAPVT LXXXI.

TAmetsi autem hodierni nostri Protestantes plurimas ex iis, quas supra recensui, Pertinaciæ suæ causas habent, tamen haud scio an odium Catholicorum & ἐπηρεασμὸς, quem Aristoles vocat, hoc est, *alteri aduersandi omniaq; eius desideria impediendi ægreq; faciendi studiũ* vel solũ potentissima, cur animis aduersus Religionem Catholicam adeò pertendant, causa sit. nam in genere persuasum est omnib⁹, Catholicos ea credere, quæ manifestè sint impia, quæq; nemo ipsorum, quantacũq; mercede proposita, sine scelere possit amplecti. Itaq; tametsi plurima Doctorum suorum Lutheri & Caluini placita ac dogmata sua sponte legendis scripturis falsitatis condemnant, & vnusquisq; etiam de fidei capitibus ac scripturarũ intellectu in suo sensu abundare sibi permittit, aliusq; alio longius aut propius ab Augustana confessione recedit, neq; alio consilio, nisi vt Pacis Protestantib⁹ datæ beneficio fruantur securiq; in Imperio agitare queant, Augustanæ Cõfessioni suscribunt: nihilominus quia in omnibus ferè Fidei articulis Catholicos aperte impiam & absurdam sententiam tueri persuasum habent, rectè sibi facere videntur vt de amplectenda Catholica religione vel cogitare nefas quoddam existiment. Verbi gratia, vt vnum de multis afferam, sui eis Præcones, præceptores ac parẽtes persuaserunt, Catholicos diuinis honoribus B. Virginem afficere, cultumq; soli Deo debitum ad ipsam transferre. Hoc sine execrabili Idololatria fieri nõ posse rectissime iudicant, nosq; Catholicos omnes in eo sibi assentientes habent. Etsi autẽ nos simul iniuria in eo nobis fieri Deũ hominesq; testamur, nosq; B. Virginẽ nequaquam pro Dea habere, ac nõ nisi eo honoris genere, quod lõge lõgeq; sit diuina maiestate inferius, afficere, neq; ab ea tamquam à Domina & beneficiorum largitrice, sed velut ab Aduocata

Protestantium pertinaciæ præcipua causa, Odiũ Catholicorũ.

Quia putant Catholicos credere manifestè impia.

Protestantium animi quod ad religionẽ quomodo reuera affecti.

Credunt B. Virginem diuinis honoribus affici à Catholicis.

Sed faciunt eis iniuriam. Vide infra cap. 94.

cata, quæ gratia apud Deum valeat, & preces pro nobis efficaſſimas Deo admoueat, opem & auxilium petere vel iureiurando dato affirmamus: tamen aut nihil ipſis de hac noſtra reſponſione conſtat (nam Catholicorũ Theologorum, velut hominũ ſuſpectorũ libros non legunt, neq; ferè cũ quoquam Catholico, qui ſententiam noſtram rectè tueri vel ſciat, vel audeat colloquũtur) aut eam aſtutè ad effugiendam iuſtæ reprehenſionis inuidiam à Theologis cõfictam ſuſpicantur. quã hominũ iam animis ægrotantiũ & in eam, quo vergunt, partẽ impelli procliuiũ ſuſpicionẽ Miniſtri ac Pſeudoprophetæ ipſorũ alunt (*vt prona ſemper eſt Odio in peius fides*, facileq; in exulcerato animo fictũ crimen reſidet) & verbi gratia neſcio cuiꝰ Catholici poetæ verſus eis exhibent, in quibus B. Virgo *Dea* dicitur, tũ aliũ librũ ante hos centũ annos editũ alicunde proferunt, quo B. Virgo *Omnipotens Domina* appellatur, vt iam B. Virgini ea, quæ ſoli Deo conueniunt, à Catholicis tribui, ſatis exploratum cenſeant. Nemo quidẽ paulo humanior non facilè ſua ſponte perſpicit, cum Catholici omnes, etiam femellæ & agricolæ, in quotidianis ſuis precibus nihil aliud à B. Virgine petant, quam vt ipſa Deũ pro ipſis deprecetur, eos nequaquam diuinũ ipſi honorẽ tribuere (nam Deo minorẽ eſſe oportet, quæ Deũ pro alijs oret, neq; ſuo arbitratu ac modo ſe inuocantes iuuare queat) adeoq; verba illa in ſenſu aliquo tolerabili & ipſis Catholicorum factis conſentaneo accipi oportere, vt nimirum B. Virgo non aliter Dea dicatur, quam quomodo vulgo dicunt, *Hominem homini Deum eſſe*, ob benefaciendi ſcilicet voluntatem, aut quomodo Deus Moſen conſtituit *Deum Pharaonis*: ſimiliter vt *Omnipotens* dicatur, quaſi quæ omnia apud Deũ poſſit ſiue, quæ tam gratioſa ſit apud Deũ, vt nihil nõ impetrare queat. Certè Apoſtolus quoq; Paulus, quamuis adhuc in terris ageret, omnipotentẽ ſe dicere nihil fuit veritus: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Itaq; à Scripturæ conſuetudine nõ abhorret, homini adhuc in terris viuenti, nedũ in throno gloriæ iam collocato cũ Dei appellationẽ, tum omnipotentiam tribuere, adeoq; Catholicis, dũ nihil in ſententia alucinentur, & opinionis errore careant, ad ipſiꝰ Spiritꝰ ſancti conſuetudinẽ loqui, vitio nequaquam dari debet. Sed quis Proteſtantes, præcipueq; Principes huiusmodi Catholicorũ excuſatione in mediũ allata ſuo illo errore liberat? Ipſi enim magnã partẽ aut nũquam in omni vita cũ quoquam Catholico, qui præſertim Fidei cõtrouerſias nouerit cõuerſantur, aut ſi quando ad Principes Catholicos viſũ veniũt, vel ab illis viſuntur (q̃ quidẽ cõtingit rariſſimè) nullũ de Religionis cauſa verbum

Prædicantes eam Lutheranorum ſuſpicionẽ confirmant.

Etiam ſimpliciſſimi Catholicorum B. Virgini minus, quam Deo tribuunt.

B. Virgo quomodo Dea, et quomodo õnipotens

Catholicorũ loquendi modus in Scriptura vſitatus.

Proteſtantes aut numquam audiunt Catholicorum defenſionem.

verbum audiunt, omnem ſuam operam illuc conferentibus Principibus, vt alter alteri beneuolentiam ſuam rebus in vſum lætitiæ natis declaret: aut etiam ſi omnino contingat Catholicorum ſententiam eis per occaſionem declarari, tamen aut eos, cum quibus agunt, quid reuera ex Pontificis præſcripto credant Catholici, neſcire, aut ſi ſciant, id fugiendæ inuidię cauſa callidè diſſimulare, aut ſi omnino ex animo & ſedulo loquantur, tamen ab eorum Catholicorum ſententia, qui ante exortum Lutherum vixerunt, diſcrepare, nouaque opinione pro ratione horum hominum ac temporum conficta imbutos eſſe exiſtimant, ſicut Auguſtana Confeſsio eiuſque Apologia palàm affirmant, Catholicos ex quo Lutheri libris oppugnati fuerint, multis de rebus commodius loqui cœpiſſe. Verumtamen fingamus vnum illum de diuino B. Virginis cultu errorem illis eripi, ipſosque Catholicorum ſententiam rectè percipere ac probare, adhuc tamen *nil exempta iuuat ſpinis de pluribus vna*: Siquidem alia multa ſunt, quæ perperam impieque à Catholicis credi perſuaſum habeant. Vix enim vllus eſt fidei articulus, in quo non calumnientur nos Hæreticorum Doctores, eamque nobis ſententiam affingant, de qua numquam nobis in mentem venit: & quod ſciant, ſi Principibus, quid nos reuera credamus, ſaltem *hiſtoricè*, vt aiunt, conſtet, fore vt odium ipſorum erga nos religionemque noſtram non parum detumeſcat ipſiſque & vxoribus ac liberis ſi minùs ad reſtim, ſaltem ad ſaccum & mendicitatem res redeat (non niſi enim linguæ quæſtum facere didicerunt, quo ſe velut Laicos & coniugatos inter Catholicos prohibitum iri non ignorant) propterea manibus ac pedibus enixè faciunt omnia, vt quam nobis ſententiam falſo tribuerunt, in ea nos eſſe noſtrorum Doctorum verbis planum faciant ac demonſtrent. Sic ergò circumſcripti ac decepti Principes non poſſunt Catholicos non odiſſe, quibus tam manifeſtè falſas & impias opiniones adeò penitùs infixas putant, vt vel minimam de euellendis ijs cogitationem ſuſcipere dementis & inſani hominis eſſe videatur. Accedit poſtea, quod Catholicos, vt ſuas illas opiniones tueantur ac propagent, *illuc omnia conſilia ſua conferre ſuſpicantur, vt quo iure quaque iniuria Proteſtantes à beneficio pacis publicæ ſubmoueant, ac vi armata ſub imperij Pontificij iugum ditionemque redigant.* Coniecturam quippe de animo ſuo faciunt, cumque ſibi conſcij ſint, ſi vires ipſis ſuppeditarent ad Catholicos in ſectam ſuam cogendos, ſe nequamquam occaſioni defuturos eſſe, nos ſimiliter erga ipſos affectos eſſe, conſilia quidem certè de vi Proteſtantibus facien-

Aut eam ſiue contemnunt, ſiue ſuſpectam habent.

Catholicorum Fides in omnibus ferè articulis calumniam patitur.

Quare prædicantes de Catholicorũ Fide tam ſtrenuè mentiantur.

Alia Proteſtãtium erga Catholicos odij cauſa.

da à Theologis nostris institui, Principibusque impertiri suspicantur. Quamuis autem Theologi nostri: etiam Iesuitæ, sentẽtiam illam, quę negat *datam Hæreticis fidem seruari oportere* (quam Lutheri esse supra capite X V I. demonstraui) libris palam editis Hæresios condemnent, & Pacem Religionis in Germania publico omnium Ordinum decreto sancitam firmatamque inuiolatam seruari oportere accuratè doceant: persuasissimum nihilominus habent Protestantes, nos falsam, pestiferam ac seditiosam istam Lutheri sententiam sequi, ipsisque adeò datam fidem seruari nolle, quemadmodum etiam Regem Iacobum ex eadem sententia inuidiam in nos quærere nihil fuit puditum, vt indignari minimè debeat, si quis Catholicorum hæc ei Tertulliani verba regerat: *Qui potes ista de nobis credere, potes & facere.*

Lutheri sentẽtia est, Fidem Hæretico non seruandam.

Eam Lutherani Catholicorũ esse suspicantur.

CAPVT LXXXII.

SED etiamsi Protestantibus huiusmodi siue metus, siue suspicio Catholicos inuisos non redderet, adhuc tamen vel in eo plus satis iustas Catholicorum odij causas habere sibi viderentur, quod ex ipsorum Religione siue sententia plerique omnes egestatem sibi obtigisse aut egestatis periculũ imminere intelligant. Cùm enim ex quo tempore Catholicam fidem Hæresi mutarunt, valdè numerus eorum auxerit (nisi enim fallor, ad CXXX. Protestantes Imperij Principes hodiè numerare licet, cùm Catholici nonnisi X X V. viuant, nempe I V. Landgrauij Leuchtembergici, V. Bauari & X V I. Austriaci, te, Rex Catholice, cum filijs vnà comprehensis) cumq; Illustrissimis, imò Regijs familijs editi inueniantur, quorum annuus census *CC.* aut *CCC.* aureorũ summam non excedat, qua quidẽ ex re vsu venire eis nonnumq̃ solet, vt *Poëticè* potiùs, quàm *Regiè* vestiantur, ꝙ illi, qui adhuc rem familiarẽ satis commodè paratam habent, itidem sibi ac suis mox euenturum prospiciunt: quomodo nõ odio habeant Catholicos, à quibus non aliam ob causam, nisi quia, verbi gratia, sententiam ipsorũ de diuinis honoribus B. Virgini deferẽdis (Catholicos enim, vt dixi, ita sentire persuasum habent) ꝓpter manifestam Idòlolatriam amplecti nequeunt, se suosq; à Sacerdotijs, Prælaturis & Episcopatibus submoueri, & ad perspicuam mendicitatẽ redigi sentiunt? Non est dubiũ, quin euoluẽdis maiorum suorum monumentis ac historijs, quantum ijs in Ecclesiarum & Monasteriorum opibus ad conseruandas familias præsidij semper fuerit, compererint. Exempli causa *Philippus Ingenuus*, Elector

Alia odij Protestantiũ erga Catholicos causa.

Egestas aut præsens, aut imminens.

Iusta Protestãtium indignatio ex iniusta suspicione orta.

Ecclesiastici ex familia Comitũ Palatinorũ.

Palatinus

Palatinus quatuor habuit filios, septem Ecclesiarum Episcopos, Ratisbon. Frising. Spiten. Vuormat. Zicen. Naumburg. & Vltraiectensis: tum filiam Monasterij Neoburgensis Antistitam siue Abbatissam. *Stephanus Veldentianus*, à quo sunt orti, quotquot hodiè viuunt, Palatini Comites, duos habuit filios, vnum Archiepisc. Magdeburgensem, alterum Episcopũ Argentinẽsem. nepotes verò ex Ludouico filio tres Coloniæ simul & Argentinæ Canonicos: ex altero autẽ filio, *Friderico Simmerensi*, vnum qui esset Episcopus Ratisbonen. & Cantor Moguntinus, alium Treuirensem Canonicũ, alium Colonię Præpositũ, aliũ Colonię & Magdeburgi Canonicũ. Huius porrò *Friderici* quinq; proneptes totidem Monasteriorum Antistitæ fuerunt. Sic *Iacobi Marchionis Badensis* filiorum Ecclesiasticorum alter Archiepiscopus & Elector Treuirensis, alter Metensis Episcopus fuit: nepos autem ex *Carolo* filio Episcopus Traiectensis. Cuius frater *Christophorus* cùm numerosiore prole auctus fuisset, filiorum hunc quidẽ Electorem & Archiepiscopũ Treuirensem vidit, illum Canonicum & Custodem Argentinensem, alium Argentinensem, Coloniensem & Metensem Canonicũ. Quartus à *Philippo Austriaco*, primo eius nominis Hispanarum Rege, Lucemburgensis Prouinciæ Prefecturam obtinuit. In wirtembergica familia *Henricum Vlrici Pollicis* patruum inuenio Episcopum Eistetensem fuisse circiter annum Christi 1250. Eius ipsius verò Pollicis ex filio nepos *Vlricus* Spirę ad S. Guidonem Prępositus cõmemoratur. In stemmate Marchionũ Misniæ, qui sunt hodie Saxonię Electores, legitur *Ludouicus* Archiepisc. Moguntinus anno 1380. cùm fratre *Sigismundo* Episcopo Mersburgensi: & *Friderici Placidi*, Electoris frater *Sigismundus* Episcopus Herbipolensis, patru⁹ *Alberti* Archiepiscopi Moguntini & Ernesti Magdeburgẽsis: *Alberti* deniq; *Animosi* filius *Fridericus*, Magnus Ordinis Equitũ Teutonicorũ Magister, qui obijt anno 1510. Iam ex Anhaldinis Principibus *Albertus* duas filias habuit Antistitas, & vnam Monialẽ, filios verò tres, quorum vnus fuit Monachus Franciscanus, alter Prępositus Magdeburgensis, terti⁹ Mersburgẽsis Episcopus. In Brandenburgensiũ à *Zolleranis Comitibus* ortorum & Austriacę domûs beneficio altiùs euectorum familia *Conradus* circa annum 1330. tres filios Ordinis Equitum Teutonicorum Commendatores habuit: ex cuius fratre *Friderico* natus *Fridericus* Ratisbonensis & Eistetensis fuit Episcopus, eique defuncto frater *Bertoldus*, Ordinis Teutonicorũ Eques in Eistetẽsi Episcopatu successit. *Iohãnis Magni* siue Ciceronis Germanici filiorũ alter *Ioãnes Albert⁹* Canoncus fuit Moguntinus, alter *Albertus* Elector & Archiep. Moguntinus

Ex Marchionibus Badensibus.

Ex VVirtembergicis.

Ex Ducibus Saxoniæ.

Ex Anhaltinis Principibus.

Ex Marchionibus Brandenburgicis.

tinus ac Magdeburgensis, & Halberstadiensis Episcopus & Cardinalis, cuius ex fratre *Ioachimo* pronepotes *Fridericus* & *Sigismundus* Magdeburgensem & Halberstadiensem Ecclesiam obtinuere: patruelium verò ex *Friderico* patruo eius natorum, primus in Ecclesiis Magdeb. & Halberstad. successit, alter Rigensi Archiepiscopatu potitus fuit, tertius Moguntię Canonicus simul Herbipolensem Præposituram obtinuit, quartum Bambergæ & Herbipoli Canonicum Leo X Pontifex in Cubicularijs habuit: quintus verò Valentiæ Prorex Castellæ Regis filiam vxorem duxit. Eiusdem porrò Alberti Cardinalis patruus *Albertus. Magnus* Ordinis Teutonicorum in Borussia *Magister* fuit: qui vt se bona fide Lutheranum factum probaret, prouinciam illam Ecclesiæ & Imperio Germanico eripuit, ac nobilitatem Germanicam, cuius virtute primùm parta fuerat, eius recuperandæ spe in perpetuum deiecit, vt Nobiles Germani, quantum emolumenti ex hodierno nōnullorum fœdere ipsis exspectandum sit, tandem aliquando si minùs perspicere, saltem manibus tractare debeant. Sed neque non peruetusta ac verè Regia Brunsuicensium familia à *Guelfonibus*, siue *Guelfingis*, siue *Aguelfingis* aut *Agilolfingis* priscis illis Boiorum Regibus propagata (quemadmodum me docuit *Marcus Velserus*, rerum Boicarum Conditor, cui viro iniuriam facere verear, si mea laudatione ornare eum Coner) illa igitur familia plurimos Ecclesiasticos homines, quoad Catholica mansit, produxit. *Henrici* quidem *Nigri* filius & *Henrici superbi* frater germanus, *Conradus*, priùs Claræuallensis Monachus, postea Cardinalis fuit. *Otto* etiam cognomine *Paruus* duos filios Episcopos habuit, alterum Hildesheimensem, Vuerdensem alterum. *Alberti Magni* duo filij, Luderus & Conradus Ordinis S. Iohannis Hierosolymitani Equites fuere. Eiusdem Alberti filius *Henricus Mirabilis* filium habuit *Ioannem* Præpositum Embeccensem, & ex altero filio *Henrico* nepotem, cui *Melchiori* nomen, Osnabrugensem Episcopum. Huius fratres patrueles fuere *Iohannes* Magnus Borussiæ Magister (quod emolumentum posthac tam Brunsuicenses, quàm ceteri Germaniæ Principes frustrà sibi polliceantur) & *Albertus* Halberstadiensis, *Henricus* Hildesheimensis Episcopi: quorum soror fuit, Gandersheimensis Antistita. Postremò *Henrico* seniori, qui anno 1514. diem suum obijt, tres filij Episcopi, Bremensis nempe, Verdensis & Mindensis, duoque Ordinis Teutonicorum Equitum Commendatores fuere. Alios ex ea gente Pastores & Episcopos non inuenio, sicut neque in ceterorum Principum, postquam ex Ecclesia Catholica exierunt, familijs.

Borussia per Brandenburgicos Ecclesiæ, Imperio & Nobilitati Germanicæ erepta.

Ex Ducibus Brunsuicensibus Ecclesiastici.

Velserus rerum Boic libro sexto nondum edito.

Lutherani Principes non possunt esse Episcopi.

nam illos nos Catholici nefas ducimus pro Pastoribus haberi, quorum *Iob.24.* Sic commeminit: *Terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos.* Et Isai. 56. *Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt vnus quisque ad auaritiam suam.* Et Ierem. 50. *Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.*

Hæc ergò maiorum suorum exempla cùm in mentem sibi reuocant Protestantium Principes, quomodo eos hoderni sui status non summopere pœniteat? quomodo non ingens Catholicorum odium animis concipiant, quod propter impiam (quemadmodum eis videri dixi) ipsorum Fidem ad Ecclesiarum beneficia non admittantur, itaque *ad incitas*, hoc est, ad extremam paupertatem redacti de prisca maiorum nobilitate in perpetuum perdenda vehementer periclitentur? Nam vt ait Græcus Comicus: Πενία γ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ, id est, *Et Nobilem paupertas infimat virum*: quemadmodum & ille apud Euripidem de se conqueritur:

Protestātes iustas odij erga Catholicos causas habere se putant.

Nam periclitātur de pdita sua Nobilitate.

Λαμπροὶ μὲν εἰς γένος γε· χρημάτων δὲ δὴ
Πένητες, ἔνθεν ἡ 'γένει ἀπόλλυται
Illustre nobis est genus, sed pauperes
Sumus. Vetustam hoc Nobilitatem perdidit.

Itaque valde alucinantur, seque rerum humanarum non satis gnaros esse declarant, qui putent Colloquijs ac Disputationibus de fidei articulis, quicquam apud Protestantium Principes profici posse. Nesciunt enim omnia ipsorum argumenta huiusmodi pronunciatis seu sententijs contineri:

Error eorū, qui Colloquiis Protestantes putāt conuerti posse.

1. *Nisi me meosque velim in perpetuum sciens perdere, non fiam Idololatra, neque opinionibus apertè impiis subscribam.*
2. *Nisi fiam Idololatra & opinionibus apertè impiis subscribam, non fiam Papista.*
3. *Nisi fiam Papista ego simul cùm liberis, non admittemur vmquam ad Ecclesias.*
4. *Nisi admittamur, egebimus.*

Quid iam consequens sit, nemo non intelligit, vt scilicet Papistas cum fide sua pessimè oderint & exstinctos cupiant. Interea dum nostri oscitant Catholici, aliasque res agunt, in ipso articulo obrepunt Caluinistæ, tertiumque Protestantium pronunciatum ita corrigunt:

Caluinistæ turbarū ac seditionum flabella,

rigunt: *Nisi vel fiamus Papistæ, vel armis viam nobis aperiamus, non admittemur ad Ecclesias. Atqui Papistas fieri fas non est. Itaque armis aperienda est via*, sicut nempe Prouerb, 22. scriptum est : *Arma & Glady in via peruersi: Custos autem animæ suæ.* (siue, cui antiquior & pluris est salus animæ, quàm bona & opes) *longè recedit ab eis.* Quapropter nisi adui-gilent Catholici, & sublatis, quas exposui, odij causis animos Protestantium priùs ad combibendam opinionum nostrarum notitiam, (vt nimirum quid nos de singulis fidei capitibus credamus, probè ac sine fraude & calumnia pernoscere velint) tum ad audiendas sententiæ nostræ rationes velut imbuere ac præparare satagant, primùm verò omnium metum eorum spe ostensa discutiant, improbas autem spes non vani terroris denunciatione coërceant: næ nos propediem Catilinas, Cethegos, Lentulosque magno numero in Germania habebimus, qui patriam turbare & igni ferroque peruadere, suam etiam ceterorumque libertatem Reipub. nostræ perduellibus prodere, dum ex egestate ipsi emergant, parum omnino pensi ducant. Atq; hoc qui reuocare in dubium audet, aut in diē esse putat, is fateatur licet, se quod sit Nobilitatis egentis ingenium nescire, neque in Politicis quicquam sapere.

Catholicis quid erga Protestantes suscipiendū.

CAPVT LXXXIIII.

SED quoniam, quis & quomodo malis eiusmodi mederi possit ac debeat, in *Consultatione* mea *de recuperanda Germaniæ incolumitate* copiosè disputo, qua de re infra quoq; commodiore loco nonnulla afferam, in viam nunc ex diuerticulo reuertor, cumque cuiusmodi sit Voluptas illa, propter quam *Idiognomones* in sententia perseuerare ab Aristotele dicuntur, planum fecerim, iam dehinc ad eos orationem confero, quos ἀμαθεῖς καὶ ἀγροίκους indoctos, rudes & agrestes eamque ob rem peruicaces esse ex eodem Philosopho discimus. Videlicet cùm haud quisquam sit, quin suam opinionem peruincere gaudeat, quosdam tamen plus stupor, inscitia & ingenij quædam scæuitas siue infelicitas, quàm voluptas seu iucunditas, in sententia retinet, cuius quidem rei, mulierculæ, pueri, agricolæ, ac velut ait Poëta, *Baronum ac rupicum squarrosa, incondita rostra*, siue, quicumque nec scientiam vllam libero dignam, neque sciendi modum, hoc est, *Dialecticam* didicere, nobis exemplo sunt. Huiusmodi enim numquam Ratione, cuius vsum ignorant, interdum auctoritate

Pertinaces ob stuporem & ruditatem.

aliena

aliena, eius nempe, quem ſapere perſuaſum habent, ducuntur, ſurdiſque auribus quæcumque ipſorum opinioni contradicunt, argumenta excludunt, de quibus Phocylides:

Οὐ χωρεῖ μεγάλην διδαχὴν ἀδίδακτος ἀκούειν.
Οὐ γὰρ δὴ νοέουσ', οἱ μηδέποτ' ἐσθλὰ μαθόντες.
Doctrinam Indoctus vel magnam audire recuſat.
Nam bona qui haud didicit, nihil ille intelligit, unquam.

Et Salomon Prouer. 23. *In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquij tui.* Et Seneca: *Noli*, inquit, *congredi cum Imperitis: nolunt diſcere, qui numquam didicerunt.*

Alios poſtremò æquè Voluptas ac ſtupor Peruicaces reddit, quorum ſcilicet iam inueterauit tam error, quàm errandi dulcedo. Si enim vel prima eius dulcedinis gutta tantas habet vires, vt oculos mentis præſtinguat, & alucinari perperamque de rebus propoſitis iudicare faciat, velut de Ira ſupra dixi, & peruulgato illo verſiculo docemur: *Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.* quod quidem in Amore quoque vſu venit.

Pertinaces ob Voluptatem & ſtuporem ſimul.

——— amatorem quia amicæ
Turpia decipiunt cœcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Agnæ:

adeò vt Mimus tota plaudẽte cauea exclamare fuerit auſus: *Amare & ſapere vix Deo conceditur:* quam ipſam reliquarum quoq; perturbationũ ſiue Affectuũ ex cuiuſcumq; boni vel mali ſpecie in animis excitatorum rationẽ eſſe conſtat, vt nimirum *malè verũ examinet omnis corruptus Iudex*--- cuius ſcilicet iudicium, tamquam mentis aciem ſuffuſus humor cœpit obtundere: ſi ergò cùm primùm falſæ opinionis dulcedo illapſa eſt animo, tantas ei tenebras offundit: quis iam non colligat, quàm prorsùs omnem luminis ſeu iudicij partem eis eripi oporteat, apud quos error, & quæ illi comitatur Voluptas, inoleuit ac iam radices altas egit? In hos nempe conuenit, quod in Iudæos pertinaces ex Iſaia Paulus confert Act. 28. *Aure audietis, & non intelligetis: videntes videbitis, & non perſpicietis* (id eſt, vel clariſſima & radio ſcripta ſacrarum literarum verba, quæ contra inueteratum veſtrum errorem in medium afferentur, non intelligetis) *Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus grauiter audiunt, & Oculos ſuos compreſſerunt, ne videant.*] Quamuis autem omnis Voluptas, quæ

Affectus etiam nõ inueteratus impedit rationem.

Multò igitur magis, cũ tempore corroboratus fuerit.

Omnis iucunditas falsæ opinionis facit pertinaces.

pretium erroris facit, eumque erranti gratum reddit, maximas, vbi aliquantulum inueterauit, ad stuporem animis inducendum vires habeat (velut supra cap. LXXVII. in exponenda tertia Pertinacium voluptate Apostolorum ac discipulorum Christi exemplo docui. Eos enim dulcedo erroris de Messiæ regno, quem in pueritia haustum ad adultam vsque ætatem retinuerant, adeò stupidos, hebetes & obtusos reddidit, vt Christus *incredulitatem eorum & duritiem cordis* post resurrectionem acriter eis exprobrandam (Marci 16.) eosque tanta verborum acrimonia obiurgandos putarit: *O stulti & tardi corde ad credendum*, Luc. 24.) sine omni tamen controuersia cùm ijs, qui perperam iudicant, illud in errore suo iucundissimum videtur, quòd inde sibi opinionem ingenij ac scientię accessuram, seque multos discipulos asseclasq; inuenturos confidant, aut etiam quod ijs, quos ipsi oderunt, se multum molestos esse ac dolorem inurere defendenda sententia existiment, ea mentibus eorum Cœcitas obijcitur, vt omnem eorum emendationem ac salutem meritò desperare liceat. Nam & Ambitiosi gloriam, & Vindictam, qui oderunt, propter speratæ Voluptatis vim ac vehementiam, pluris quàm vitam facere solent, sicut Heraclitus *difficilimum esse* aiebat *Iræ*, similiterque Odio, *resistere, cùm id quod cupit*, Vindictam scilicet vel molestiam eius, quem odit, *etiam Vita redimere nihil dubitet* cuius quidem rei Samson nobis exemplo est, qui nihili fecit vitam perdere, dum Vindictam ab inimicis sumeret: *Moriatur*, inquit, *anima mea cum Philistæis*, Iudic. 16. Sed cupiditas eius iustam habebat causam, quod ea Dei gloriam, cuius ita fieri intererat, spectaret, ex quo *Hebr. 11.* inter Sanctos enumeratur. Qui verò ex Ambitione aut priuato odio in sententia perseuerant, adeò Dei gloriam nō quærunt, vt etiam nulla re magis, quam pertinacia illa sua, iniuriam Deo faciant. Nec enim dat Deo gloriam, qui se propter sententiam aut opinionem suam coli ab alijs postulat, quasi eam vel ipse suo Marte inuenisset, vel sibi potiùs, quàm alijs, Deus reuelasset. Sed neque cui Odium aliorum, Pertinaciam suadet, gloria Deum afficit, quippe qui Deum à se parum diligi, apertè ferat. *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt* (sed ei molestus esse studet, vel eum iudicat & prę se contemnit) *Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* 1. Ioan. 4. Itaque vsu venit ijs, qui per Ambitionem & Odium Diabolo dant gloriam (nam *ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*, Iob. 41. oderatque Deum & *homicida erat ab initio*, Ioh. 8. Cui dat gloriam, qui has eius virtutes imitantur, *& desideria eius* volunt *facere*) neque à Christo discere volunt, *quia ipse mitis*

Sed maximè iucunditas nata ex spe gloriæ.

Et ex opinione Vindictæ siue odio.

Vindicta iucūdior quàm Vita.

Manens in sententia propter suam gloriam, Deum offendit.

Et manens propter odium hominum.

VterqueDiabolo dat gloriam.

tis

tis est & humilis corde, Mat. 11. his ergò vsuuenit, vt eis velut alienis omne gratiæ suæ auxilium & lumen atq; intellectum Christus subtrahat, ac Diaboli patris ipsorum potestati eos permittat, à quo indurantur & excæcantur, *vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij* 2. Cor. 4. id est, vt ipsi apertissima quamuis & facillima Scripturę verba rectè intelligere nequeant, sed propter ingentem stuporem omnibus admirationi fiant, quemadmodum S. Iacobus significat capite tertio : *Si Zelum* (inquit) *amarum* siue Odium *habetis & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari* (quasi vobis Deus verum scripturæ sensum aperuisset) *non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, Diabolica.* Aperte autem Ieremias cap. XIII. huic hominum generi, eam, quam dixi, pænam comminatur : *Nolite*, inquit, *eleuari, sed date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos : exspectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem.* tamquam dicat: si non dederitis Deo gloriam, humiliando vos vestramq; superbiam deponendo, oculi vestri vsq; eò occæcabuntur, vt etiam Lux, siue verba Scripturæ luce clariora, sit vobis caligo, vosq; in densissimis tenebris offendatis & moriamini. Idem argumenti habet comminatio illa Isai. 29. *Sicut somniat esuriens* (se comedere) *cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius : Sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion*, siue, qui Ecclesiam ex odio audire nolunt. *Miscuit vobis* Sion oppugnantibus *Spiritum soporis, claudet oculos vestros : prophetas & Principes vestros, qui vident visiones Operiet* (id est, qui se videre & intelligere putant Scripturas excæcabit *Ioh. 9.* In iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant) *Et erit vobis Visio omnis, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent : Lege istum, & respondebit : Non possum, signatus est enim. Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, Cor autem eius longè est à me & timuerunt* siue coluerunt *me mandato hominum & doctrinis* (id est, profitentur quidem se Christianos, ac Scripturæ se credere gloriantur, sed reuera me contemnunt & Scripturæ nihil credunt. Cum enim in ea Ecclesiæ ac pastoribus disertim promiserim Spiritum veritatis, qui omnem veritatem eos doceat, qui in ipsis loquatur, & ab eorum ore in æternum non recedat, cumq; ijs non secus ac mihi ipsi omnes obedire ac subiacere iusserim, ipsi Ecclesiam ac Pastores contemnunt, & ea Religione, quam Lutherus scripturis adulteratis peperit, me colere volunt) *Ideò ecce ego*

Itaq; à Christi gratia deserti à Diabolo excæcantur.

Zelus amarus, siue obstinatio ex odio.

Principes Protestantes Catholicorum odio in sententia manentes excæcantur.

addam, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur] Similis pæne comminationem etiam Deut. 28. legimus : *Si audire nolueris vocem Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, percutiet te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, vt palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas, & seruias Dijs alienis &c.* Iam verò inter Mandata cetera hoc etiam est Deut. 17. *Venies ad Sacerdotes, quæresq; ab eis* verum Legis sensum, *qui indicabunt tibi iudicij Veritatem. Et facies quodcumque dixerint, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neq; ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, moriatur homo ille.* Igitur illos, qui propter superbiam Sacerdoti obedire nolunt, quia sibi scilicet nihil eo scientia inferiores videntur, cæcitate, amentia & furore punit Deus, vt iam veram viam, siue, Religionē veram videre nequeant, sed alienis Dijs seruiant, & furore inflammati vitam, quàm sententiam, ponere præoptent. Psal. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ quæ obturat aures, suas, ne audiat vocem incantantis sapienter.*

Etiam Pertinaces ex ambitione excæcantur.

Vide supra cap. 28.

Pertinaces furiosi & surdi.

CAPVT LXXXIV.

SEd rursum Lutheri verbum operæ prætium fuerit audire, quibus non aliorum modò Hæreticorum, sed quod summopere mireris, suam quoq; ipsius naturam & ingenium describere se apertè profitetur. *Tomo 2. Ger. witt. de soliditate verborum,* Hoc est corpus meum. *fol. 122 b. §. 5. & Tomo 3. Ger. Ien fol. 338. b. §. 4.* A sæculo non est auditū, vllū falsæ doctrinæ inuentorē fuisse conuersū. Nempe nimis grande est istiusmodi peccatū, & in spiritū sanctū. Itaq; Deus illos indurari permittit, vt fiat, quod Isai. 6. scriptū est; Vidētib⁹ oculis nō videbitis, nec aurib⁹ audientib⁹ audietis. Excæcatū est enim cor populi huius] *In Colloquijs Islebensibus de Verbo Dei fol. 11. a. §. 2.* In hoc vno Hæreticis sunt omnia, cū quis Tragædiam cæpit, vt in ea pertendat nauiter, ac dicat: Vos ceteri simul omnes erratis, & iniquitatē tuemini, sed mea solius doctrina vera est, & explorata Dei veritas in ea permaneo, etiamsi vniuersus orbis contradicat. Deus enim profectò mētiri nequit. At enimver bū eius à me facit, vt ōnino decipi nō possim] *Tomo 1. Ger. witt. in comment. Gal 3. fol. 114. a.* Sectarū capita & seductores nunquam ad veritatē cōuertuntur. Fit quidē nōnunquam, vt aliqui ex errore ad veritatē se recipiant,

Hæreticorum pertinacia quāta sit teste Luthero

Hæreticos Lutherus ait prouocare ad Verbum Dei.

recipiant, qui nimirũ nondum tam vehementer fascinati sunt, neq; in fascinatione captiui tenentur. Sed auctores, duces & capita talis fascinationis impossibile est vt cõuertantur. Oportet enim eos implere fidẽ tituli quo à S. Paulo hic afficiuntur, vt scilicet veritatẽ non ferant, nec ei obediant, sed illuc potiùs omnem operam conferant, vt omnia argumenta contra ipsos allata eludant & scripturarũ loca commentitijs suis expositionibus adulterent. Tam validè enim fascinati sunt & excæcati vt firmissimè persursum habeant, penes ipsos esse purampurtam Veritatẽ, & sincerissimũ certissimũq; Scripturæ intellectũ. Qui autẽ hac persuasione laborat, is õnino neminẽ audit, nedũ vt alij cedat, eiusq; sententiæ subscribat. Eodẽ modo (*quo scilicet fascinati sectarũ conditores*) nec EGO quicquam audire, nec admittere possum, quod doctrinæ meæ aduersatur. Prorsus enim per Spiritũ Christi certũ & exploratũ mihi est, me purissimam & certissimam doctrinam habere] Sic igitur perspicuum est, quod supra dixi, Hæreticos nihil nisi se ipsos, hoc est, Gloriam & Libertatem suam amare, neq; hominũ salute (quod Catholici faciunt martyres) sed sua contumacia vitam posteriorem ducere, mortem deniq; non nisi iustissimam ipsorũ superbiæ & erga Sacerdotes odij pænam esse: qua quidem ideò afficiuntur, vt ne alios ipsorum impunitas ad superbiam similem inuitet: *Cunctus populus audiens* mortem eorum *timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia*, Deut. 17. Magnum nempe foret periculum, ne quot capita, totidem de sensu Scripturarũ exsisterent sententiæ, nisi capitali supplicio Sacerdotũ potestas & auctoritas sancita esset. Itaq; Salomo Prou. 19. & 21. *Pestilente* (inquit) *flagellato, stultus sapientior erit.* Pestilens est, quicumq; vel propter superbiam se ipsum *in chatedra Pestilentiæ* collocat (Psal. 1.) & *loquendo peruersa* seu perperam interpretandis scripturis *discipulos post se adducere* conatur ac velut *lupus rapax* gregem dispergit (Act. 20.) vnde Prou. 29. dicitur *Pestilens dissipare Ciuitatem*: vel qui ex odio erga Catholicos, inprimisque Pastores ac Doctores, in falsa aliqua opinione pertinaciter manet: cuius notæ homines ideò Pestilentes dicuntur, quod contagione non careant, neq; solũ in sententiæ suæ, sed etiam in pęne communionem multos alios pertrahant, quemadmodum de ipsis testatur Paulus 2. Tim. 2. *Sermo eorum vt cancer serpit.* Itaq; populo sic precipit Moses Num. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum* (contra Sacerdotes murmurantium) *& nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Stultus verò est, qui vel propter stuporem & inscitiam, vel propter

Hæreticorũ Duces conuerti impossibile dicit Lutherus.

Quia putant se rectè scripturas intelligere.

Lutherus se ipsũ morbo Hæreticorũ fatetur laborare.

Qualis Amor sit in Hæreticis.

Hæretici quare Deus occidi iusserit.

Hæretici dicũtur Pestilentes ob contagionẽ.

Stulti dicuntur Pertinaces ob voluptatẽ malitiæ & contagione carentem.

ptervoluptatem aliquam in ſua manet ſententia, nec audit conſilium Sacerdotum. *Nam ſapiens corde precepta ſuſcipiet & audiet conſilia: via autem ſtulti recta in oculis eius,* Prou. 10. & 12. Sic *ſtultos & Tardos corde* Luc. 24. diſcipulos ſuos Chriſtus dixit, qui non ex vlla ſuperbia aut cuiusquam odio, ſed tantum propter oblectationem in errore de Chriſti regno permanebant, quia ſcilicet eum in pueritia ſua hauſerant. Huiuſmodi ergò ſtulti cum Peſtilentem ſiue ſuperbum & ſacerdotibus inimicum flagellari ſiue occidi vident, Sapientiores redduntur dum ne idem ipſis vſuueniat metuunt, adeoq; ad conſiderandam opinionis ſuæ, vanitatem acrius oculos intendunt. Βλέπων πεπαίδευτ᾽ εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά *Aliena qui cernit mala, fit ſapientior*

Stulti Sapientes redduntur Hæretico interfecto

auidos vicinum funus vt ægros.
Exanimat, mortisque metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent vitijs *ait Horatius.*

Sin autem adhuc tanta ſit ſiue dulcedinis, quam ex errore ſuo percipiunt, ſiue ſtuporis magnitudo, vt eam alieni mali exemplum ſuperare nequeat, tum locus eſt ei remedio, quod præmonſtrat Salomo. Prou. 22. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, ſed virga diſciplinæ fugabit eam.* hoc eſt, τῆς προκοπῆς ἐγκοπήν, *profectus impedimentum* (ita Bion ſtultitiam ſiue ſalſam ſcientiæ perſuaſionem appellabat) de medio tollet. Prou. 10. *Virga in dorſo eius, qui indiget corde.* Prou. 26. *Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium.* Prou. 29. *Virga & correptio tribuunt ſapientiam.* Prou. 20. *Liuor vulneris abſterget mala, & plagæ in ſecretioribus ventris.* hoc eſt interprete Luthero, malum coerceri debet graui pæna, & plagis eiusmodi, quæ altè deſcendant probeque ſentiantur. Ratio huius rei redditur Prou. 18. quia *Non recipit Stultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius.* Eſt nempe velut vas pertuſum, qui propter ſtuporem ac væcordiam rationum momenta non percipit, neq; Dialectica tenet, vt quid ex quo conſequatur, intelligere queat: in quod hominum (ſi tamen hominum, ac non veruecum) genus ſcitum eſt hoc Euripidæum:

Pertinatia dolore aut metu doloris expellitur.

Stupidi ſunt velut vas pertuſũ

Οὐκ ἂν δυναίμην μὴ στέγοντα πιμπλάναι,
Σοφοὺς ἐπαντλῶν ἀνδρὶ μὴ σοφῷ λόγους.

Replere

Replere sanè pertusum haud queo dolium,
Præcepta stulto ego instillans sapientia.

CAPVT LXXXV.

Pertinaces ex voluptate rationibus & argumentis non cedunt.

QVi verò iam animum aliqua opinione occupatum habet, quam ipsi quæcumque voluptas ex ijs, quæ supra recensui generibus, commendet seu iucundam reddat, ei non magis expedit veram sententiam præcipere quam vinum in dolium, quod alterius alicuius liquoris saporem iam hauserit, infundere.

Sincerum est nisi vas, quodcumq; infundis, acescit. Oratio & doctrina (*ait Aristoteles, X. Ethic. IX*) non in omnibus hominibus vim habet. nam ὁ κατὰ πάθος ζῶν qui ex affectu viuit, *siue, qui non ratione, sed affectu aliquo ducitur*, orationem dehortantem non audit, neque intelligit. Ὅλως γὰρ οὐ δοκεῖ λόγῳ ὑπείκειν τὸ πάθος, ἀλλὰ βίᾳ. Omnino enim Affectus non orationi, sed vi *seu coactioni* cedere videtur] *Tamquam dicat* : sicut frustra verba feceris ad ventrem auribus carentem, neque ei, qui acriter esurit, rationibus exponendis, vt ab anteposito cibo se abstineat, persuaseris (λιμῷ γὰρ οὐδὲν ἐστὶν ἀντειπεῖν ἔπος, *Verbum Fami nec vnicum opponi potest* ait Menander) sic neq; apud eos, qui alia aliqua cupiditate, metu, voluptate aut ægritudine tenentut vllus orationi & doctrinę locus est, sed affectum affectu repercutere & velut clauum clauo eijcere oportet, quod non fit tantum mali metum aut dolorem incutiendo (quemadmodum hoc loco velle videtur Aristoteles, cùm Vi coercendos Affectus putat) sed etiam alia perturbationũ aut affectuũ genera in animis commouendo. Nam qui propterea veram aliquam sententiam non admittit, quod ex ea malũ aliquod, tanquam egestatẽ, aut eorũ, quos amat, odiũ sese incursurũ metuat: ei nõ nisi maioris mali, vt exilij vel mortis metus persuaserit: sicut ex diuerso qui sentẽtiam suam pertinaciter tuetur, quod ex ea siue voluptatẽ iam percipiat, siue boni aut emolumenti quippiam speret, ꝓposita maiori voluptate maiorisq; lucri aut boni spe facillimè à sententia abducitur. Atq; huc pertinet, quod *Prou. 25*. Scriptũ est: *Patientia lenietur Princeps et lingua mollis confringet duritiem*. Nam qui durus est, siue Pertinax, cum ex alterius se submittentis & cedentis humilitate se coli magniq; fieri colligit (quod quidem omnes elatiore ingenio præditi, maximè Principes tamquam debitũ

Affectibus laborans non docendus, sed cogendus.

Affectus affectibus expelli debent: spes metu, Voluptas dolore Metus spe &c.

exigere videntur) aut parem, aut maiorem inde Voluptatem percipit, quàm si sententia sua peruincat.

Τιμώμενοι γὰρ πάντες ἥδονται βροτοί.
Honorenamq; affectus gaudet quilibet.

Ira & odium munere dato expellitur.

Eandem rationem habet, quod Prou. 21. scriptum est : *Munus absconditum exstinguit iras, & Donum in sinu, indignationem maximam* : quando nempe maiorem lucri accessio, quam Vindicta, voluptatem pollicetur. nam tametsi quis ei, quem odit, malum dare cupiat, eiusq; rei spe se non mediocriter oblectet : simul ac tamen emolumenti species obijcitur, homini præsertim, cui siue natalium, siue muneris officijquè ratio nitoris cuiusdam ac proinde impensarum necessitatem imposuit, minus difficulter animum inducit, vt nullam sese odij aut iræ causam satis iustam habere aduersus eum existimet, qui oportuno munere se demereri, & quod in ipso est, honestiorem facere, offensam quidem certè & iniuriam priùs, si fortè factam nunc compensare & redimere conetur. Oportet autem vt *munus* eiusmodi sit *Absconditum, donumq; in sinu*, non multis commutatis verbis, depositum, vt accipientis scilicet verecundiæ consulatur, hominis præsertim animo sublimi & generoso præditi. Sicut enim qui sũt angusto humiliq; animo, abs quiuis homine sine delectu ac discrimine dona gaudent accipere, plurimumq; fauent illi Poëtæ verbo : *Vnde habeas, quærit nemo, sed oportet habere*: cuiusmodi est Parasitus ille comici, qui palam de se sic profitetur : *Nihili rumorem facio, dum sit Rumen* (siue gulam) *qui impleam* : ita Magnanimi, qui ceteros vt alijs in rebus, sic & in benefaciendo ac largiendo superare, quam cuiusquam beneficio deuinciri eoq; modo inferiores videri malunt, non ferè nisi cum pudore, etiam à paribus beneficium accipiunt. quem porrò pudet, ei plures beneficij sibi dati conscios habere peracerbum accidit. Itaq; qui solidam dono suo gratiam ab eiusmodi hominibus inire, eosq; reddere sibi placatos studet, dabit illud in sinu remotis arbitris, vt vtilitati eorum non onerato pudore consulere videatur. Hoc annis superioribus non satis intellexit primarius quidam Hispanię Regulus, cum *Diui Philippi*, tui, Catholice Rex, patris nomine *Pensionem annuam XII. M. aureorum* cuidam Protestantium Principi non postremo nequicquam obtulit. nam si quid eius rei ceteris Protestantibus suboluisset (quod quidem omnino futurum

Munus donans alterũ honorat.

Munus cur debeat esse abscõditum.

Magnanimi & generosi non libenter accipiunt munus.

Principi cuidã Lutherano ab Hispanis offertur munus.

Quare id Princeps ille recusarit.

futurum

futurum Princeps ille iudicabat) frontem suam non satis firmam fore præuidit, qua infamiam quamuis falsam & vel tacitam auaritiæ atque adeò patriæ Hispanis proditæ insimulationem sustineret. Tametsi enim plerisque Principum nostrorum est *res angusta domi*, non tamen eos, homines quippe illustrissimo loco natos, simul cum re pudor deseruit. Itaq; cum alias, tum præcipuè in Religionis causa ita secum agi volunt, vt ne quid ipsis quantumuis amplum & quæstuosum suadeatur, quod animum nobilem atq; celsum minus deceat, & pudorẽ ipsorum sugillare queat. Ac noui ego eorum exempla, qui cum eis Catholici ampla & fructuosa Sacerdotia sua cessuros se promisissent, postquam scilicet religionẽ nostram alioquin satis sibi probari præ se tulerunt, ad extremum tamen non sine lacrimis vocẽ miserunt, qua suam ipsi inconstantiam obiurgarent & spernendi emolumenti minùs cum officij religione coniuncti auctores sibi fierent: quos tamen ipsa aliquando, vt puto, necessitas Publiani illius faciet memores:

Quia erat animi generosi.

Habenda ratio pudoris Principum, maximè in religionis causa.

Etiam obliuisci, qui sis, interdum expedit.

Nam eandem capessendæ sanæ mentis causam populi sui Principibus in Ierusalem dominantibus futuram Deus *Isai.* 28. ita significat *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui* (id est, nulla alia res, quam fames & egestas coget eos, vt verbum auditus Dei rectè velint intelligere) *Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumq; operire non potest.* Et hoc quidem modo Pertinacia sua liberantur, quos Voluptas ac Dolor, velut docui, in sententia perseuerare facit.

Principum in errore pertinaciam non nisi necessitas expellet.

Hebetes & Obtusi, quamuis & ipsis *Virga sapientiam tribuat*, dum stultitiam securitatemq; expellit, & aliquid operæ cogitationisque percipiendæ veritati impendere eos subigit: non est tamen dubium, quin plerumq; multum eorum auctoritati tribuant, quos ipsi Sapientes esse persuasum habent : quod ea in re quodam modo ratione vti sibi videantur. Lupum quidem (ait Plutarchus) negant auribus teneri posse, sed rudem plebeculam vel maximè auribus ducere oportet. Neq; tamen plus Oratoris facundia, quam adspectus & velut apparatus imperitorũ animos percellit. Vt enim in bello plerũq; suspicionib⁹ laboratur, & subitus aliquis terror fabulaq; sine auctore sparsa sæpe in fugam milites cõuertit, ac puluis fuga pecorum excitatus, tamquam id hostis aduentantis signum esset, castris

Pertinacia ex stupore orta dolore & metu expellitur.

Et auctoritate aliena.

Quæ res homini apud rudes & imperitos auctoritatẽ conciliet.

exuit: sic in audiendo concionatore multa sunt inania, quæ rem conficiunt, ac veluti torrentis cuiusdam impetus in consultum auditorem rapiunt. Eiusmodi vana quædam sunt *canities dicentis, barba ingens ad vmbilicum promissa, graue supercilium, condecens gestus, sui iactatio, maximè verò vociferatio, & verborum inanium argumentorumque nihil ad rem pertinentium turba ingenti volubilitate ac sine intermissione profusa.* Quibus etiam qui veritatem spectant apud plebem stupidam & indoctam, me iudice, rectè vtentur. *Sunt enim* (quod de se Paulus profitetur Rom. 1.) *non modò Sapientibus debitores facti, sed etiam insipientibus* : ac velut Piscatores hominum, eam hamis escam imponere debent, quam pisciculos appetituros sciant. hoc enim nisi faciant, nempe sine spe prædæ in scopulo morabuntur.

Etiam Catholici auctoritatẽ eiusmodi parare sibi debent.

CAPVT LXXXVI.

CVr autem ab omni cum Hæreticis eorumq; sectatoribus Disputatione abstinendũ sit, tametsi ex ijs quæ modo attuli, satis intelligi potest, haud tamen ab re fuerit hic paulò distinctius explicari. Discimus igitur ex Sacris literis & ex ipso quotidianæ vitę vsu, Disputationes de Religione, maximè publicas, aut alioquin multis arbitris & auditoribus institutas non modò nemini quicquam prodesse, sed plurimis etiam non parùm nocere. Ac prius quidem Apostolus 2. Tim 2. perspicuè sic affirmat: *Noli contendere verbis*, siue, noli disputare, *ad nihil enim vtile est.* Neq; verò obscura est præcepti ratio. Cui enim voluptas aut dolor sententiæ obstinationẽ ac Pertinaciam suadet (velut Hæreticis quiq; eis credunt, vsuuenire docui) is *tenebris obscuratum habet intellectum, & ambulat in vanitate sensus sui* (Ephes. 4.) neq; nisi maiore voluptate aut dolore ad verum conuertitur, quod itidem copiosè iam demonstraui. *Seruus verbis non potest erudiri*, ait Salomo Prouerb. 29. Vbi seruum dicit, qui non rationis imperio, sed affectuum paret, & quo cupiditas, spes, ira, odium, voluptas, dolor ac metus rapit, sequitur. *Quomodo vos potestis credere* (ait Pharisæis Christus Ioh. 5.) *qui gloriam ab inuicem accipitis?* id est, qui gloriæ inanis cupiditate tenemini. Itaq; quod homines partim ambitiosos, partim auaros nihil sua disputatione motum iri prospiceret (nam etiam *qui diuites volunt fieri, incidunt in laqueum Diaboli, eoque captiui tenentur vt cognoscere veritatem*

Cum Hæreticis de Religione disputandũ non est.

Disputationes nihil prosunt.

Nam Hæretici sũt cæci, propter affectus, quibus seruiunt.

Ambitionis serui non possunt credere.

Neq; serui pecuniæ.

veritatem nequeant, 1.Tim.6.& 2.Tim.2.) quęstioni eorum dignum non habuit vel verbum respondere, sed opposita alia quęstione odiosa & ancipiti eos submouit, *Matth.21.* quod ipsum apud omnes eos faciendum esse, quibus in sententia propterea permanere libet, quod eam improbis suis cupiditatibus congruere intelligant. sic *Amos 5.* docemur: *Cognoui multa scelera & fortia peccata vestra: hostes iusti, accipientes munera, & pauperem deprimentes in porta* (neque rationem occupatorum Monasteriorum in Camera Spirensi aut ad Cæsaris tribunal reddere, multò autem minùs rapta pauperibus Monachis restituere volentes) *Ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* hoc est, nihil apud homines eiusmodi Colloquia ac Disputationes proficiunt: ijs ergo Prudens abstinere debet. nam *qui erudit Derisorem, ipse sibi maculã generat* (Prou.9.) siue iustam Imprudentię vituperationem assequitur, quasi nesciat, quod omnes sciunt, apud homines affectibus seruientes nullum rationi locum relinqui.

Prudẽtis est cũ eiusmodi hominibus non disputare.

Διψῶντι γὰρ τοι πάντα προσφέρων σοφὰ,
Οὐκ ἂν πλέον τέρψειας, μὴ πιεῖν διδούς.
Nam docta dicta etsi sitienti proferas,
Nihil iuuabis, ni simul des quod bibat, ait Sophocles

Hac prudentia vsum se Dauid significat Psal. 38. *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me: obmutui & silui à bonis.* Atque hoc ipsum est de quo nos Christus admonet Matth.7. *Ne mittatis margaritas vestras ante porcos*, hoc est, ante homines in voluptatum suarum cœno demersos, ex qua nota sunt, qui Voluptatis causa manent in sententia, siue, qui opinionem quampiam, propterea quod ea ipsis iucunda sit, tuentur.

Pertinaces ob Voluptatẽ Christus Vocat Porcos.

Iam quod huiusmodi Disputationes plurimum quoq; noceant, accuratè Paulus docet *2.Tim.* 2. ac duas quidem pręcepti sui Principes causas reddit. *Vna* est, quia Disputationes Hæreticorum, siue, argumẽta quibus in disputando vtuntur, *multum proficiunt ad impietatem. & sermo eorum vt Cancer serpit, tanquam Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt* (siue, discesserunt à vero scripturarum sensu) *dicentes* & locis scripturę allegoricè interpretatis probantes *resurrectionem iam esse factam* (in baptismo scilicet, in quo velut à peccatis, siue, à morte animæ homines resurgant) *& subuerterunt quorundam fidem*, qui plausibilia eorum argumenta audierunt. *Altera* causa est, quia eiusmodi *quæstiones* ac disputationes *generant lites & contentiones.*

Disputationes cum Hæreticis etiam nocent.

1. *Quia serpunt latiùs Hæreses.*

2. *Quia generant lites.*

Quare ex disputationibus Hæreses serpant.

Et serpere quidem ac propagari pestiferas Hęreticorum opiniones propterea contingit, quod aliquo lenocinio auribus atque animis audientium concilientur. Plerumq; enim ipsa Hæretici disputantis auctoritas, siue assimulata vitæ probitate, siue vano illo, de quo paulò priùs *cap.* LXXXV. dixi, orationis apparatu parta, assensum habet imperitorum & approbationem popularem. Nec enim populo, quantum valeat oratio, curæ est, sed quantum sonet is, cuius reuerendam canitiem, opacam barbam, gestum decentem, memoriamque ostentationi paratam fauore prosequitur: & palmam sua sententia ei adiudicat, qui plus vociferatur, plus se iactat & manibus, pedibus, capite, totiusque adeò trunci inquietatione satagit, ac plura quamuis nihil ad rem pertinentia argumenta & testimonia vno Spiritu, numquam hesitans, nunquam insistens effundit, *Nihil æque* (ait Seneca) *& Eloquentiam & omne aliud studium auribus deditum vitiauit, quàm popularis assensio.* Itaque & Euripedes, scenicus Philosophus, cuius verba Cicero totidem oracula putabat, cùm LXXV. Tragœdias scripserit, tamen non nisi in quinque solis vicit, cùm eum populi sententia vincerent Poëtæ aliquot ignauissimi vt auctor est Varro. Nam *Non quiuis videt immodulata poëmata Iudex.* Sed etiam in alia quauis arte, vel studio non tam benè cum humanis rebus agit, vt meliora pluribus placeant, adeoque argumentum pessimi, turba est, & rectè Cleanthes sapientiæ ac virtutis studioso famam & existimationem popularem nihil curandam esse docet.

I. *Populum enim decipit auctoritas vana disputātis Hæretici.*

Populus prauè iudicat.

Ne spectes Famam, dum vis Sophos esse repente,
Terreat amentis nec te sententia vulgi.
Iudicium sapiens & iustum non habet vnquam
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

II. *Hæretici ad Scripturas & ad populi iudiciū prouocant.*

Neque verò non maximi ponderis illud videri debet, qūod omnes Hæretici & Sacris literis se credere magna cum asseueratione contestantur, & simul interpretationum suarum (quę solæ controuersiam faciunt, cùm Catholici aliter, atque ipsi, Scripturas intelligant) populo seu Coronæ & auditorio iudicium deferre se profitentur. quod quoniam Catholici saluo officio facere nequeunt (nam *Spiritum iudicij sedenti supra iudicium* promissum esse sciunt. Isai. 28. ei nempe, cui Christus & nomen suum tribuit, *Cepham* siue *Petram* vocans, & ouium suarum curam ac regimen commisit) nempe deteriorem iam ipsorum conditionem

conditionem esse oportet, quasi qui vel causæ suæ videantur diffidere, vel exiguam Auditoribus intelligentiam opinione sua tribuere, quos disceptationis arbitros & cognitores reformidet. Hæretici contrà solicitatis & ad beneuolentiam suam adiunctis auditorum animis propè cum explorata victoriæ spe in certamen descendunt. quomodo enim non faueant illis, quos ipsi & bonos viros & intelligentes existimare se declarant, cùm eos in re sua magna arbitros capiunt? *Amamus eos*, ait Aristoteles 2. Rethor. 4. *qui nos admirantur bonosque existimant.* Itaque fit, vt Auditores cùm à Catholicis reiecti Iudices esse nequeunt, ad Hæreticorum subsellia discessionem faciant ac Litigatores & Catholicorum aduersarij esse incipiant: vt omnino satius sit, Disputationem omnem subterfugere, quàm hoc siue causæ, siue Auditoris perdendi periculum adire. Si enim Auditorem, præsertim indoctum, grauissimæ causæ Iudicem constituas, periclitaris de causa, Phocylidæi illius oblitus:

Et beneuolentiam auditorũ hoc modo sibi conciliant.

Catholicus disputator periclitatur aut de causa,

Μηδέ ποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.
Τὴν σοφίην σοφὸς ἰθύνει, τέχνας δ' ὁμότεχνος.
Iudicium numquam paulum permitte peritis.
Doctus doctrinam, atque opifex moderabitur artem.

Sin autem eius arbitrio & cognitioni committere te recuses, periclitaris de ipso, atque adeò de omnibus ijs, apud quos aliqua verbis eius fides est, cùm te nempe disputando victum fuisse, neque aduersarij argumenta refellere potuisse, vel quod propter inscitiam ita sentiat, vel quod sui contemptum vlcisci velit, passim testabitur. Nam in Hæresion & Sectarum incremento perspicuè id vsu venire paret, quod de causa errorum, qui vitam humanam infestam habent, sapienter *Seneca* disputat: Nulla (*inquit*) res nos maioribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Inde ista tanta coaceruatio aliorum supra alios ruentium. quod in strage hominum magna euenit, cùm ipse se populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet. nemo sibi tantùm errat, sed alij erroris causa & auctor est. nocet enim applicari antecedentibus, & dum vnusquisque mauult credere, quàm iudicare, nunquam de vita iudicatur, semper creditur. Versat nos

Aut de auditore & de ijs, qui auditori credunt.

In Hæresin alius alium trahit.

nos & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. *Hæc Seneca.*

CAPVT LXXXVII.

III. *Hæretici blandiuntur hominum vitiis & affectibus.*

SED etiam hoc Hæreticis Auditorum beneuolentiam conciliare solet, quod ferè non nisi ea doceant, & diuinarum literarum testimonio confirmare satagant, quæ vitijs auditorum & affectibus blandiri, adeoque ad aures eorum grata & iucunda accidere oportere sciunt: quemadmodum Paulus Rom. 16. eos ait *per dulces sermones seducere corda innocentium*: & 2. Tim. 3. eos *penetrare domos & captiuas ducere mulierculas oneratas peccatis, quæ ducũtur variis desideriis*: & 2. Tim. 4. eos vocat *Magistros ad hominum desideria*: de quibus etiam 2. Petri 2. legimus, ab ijs *pellici in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, cùm sibi libertatem* à lege siue licentiam *promitti* audiant. Quare vix fieri potest, cùm ad disputandum adulatores eiusmodi admittuntur, quin voluptatum illecebris deliniti auditores plus neruorum in illa parte esse putent & Catholicæ fidei tandem nuncium remittant. Nam, vt ait Poëta, *Prona venit cupidis in sua vota fides*, hoc est, quod quisque cupit & verum esse desiderat, ei non magno negotio, vt id verum esse credat, persuaderi potest. Itaque exigui laboris res fuit Lutheranis persuadere, non esse ieiunandum, non faciendam apud Sacerdotem peccatorum exomologesin, non esse sacrilegium Ecclesias & Monasteria compilare, & fructus eorum annuos in fiscum redigere: quemadmodum etiam *Martinus Bucerus lib. 1. de regno Christi cap. 4.* Sine circuitione plerisque non aliam Lutheranismi amplectendi causam fuisse sic testatur: Maxima nostrorum pars visa est id tantùm ex Euangelio petijsse, vt iugum qualiscũq; disciplinæ, pœnitentiæ & religionis vniuersæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abijcerent. Tum non ingratum ijs fuit audire, iustificari nos fide, non bonis operibus, quorum nullo tenebantur studio. Nec pauci eorum qualemcumque Euangelij prędicationem eò tantùm receperunt, vt in opes inuaderent Ecclesiasticas.] *Quin etiam Lutherus ipse non minus ingenuè id confitetur eo loco, quem supra cap. X. laudaui.* Nos, *inquit*, volumus nos huiusmodi rebus Euangelicos probare, quod sub vtraque specie communicamus, imagines deijcimus, carnes voramus, nihil ieiunamus, nihil oramus, & similibus. Sed fidem & charitatem nemo vult tenere, quæ tamen sola sunt necessaria. Estque hæc Diaboli fascinatio, qui tali modo illuc ducet homines, vt à Papa deficiant,

Lutheri doctrina apud septẽtrionales valdè plausibilis.

Quare plerique ex Papistis Lutherani facti.

Lutherus suos discipulos à Diabolo voluptate fascinatos dicit.

deficiant, nec tamen ad Christum perueniant.] *Et Caluinus, de quo supra capite primo*, Vix, *inquit*, decimus quisque est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quàm vt solutiùs in omnem lasciuiam diffluerent.] *Et Smidlinus supra capite XI.* Simul ac, *inquit*, audiuimus, Papistarum more ieiunare nec opus bonum esse, nec Deo placere, statim nos, hoc est, MAIOR PARS Ieiunij loco conuiuia sumptuosa & compotationes instituimus.

Vix decimus Protestantium est, qui non voluptatis causa ab Ecclesia defecerit.

IV.

Verumtamen haud scio an vel in sola doctrinæ suæ nouitate non habeant maximam Hæretici ad Auditores sibi conciliandos illecebram. Nam noua eos afferre S. Iohannes epist. 2. testatur, cùm seductores ex Ecclesia in mundum exeuntes negat *ambulare in eo, quod audiuerunt ab initio, sed recedere aliamque doctrinam afferre* : quod etiam ex Paulo 1. Tim. 6. discimus, vbi iubet: *Depositum custodire ac deuitare profanas vocum NOVITATES & oppositiones falsi nominis scientiæ.* id est, in eo permanere, quod ab initio fuit auditum, neque committere, vt Hæreticus disputare nouamque doctrinam suam oppositionbus siue argumentis tueri possit. Rationem præcepti huius edit Lutherus loco, quem supra cap. LXX. citaui: Non ludus (*inquit*) aut leuis tentatio est, auocari Nouis & alienis cogitationibus à verbo. Arius cùm spargeret venenum suum in mundum, magno applausu acceptus est, quia afferebat aliquid NOVI, hactenus non auditum in mundo. Talia ferè initia OMNIUM Hæresion fuerunt: obuijs vlnis accepit eos Mundus, & sic admiratus est, ac si priores Doctores non fuissent pueri.] Idem verò ex Aristotelis X. *Ethic.* IV. discere poteramus, quo loco res nouas propterea maiorem docet afferre Voluptatem, quàm obsoletas & vsitatas, quia acrior sit actio & intentio in res nouas, quàm in vsitatas. *Primùm enim innititur* (inquit) *& allicitur animi Cogitatio, & in res ipsas tota intenditur, vt aciem oculorum intendunt, ij omnes, qui res cosiderant : posteriùs verò actio eiusmodi non consequitur, sed multò remissior: propter quod omnis etiam Voluptas obscuratur.* Ibi nempe maior est Voluptas, vbi maior actio, cùm actionum τέλος seu perfectio (velut ibidem docet Philosophus) sit Voluptas, quæ actionem omnem perficit & absoluit. Sapientissimè igitur Legislatores faciunt, qui Leges & instituta Reipub. in disputationem adduci vetant, eaque ἀκίνητα siue immota esse volunt. *Non omnium* (ait Iulianus Iurisc. L. XX. D. de Leg.) *quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. Et ideò* (additur ex Neratio) *rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri* (per disputationes) *non oportet: alioquin multa ex ijs, quæ certa sunt, subuertentur.*] Vbi

Hæretici nouas opiniones tuentur.

Nouitas apud populum valde plausibilis.

Omnes Hæreses propter nouitatem receptæ.

Quare res nouæ sint iucundæ.

Leges & instituta Reipub in dispu tationem vocari non debent.

enim semel hoc sibi sumpserint Ciues, vt institutorũ Patriæ legumq; rationes ad examen vocent, si quàm fortè legem minùs vtilem esse, aliudque aliquid maiori cũ ratione & Reip. emolumento cõstitui posse compererint, nempe vel antiquari & abrogari legem volẽt, vel minùs promptu ac volenti animo ei obtemperabunt. At enim, vt ait Euripides.

— τὸ συνέχον ἀνθρώπων πόλεις
Τῦτ' ἐσθ', ὅταν τὶς τὺς νόμυς σώζῃ καλῶς.
— *saluas hoc præstat Respublicas.*
Cùm quisque rectè obtemperarit Legibus.

Multò melior est obedientia, testante Salomone Eccl. 4. *quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciant mali*, siue non intelligunt, quantum Reip. noceat, Legibus & institutis Patriæ optima fide ac volentibus animis non parere. Non parebit autem, ita vt Reipub. incolumitas postulat, qui Leges esse vitiosas putat. *Omnes enim ei parent, quod vtile est, siue quod Reip. statum conseruat* vt Aristoteles ait *1. Rhetor. 8.* sed neque is paret, qui se prudentia & rerum vtilium dispectu Legum latori, aut custodi, hoc est, Magistratui præcellere persuasum habet. nam quem quis contemnit, ei parere indignum putat, cùm ipsa naturæ ei, qui mente & consilio pręstat, imperium despondeat, velut Prou. 11. scriptum est: *Qui stultus est, seruiet sapienti.* Et Prouerb. 17. *Seruus sapiens cominabitur filiis stultis.* Itaque vt salua sit Respub. illud quisque iam inde à puero fixum animo habere debet, Leges patriæ non nisi sapientissimè ac diuinitus planè descriptas esse, aut certè pro rebus subiectis proque pręsenti copia & rerum circumstantium siue attributorum ratione meliùs describi non potuisse. Vt enim *initio libri IV. Polit.* docet *Aristoteles*, non datur omnibus Rempub. simpliciter optimam consequi, satisque magnum Legislator ac Politicus prudentiæ suę dat documẽtum, cùm eam instituit Politiam, qua meliorem pro copijs præsentibus describere non licet. Facit autem hæc persuasio, vt Ciues sedulò ac libenter Legibus ac Magistratibus pareant, neque noui aliquid cõminisci & in Rempub. inducere velint.

Alioquin fient subditi inobedientes.

Non omnes populi possunt habere optimam Remp. & optimas leges.

— οἱ γὰρ ἥσσονες
Τοῖς κρείσσοσι φιλῦσι δυλεύειν βροτῶν.
— *inferior nam quisquis est,*
Seruire non recusat, se melioribus.

Atque

Atque huc pertinet insignis illa de boni Magistratibus bonique Ciuis virtute & officio Aristotelis disputatio III. Polit. III. qua ceteras quidem virtutes, vt fortitudinem, iustitiam, temperantiam, earumque partes ijs, qui parent, & imperant, communes esse docet: Prudentiam verò imperantis seu Magistratus propriam, cùm in eo, qui paret, siue in subdito, non tam prudentia requiratur, quàm bona opinio, vt de Magistratu scilicet, eiusque iussis atque legibus benè existimet, eaque opinione ductus in leges non inquirat, sed promptè atque alacriter eis obtemperet. Eodem modo Sacræ literæ nos docent, cùm in ciuitate Dei nostri, siue, in Ecclesia alia Magistratus & subditi, siue Pastores & Oues communia habeant, propriam tamen Pastorum virtutem esse scientiam & doctrinam siue Legis interpretationem (Ierem. 3. *Introducam vos in Sion* Ciuitatem solemnitatis meæ, Isai. 30. *& dabo vobis Pastores iuxta Cor meum, ipsi pascent vos scientia & doctrina.* Malach. 2. *Labia Sacerdotum custodient scientiam & Legem requirent ex ore eius.*) Ouium verò propriam esse *Charitatem omnia credentem, omnia sustinentem, non cogitantem malum*, hoc est, bene de ceteris, præcipuè Pastoribus eorumque iussis existimantem, *1. Corinth.* 13. siue Humilitatem & Obedientiam. Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis.* 1. Thess. 5. *Habete pacem cum ijs, qui præsunt vobis in Domino & laborant inter vos*, id est, non contradicite Episcopis. 1. Corinth. 16. *Subditi sitis omni laboranti*, in verbo nempe & doctrina, velut 1. Tim. 5. de Presbyteris qui præsunt, siue de Episcopis loquitur. Iam verò qui subditus esse debet, ei non permittitur in Ecclesiis loqui, siue palàm inquirere & disputare, quemadmodum hæc Pauli de mulieribus verba 1. Cor. 14. significant: *Mulieres in Ecclesiis taceant. non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse*, hoc est, vt 1. Tim. 2. interpretatur, *discere cum omni subiectione.*

Prudentia Magistratus propria.

Subditorũ propria virtus bona opinio.

Charitas Ouiũ Christi propria.

Subditorum nõ est disputare.

CAPVT LXXXVIII.

QVANTUM porrò ad mutandam & euertendam Rempubl. momenti habeant nouæ inuentiones, multò autem magis veterum legum abrogationes, ex eiusdem *Aristotelis II. Polit. VI.* discere licet. Ibi enim institutum illud in Hippodami Republ. quod ijs, qui aliquid Reipublicæ vtile excogitassent, præmium decernebat, hoc

Nouæ inuẽtiones & mutationes legum quãtũ Reip. noceant.

hoc potissimum nomine reprehendit, quod id nouarum legum & institutorũ tamquam Reipub. vtilium inuentioni quasi fenestram aperiat: quam quidem ille rem, quamuis plausibilem ac speciosam, in primis periculosam multæque adeò cautionis esse docet. Si enim præmio afficiatur, qui legem quampiam veterem Reipub. minùs vtilem esse docet, ac nouam à se excogitatam proponit, alterutrum consequatur necesse est, vt qui Reipub. pręsunt vel legem veterem noua commutent, vel id, quod magis ex vsu Reipub. futurum fatentur, negligant. At hoc posterius calumniandi generat materiam, mouetque imperitioribus suspicionem, Magistratus aut emolumento suo studere, qui nouum institutum veteri vtilius repudient, aut quid ex vsu publico sit, minùs perspicere. Sin autem & Leges veteres abrogent, ac modò inuentas accipiant & promulgent, multò adhuc peius Reipub. consulunt. *Lex enim* (ait Philosophus) *nullam, quæ ad parendum impellat, vim habet, præterquam ab vsu. Hic autem non nisi ex temporis longinquitate, annorumque multitudine nascitur. Itaque à legibus receptis & vsitatis* (nisi perspicuè stolidis ac barbaris) *ad alias ac nouas leges facilè migrare, est legis vim ac potestatem reddere infirmam. Assuescunt enim Ciues legibus non parere: quod multò plus Reipub. nocet, quàm legem aliquam,* nisi magna & euidenti vtilitate suadente, *mutasse prosit, vt omnino quædam Legum ac Magistratuum vitia potiùs ferenda & dissimulanda videantur, quàm Ciues legum mutationi & inobedientiæ assuefiant.* Itaque rectè Cleo ille Thucydidæus Athenienses suos obiurgans: *Illud,* inquit, *omnium est grauissimum, nihil apud nos eorum, quæ semel decreta sunt, firmum manere, cùm præsertim scire debeatis, meliùs agi cum ea ciuitate, quæ legibus, deterioribus illis quidem, sed firmis & immutabilibus vtatur, quàm quæ melioribus & irritis.*] Legem enim multorum annorum vsu & experiendo comprobatam abrogare, hoc est, vnam tollendo legem reliquas infirmare, velut *Cato* ille *Censorius* apud *Lilium* disputat.

Vitia quædam Legum ac Magistratuum dissimulanda.

Atque ex his nemo non perspicit, quanto maioris periculi res sit, aliquit in Lege Dei, siue Religione immutare, aut permissis Disputationibus mutandi & nouandi cupidis ansam prębere. Itaque pręcipit Salomo Prou. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* quibus verbis significat, vetera instituta debere esse *ἀκίνητα* siue *immota*, veluti terminos & agrorum limites, quos transgredi, seu transferre & mouere nefas est. Deuter. 27. *Maledictus, qui transfert terminos.* Ac propterea Hæretici, qui Religionem nouant eaque discipulos suos imbuunt, Iob. 24. Sic describuntur: *Terminos transtulerunt, diripuerunt*

In Rep Dei siue Ecclesia nouitatibus locus non dandus.

Hæretici mouẽt terminos antiquos.

puerunt greges & pauerunt eos. Tamquam dicat : ex quo ſemel nouas fabulas commenti ſunt, eisq; populus aures accommodauit, multos ad ſe doctrinæ nouitate pellexerunt. Hoc veritus Paulus illud inprimis Epiſcopo cauendum monet, ne quam Hęreticis noua ſua ſomnia per Diſputationes tuendi ac porrò propagandi occaſionem præbeat, neu ſubditos ſuos Hæreticorum rationes & argumenta cognoſcere patiatur 1. Tim. 1. *Ideò te Epheſi.* Epiſcopum *manere volui, vt denunciares quibusdam, ne aliter doceant, neq; intendant fabulis & vaniloquijs eorum, qui volunt eſſe legis doctores.* id eſt, ne ad aures admittant argumenta eorum, qui ex ſcripturis docere ac probare volunt Legem Moyſis cerimonialem adhuc obſeruandam eſſe. 1. Tim. 6. *Hæc doce & exhortare* tu qui es Epiſcopus. *Si quis aliter docet, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa pugnas verborum, ex quibus oriuntur contentiones. Tu autem hæc fuge, & deuita oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ*, ſiue argumenta eius, qui cum nihil ſciat, ſcientiæ tamen opinione ſeſe vẽditat. Tim. 3. *Contentiones & pugnas legis* (ſiue Diſputationes de obſeruatione legis Moſaicæ) *deuita. Sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam* (non diſputationem, ſed obiurgationem ſiue) *correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt &c.* Tit. 1. *Sunt multi inobedientes, vaniloqui & ſeductores, quos* ab Epiſcopo *oportet redargui.* Ceteros *increpa dure, vt non intendant iſtorum* ſeductorum *fabulis.* id eſt, ne velint audire quibus iſti argumentis ſuam nouam ſententiam ab Epiſcopo reprehenſam probent : immò *neque Aue eis dicant*, (Ioh. epiſt. 2.) hoc eſt, neq; minimum vllius humanitatis ſignum eis exhibeant. Quo minus autem Lutherani de vero Apoſtolicorum iſtorum verborum ſenſu dubitare poſſint, in medium nunc afferam, quæ Lutherus *Enarrat. Pſal. 45. Tomo 3. Lat. Witt. fol. 497.* in hanc eandem ſententiam ſcribit: Prima, *inquit*, hæc Theologi cura ſit, vt ſit bonus Textualis, & teneat hoc principum primum in ſacris rebus non eſſe diſputandum aut philoſophandum &c. *Et eodem Tomo comment. Pſal. 82. fol. 546.* Si qui volunt docere contra manifeſtũ articulũ fidei, qui clarè eſſet in Scripturis fundatus & in tota Eccleſia Chriſti receptus, hi non ſunt ferendi, ſed vt blasphemi in Deum puniendi. Neq; is, in quem animaduertitur, cogitur ad fidem, cum liberum ei ſit, credere hoc vel illud, quod ipſi libet, ſed prohibetur & opprimitur impia doctrina, qua ille ſic ſub nomine, & in cætu exiſtens Chriſtiano, contra Deum & doctrinam Chriſtianam blasphemat, in ſummam perniciem Chriſtianæ religionis. Eat aliàs

Eis ergò diſputandi occaſio dari non debet.

Lutherus docet cum Hæreticis non eſſe diſputandum.

Sed eos potius puniendos velut plasphemos

quouis gentium, vbi non sunt Christiani, atq; vbi effundat suam sapientiam. Nam, vt sæpè dixi, qui in aliqua ciuitate viuere vult, is iuri alligatus est municipali, neq; ferendus est, si contra illud agat aut loquatur. Sic legimus, quod Patres in Concilio Nicæno, cum Arianorum audirent dogma recitari, protinùs hoc explodendum & supprimendum sine vlla COGNITIONE duxerunt, & absq; vlla DISPVTATIONE protinus damnauerunt, tamquam manifestam blasphemiam. Moses etiam in Lege tales blasphemos præcipit lapidari. Sic etiam ibi non diu disputandũ, sed indicta causa & INAVDITI damnandi sunt, sicut palam blasphemi: quemadmodum Paulus Tit. 3. scribit: *Hæreticum hominem post vnam aut alteram admonitionem deuita.* Et 1. Tim. 6. prohibet *logomachias & inanes contentiones, quæ tantùm sunt ad subuersionem audientium.* Nam tales generales articuli, recepti in tota Ecclesia, satis auditi sunt, satis excussi, approbati, satis firmati per scripturam, per virtutes & miracula, per sanguinem Martyrum, per scripta & confessionem totius Ecclesiæ: nec vllo modo ferendus est vllus Sapientulus, qui illos reuocare, velit in dubium: quemadmodum nec ferendi sunt fures, latrones & adulteri. Hic forsan mihi obijciet aliquis, me hac exhortatione Tirannis subdere calcar ad sæuiendum atrocius, cùm nostrũ Euangeliũ pro Hæresi & blasphemia habeant. Nam eo prætextu illi nunc vtentur, scilicet conscientia se & officio cogi ad animaduertendum in nos quoq; vt blasphemos. Respondeo: quid tum postea? Si necessariæ exhortationes omittendæ essent propter Tyrannos, qui abutuntur, tunc iam olim omittẽda fuisset tota nostra doctrina] *Hæc Lutherus.*

Hæreticos damnandos esse etiam inanditos.

Quare Hæreticorum argumenta Lutherus audiri nolit.

Lutherus hanc suam sententiã dicit esse necessariam.

CAPVT LXXXIX.

Quomodo ex Disputationibus generẽtur lites.

ATq; hoc modo satis explanatũ est, quomodi Disputationes cum Hæreticis multum ad impietatẽ proficiant & Hæresion incrementum adiuuent, quam priorem esse causam dixi, cur Apostolus eiusmodi Disputationibus auditores tantùm subuerti, non etiam ædificari affirmet: nunc videamus, quid argumenti habeat posterior illa eiusdem Apostoli ratio, qua lites & contentiones indidem generari monet. 2. Tim. 2. *Stultas & sine disciplinæ quæstiones deuita, sciens qui generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt: si quando Deus det illis pænitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant*

resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem]

Disputans cum Hæreticis incidit in Dyscoliã.

Nimirum ægrè caueri posse significat, quin excandescat, mansuetudinis ac modestiæ obliuiscatur, ac velut Aristoteles loquitur, δυσκολαίνειν siue in Dyscolian concitari necesse habeat, qui cum Hæretico verbis velitatur siue disputat. Est autem *Dyscolia*, Disputatoris siue collocutoris incommoditas ac difficultas, propter quam fit, vt difficile odioque plenum sit cum ipso disputare sicut *Dyscolos* heros siue dominos S. Petrus vocat, difficiles, morosos ac molestos, quibus quantacumq; sua sedulitate numquam satis facere serui possunt, quin sæuiant, litigent, aut vultus saltem tristitia terrorem præferant: quibus heri *boni ac modesti* contrario nomine ab eodem Apostolo opponuntur *1. Petri 2.*

Prima causa Dyscoliæ, ipse Disputator.

Causa porrò Dyscolias in disputando sępe est ipse Disputator, si uel natura sit morosior & iræ paratioris (de quo Prou. 29. *Vir iracundus prouocat rixas.* Et Prou. 18. *Spiritum ad irascendum facilem quis sustinebit?*) vel artificium differendi non satis didicerit, adeoque nesciat, quomodo aduersarij συμπέρασμα seu conclusio aut impediri & excludi, aut iam perfecta dissolui, aut κατ᾽ ἀντεπιχείρησιν, cõtraria argumẽtatione infirmari debeat.

I. Quomodo Aduersarius impediendus, ne conclusionem inferat.

Nam in Dialecticis exercitati sæpe ἐμποδισμοὺς, impedimenta quædam aduersario obijciunt, ne quo tendit, ad conclusionem puta, adspirare possit cuiusmodi sunt ἐνστάσεις πρὸς τῶν ἐρωτῶν. τα, ἢ πρὸς τὰ ἐρωτημένα, ἢ πρὸς τὸν χρόνον, velut octauo Topicorum Philosophus docet, cum vel contra aduersarium, vel contra ipsam rem seu materiam propositam vel contra tempus exceptionẽ atq; instantiam, vt ita dicam, afferunt, vt probabiles, cur porrò disputare nolint, causas habere videantur.

II.

Sin autẽ aduersarij disputationẽ excludere & impedire ipsis nõ libeat, causa erroris in aliquo pronũciatorũ propositorũ, siue in maiore aut minore ꝓpositione demõstrata argumẽtationẽ dissoluũt.

III.

Quod si ne hoc quidẽ possint, immutatis disputationis partibus, ipsi argumẽtantur, & ex respondentibus contradictores aut opponentes euadũt. Qui vero nihil horũ faciat, & neq; aduersarij argumẽtũ dissoluat, neq; causam, quo minus respondeat, probabilẽ afferat, ac nihilominus in sententia perseueret, eum recusare haud oportet, quin merito perhibeatur *Dyscolus*, refractari⁹, odiosus, incommodus nec vllo modo ferẽdus: cũ præsertim vix fieri posse videatur, quin homo eiusmodi, ob impeditam, immo præreptam sententiæ suæ defensionẽ, etiam verbis stomachũ prodat. *Irascuntur* enim (ait Aristoteles 11 Rhet. 11.) *quicũq; impedimẽtũ habẽt, siue, quib⁹ quis obstat, in ijs præsertim, quæ vehemẽter cõcupiscunt,*

Irascũtur quorum conclusio impeditur.

vt

Irascuntur, qui vehemēter aliquid cupiunt.

Disputans vehementer cupit vincere.

vt si quis sitiens bibere vetetur. Sed etiam vehemēs cupiditas nō impedita, irritabiles reddit. *Vetus dictū est, à lasso rixā quæri: æquè autem* (ait Seneca) *& ab esuriente, & à sitiente & ab homine, quem aliqua res vrit. nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ita animus affectus minimis offenditur, adeò vt quosdam salutatio & interrogatio ad litem euocet.* Cum ergò & Disputare propter spem Victoriæ, & Vincere propter Phantasian & opinionē excellentiæ voluptatem habeat (velut supra ex Aristotele monui) cumq; hanc præstantiæ opinionem pleriq; omnes, qui disputant, vehementer concupiscant: molestissimum accidat oportet, si quis suo voto ac fine, suæ præsertim imperitiæ culpa excidere frustrariq; se intelligat. vt eum non commoueri vehementius, & iram verbis promptam gerere (nisi languidioris inertisq; sit ingenij cuiusmodi hominibus frustratio & repulsa tristitiam potiùs quam Iram parere solet) permirum videri debeat.

CAPVT XC.

Altera Dyscoliæ causa ipsa res de qua disputatur.

Materia seu Quæstio Stulta est: Vbi scriptū est?

Quare quæstio eiusmodi sit stulta?

SÆpè verò ipsa Disputationes materia Dyscoliæ causam prębet, quia scilicet fit, vt Apostolus significat, vel *stulta* & nimis absurda, vel *sine disciplina*. Stulta quæstio fuit Impostorū seu seductorum illorū qui diem Domini instare Thessalonicensibus persuadere conabantur: à quibus cum responsum esset, eò sese id credere non posse, quod à Paulo didicissent, Antichristum reuelari prius oportere, ipsi statim: *Vbi hoc scriptum est in epistola Pauli?* Hanc quæstionem stolidam & absurdam esse palam est. nam ne hoc quidem in epistola Pauli scriptum exstabat, nihil eos, nisi quod in ea scriptum esset, credere debere: & verò si non nisi quæ scripserat Paulus, credere eos oportebat, ne illa quidem, quæ primum omnium viua voce ipsis de Christo prædicauit, credere debuerunt. Itaq; vel Impostores ipsi multiplicem huiusce quæstionis absurditatem perspicientes cùm nescio quas prophetias & Spirituum reuelationes, tum epistolam Pauli nomine præscriptam, quæ stultitiæ ipsorum patrocinaretur, confinxerunt: quam mox Paulus à Tessalonicensib⁹ consultus suam esse negauit, vtq; sententiam illam, quæ negebat credendum, nisi quod scriptum foret, etiam atq; etiam fugerent, eos monuit. 2. Thess. 2. *Rogamus, ne terreamini neq; per Spiritum* (id est, per commentitias prophetias quasi ab angelo reuelatas) *neq; per sermonem, neq; per epistolam, tamquam per nos, quasi instet dies Domini ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi reuelatus*

priùs

prius fuerit Antichristus, non veniet dies Domini. Non retinetis, quod cum essem vobiscum, hæc dicebam vobis? Itaq. state & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. id est, existimate tam esse credendum, quod viua voce docui, quam quod scripsi. Similis planè fuit Pharisæorum illorum stultitia *Iohan.* 7. qui Nicodemo dicebant: *Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.* quasi dicerent: *Vbi scriptum est in Galilæa surrecturum Prophetam? nusquam profectò. Itaque Iesus iste, qui in Galilæa ad docendum surrexit, Propheta non est.* Huic stultæ & absurdę quæstioni si quid respondere Nicodemus voluisset, non sanè locum illum *Isai.* 9. adducere debuit: *Aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Nam quamuis de Christo loquatur (id quod nos Spiritus sanctus *Matth.* 4. docuit) non tamen erat, si quis refragari vellet, quo euidenter conuinci posset. quare nullum aliud Nicodemo reliquum erat argumentum, quo Iesum, quamuis Galilęum, Dei prophetam esse euidenter ac perspicuè vinceret, quam illud ipsum, quo priùs *Ioh.* 3. apud Christum vsus fuerat: *Scimus, quia à Deo venisti Doctor, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*] Legerat quippe Psalmum CIV. in quo Miracula viribus humanis ac naturæ maiora verba signorum *Dei* appellantur, quo docemur etiam signa siue Miracula pro Verbo Dei rectè haberi quod Deus non minus, immo plus miraculis, quam verbis ad testimonium veritatis ac diuinitatis vti soleat. Cùm Scripturæ verba audio, tametsi ea verissima esse credo, tamen vtrum rectè satis intelligam, incertò scio: sed cum *verba signorum Dei*, non Scripturæ, video prors° nullũ vel minimæ dubitationi locũ relinquo. Similem esse Anabaptistarum stultitiam, cùm quærunt, *Vbi scriptum est, quod infantes baptizari debeant?* Lutherus fatetur, neque eis vllum Scripturæ locũ, quo euidenter conuincantur, opponi posse affirmat, sed sicut Nicodemus argumentatur: Scimus, quia baptismus paruulorum à Deo venit. nihil enim tamdiu durare & per vniuersam Christianitatem concorditer seruari potest, nisi Dei virtute id fiat. Vbi autem Dei opus videmus, non minùs, sed æquè cedere ac credere tenemur, quam vbi verbum eius audimus. Hunc porrò Lutheri locum supra cap. 76. cum de Perseuerantia seu Constantia verba facerem, integrum posui. Veram autem maximeq; efficacem hanc esse rationem, quæstioni illi stolidissimæ, *Vbi*

Pharisæorũ stulta quæstio.

Nicodem9 non scripturis, sed miraculis credidit.

Luther9 Pædobaptismum non propter scripturas, sed propter miraculũ credit.

scriptum est? respondendi, ipse nos Deus tam in nouo, quam in veteri Testamento docuit. Psal. 45. *Vacate venite & videte* (non Scripturam, quam intelligere non potestis, cum sitis animales & carnales 1. Cor. 3 sed) *OPERA Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsq; ad finem terræ,* hoc est (velut infra pluribus docebo) videte prodigiosam Ecclesiæ Romanæ felicitatem, quod eam ab omnium Tyrannorum vexatione eripuerim, & in altissima pace collocarim: quod quoniam humanis viribus fieri nequaquam potuisse sponte vestra intelligitis, agnoscite ac fatemini, quod digitus Dei sit hic, quod hæc sit vera Ecclesia. Vbi enim OPVS Dei videtis, tam tenemini cedere & credere, quam vbi VERBVM Dei auditis Isai. 33. *Audite, qui longè estis, quæ fecerim: & cognoscite vicini fortitudinem meam. Respicite Sion ciuitatem solennitatis nostræ: oculi vestri videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.*] Ethnici siue Infideles longè sunt. *Act. 2. Vobis Iudæis facta est repromissio & omnibus qui longè sunt. quoscumque aduocauerit Dominus.* Isai. 60. *Me Insulæ exspectant, & naues maris, vt adducant filios tuos* (o Ecclesia) *de longe: argentum eorum & aurum eorum cum eis.* Isai. 66. *Assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas, & mittam ad gentes in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam ad Insulas Longè, ad eos qui non audiuerunt de me & non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus,* siue, dicent gentibus: Audite, qui longè estis, quæ fecerit Dominus. Venite & videte OPVS Domini, nempe prodigiosam Ecclesiæ Romanæ conseruationem. *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino ad montem sanctum meum Ierusalem,* siue ad Ecclesiam Catholicam eos conuertent, non citando eis Biblia (quæ neq; unquam nominari audiuerunt neq; intelligunt, nedũ vt ijs credant) sed *annunciando eis gloriam meam,* siue Ecclesiam meam, *de qua gloriosa dicta sunt,* Psal. 86. *in qua gloria mea videbitur,* Isai. 60, 2. & quidem *oculo ad oculum,* Isai. 52, 8. Vicini, sunt Hęretici, qui *oppugnant montem Sion, qui in ore suo appropinquant cor autem eorum longè est à Deo, quorum Principes & prophetæ vident visiones,* siue, legũt quidẽ Biblia, sed sunt operti clausosque habẽt oculos, id est, quæ legunt, non intelligunt. Hæc enim omnia *Isai. 29.* non de gentilibus, neq; ex toto de incredulis Iudęis, sed de Hæreticis accipi possunt. Vult ergò Deus *Isai 33.* vt tam Hæreticis vicinis, quàm Gentilibus longinquis *non Verbum Dei, sed opus Dei* ostendatur. nam Gentiles nihil de verbo Dei sciunt, Hæretici, quamuis verbũ Dei videant,

Sæpe non Scripturæ scrutandæ, sed opus Domini videndũ est.

Character Ecclesiæ, ex quo eam Ethnici & Hæretici cognoscant.

Catholici Sacerdotes quo argumento Gentiles conuertant.

Hæretici sunt vicini Ecclesiæ.

Neq; Gentilib9 neq; Hæreticis citandæ sunt scriptura.

deant propter admirabilem tamen stuporem non intelligunt. Sed *Opus Dei* eiusmodi est, vt ab omnibus clarè conspici possit, nempe Sion siue Ecclesia, tam opulenta, tamque diu conseruata, vt numquam vlla persecutione deleri potuerit, ita vt ipsi quoq; Gentiles fateri cogantur : *Magnificauit Dominus facere cum eis*, Psal. 126. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*, Psal. 117. Sed non minùs in nouo Testamento docemur, stultis illis, qui, *Vbi scriptum est*, quærunt, rectissimè non tam verbum quàm opus diuinum proponi. Nam etiam Christus Iudæis, qui, vt iam dixi, quærere solebant : *Vbi scriptum est, quod propheta surgat à Galilæà?* numquam Scripturam citauit (nullum enim locum exstare sciebat, quo id *euidenter* probari posset) sed longè firmius argumentum, opus nempe siue testimonium diuinum exhibuit. Ioh. 10. *Si non facio OPERA patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, operibus credite. nam opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* quasi diceret : Nisi opera diuina, quæ facio, vestris ipsimet oculis vidissetis, meritò me velut Galilæum pro Propheta non haberetis, cum à Galilæa Prophetam surgere nullo scripturæ loco euidenter probare quæam, meq; Principes vestri, qui sedent in Cathedra Mosis, quos audire tenemini, pro Propheta haberi vetent. Sed nunc cùm testimonio diuino vti me videatis, plus certè Deo, quam Principibus credere debebatis. Ioh. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*] Fuit hoc igitur prorsus inexcusabile Iudæorũ peccatum, quod cum ante oculos haberent euidentissimum Dei testimonium, ei non crediderint, sed adhuc, *Vbi scriptum est*, quęrendum putarint. Si enim ei, quod multò erat firmius & efficacius, fidem adiungere noluerunt, quis eos illi, quod minus magnas ad conuincendum vires haberet, quicquam credituros fuisse censeat? Firmius autem erat Opus Dei, quam vllus quantumuis clarus Scripturæ locus. nam verbum Dei ab opere, vt credatur, firmamentum accipit, velut *Marci 16.* scriptum est : *Illi prædicauerunt vbique Domino COOPERANTE & sermonem CONFIRMANTE, sequentibus signis.* Similiter igitur rectè Lutherus Anabaptistarum pertinaciam prorsùs ferendam esse negat, qui cum Deum paruulorum Baptismo tam diuturna ac prodigiosa eius conseruatione testimonium præbere videant, adhuc nihilominus, *Vbi scriptum sit*, quærerere animum inducant. quid ni autem ipse idem Lutherus cum suis Cælibatum Sacerdotum (quem ipse *in*

Sed in Ecclesia ostendendum opus Dei.

Christus scripturas requirentibus opus Dei ostendit.

Qui videt opus Dei, impiè requirit verbum Dei.

Opus enim Dei efficacius cõuincit, quam Verbum Dei.

Catholicæ fidei articuli opere Dei probantur.

Colloq. Germ. Francofort. de coniugio fol. 329. mille trecentis annis antiquiorem fatetur) & ſententiam Catholicorũ de libero arbitrio deq; iuſtificatione per opera fidei (quam Magdeburgentes locis ſupra capite ſexto laudatis omnium Eccleſiæ Doctorum, qui ab anno Chriſti centeſimo vixerunt fuiſſe confitentur) ſimiliterque multa alia fidei capita tot ſæculis tam conſtanter per totum Orbem credita eodem, quo ipſe Pædobaptiſmum tuetur, argumento probari ſibi patitur? quare non facit, quod Deus vicinos facere iubet, vt cognoſcat Fortitudinem ſiue Romam Domini, & reſpiciat Sion ciuitatem Dei, habitationem opulentam, tabernaculum quod tot ſæculis transferri non potuit? Nimirum *quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt* Lutherani *ipſi & reges eorum, Principes & Sacerdotes & prophetæ eorum,* Ierem. 2.

Proteſtantes contemnunt opus Domini.

CAPVT XCI.

Quæſtiones ſine diſciplina quæ ſint?

QVÆSTIONES ſine diſciplina ſunt, quæ interrogantis inſcitiam ſiue imperitiam ſcripturarum arguunt, ſiue, ex quibus perſpicuum planumq; fit, eum, qui quærit, nihil in ſcripturis intelligere, & eſſe talem *cuius verba non ſonent,* ſiue, *cuius labia non conſeruent diſciplinam* Iohan. 34. Prou. 5. Eiuſmodi fuit quæſtio illa Sadducæorum *Matth. 22.* Scriptum eſt, vt frater fratris ſine filio defuncti viduam ducat vxorem. quare ergo tu credis reſurrectionem mortuorum, cum ſi reſurgant mortui, vnam eandem mulierem pluribus fratribus ſimul nuptam eſſe oporteat? His reſpondit Chriſtus: *Erratis neſcientes ſcripturas.* quaſi diceret: non vſi fuiſtis boni magiſtri diſciplina ad intelligendas ſcripturas: quæſtio veſtra eſt ſine diſciplina, non ſonat diſciplinam: eſt hominis, qui nihil in ſcripturis didicerit. Talis etiam illa fuit quæſtio Iudæorum *Iohan. 12.* vbi cũ dixiſſet Chriſt⁹: *Ego ſi exaltatus fuero à terra* (ſiue, crucifixus) *omnia traham ad me ipſum*: illi abſurditatis eũ conuincere cupientes, quod cum pro Meſſia haberi vellet, ſe tamẽ crucifixũ iri diceret: *Nos* inquiunt, *audiuimus ex Lege* (quaſi dicant: ſcriptũ eſt) *quia Meſſias manet in æternũ. et quõodo tu dicis, oportet eũ exaltari,* ſiue, in cruce mori? Hanc quæſtionẽ ſine diſciplina fuiſſe, ac prorſus eorũ hominũ, qui neſcirẽt neq; intelligerẽt ſcripturas, ipſe Chriſt⁹ docet *Lu. 24.* cũ diſcipulos eodẽ vſos argũẽto ſic obiurgat: *O ſtulti et tardi corde ad credẽdũ omnib⁹, quæ locuti ſunt Prophetæ? nonne hæc oportuit pati Chriſtũ, et ita intrare in gloriã ſuã?* Similis

Cùm quis ſcripturas opponit perperam intellectas.

Iudæi Chriſto ſcripturas opponunt:

Sed malè intellectas.

lis quæstio fuit illa Iudæorum Ierem. 26. *Quare Ieremias prophetat aduersus domum istam*, siue templum Salomonis? cùm scriptum sit 2. Paral. 7. Elegi & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum. *Itaque non veniet super nos malum, & Prophetæ* Ieremias eique similes *fuerunt in ventum locuti, & responsum non fuit in eis*, Ierem. 5. Cumque hoc modo argumentarentur, multum sibi sapere in scripturis videbantur. Ierem. 8. *Quomodo dicicitis, sapientes nos sumus, & Lex Domini nobiscum est*, siue quemadmodũ Lutherus in Germanica versione interpretatur, *& nos habemus sacram Scripturam pro nobis?* Fuisse autem hanc eorum quæstionem sine disciplina, sic ibidem Ieremias testatur: *Verbum Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis*, siue prorsùs nihil in verbo Dei, quod tamen magnificè citant, intelligunt. quid ita tandem? quia enim Deus non simpliciter & absolutè perpetuam templi conseruationem promiserat, sed cum hac exceptione siue conditione, vt custodiret populus omnia mandata Dei. nam hęc verba eodem 2. Paral. 7 Simul leguntur: *Si autem dereliqueritis iustitias meas. domum hãc proijciam à facie mea.* At isti mendaci scribarum stilo decepti (*Ierem. 8.*) promissionem Dei sine conditione & absolutè factam putabant, quasi Deus comminatione ista, non quò ita facturus esset, sed vt tanto faciliùs legum suarum obseruationem populo persuaderet, vsus fuisset. Itaque sic eos Deus obiurgat Ierem. 7. *Nolite confidere vobis in sermonibus mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. quoniam si bene direxeritis vias vestras & studia vestra, habitabo vobiscum in loco isto vsque in sæculum.*

Iudæi Ieremiæ scripturas opponebant.

Sed insipienter ac sine disciplina.

Quia promissiones conditionatas pro absolutis habebant.

Similiter omnes Hæreticorum quæstiones sunt vel stultæ vel sine disciplina. nam aut quærunt, verbi gratia. Vbi scriptum est, quod sit Purgatorium, quod sancti sint inuocandi, quod Laici sub vna tantùm specie cõmunicare debeant aut sentẽtiam quampiam Catholicę fidei aduersariam tuentur, quæruntque exempli causa, cur vos Papistæ ad Iustificationem opera nostra simul cum fide requiritis, cùm scriptum sit Rom. 3. hominem fide iustificari sine operibus, quia ex operibus non iustificabitur omnis caro? quę Quæstio reuera non sonat disciplinam, cùm ostendat eos errare ac nescire scripturas, cùm Apostolus loquatur de *operibus Legis*, non de *operibus Fidei*. nam etiam nos fatemur, neminem iustificari ex operibus Legis, quæ fiunt sub lege sine fide in Christum, sed credimus nos iustificari ex operibus Fidei, id est, ex illis operibus, quæ iam in Christum credentes per gratiam ipsius facimus, siue, quæ ipse Christus per Spiritũ suum in nobis operatur

Duo summa genera Quæstionum ab Hæreticis moueri solitarum.

ratur, velut supra *cap.* LXIII. in eandem sententiam nonnulla proposui.

CAPVT XCII.

Tertullianus docuit cum Hæreticis non esse disputandum ex Scripturis.

OBSERVATIONE porro dignissimum est, quod ex hac vnica Lutheranorum quæstione satis appareat, verissimum esse quod Tertullianus iam abhinc MCCCC. annis de Hæreticis censuit: *Nihil proficere congreßionem Scripturarum*, siue disputationem cum Hæreticis ex Scripturis, *nisi planè vt aut stomachi quis ineat euersionem aut cerebri*, id est, nisi vt vel excandescat Dyscolusque fiat, vel prorsùs insaniat. *Ista enim Hæresis non recipit quasdam Scripturas* (sicut Lutherus epistolam Iacobi non recipit, in qua dicitur homo iustificari etiam ex operibus, non ex fide tantùm) *& si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit* (sicut in vno eodem capite Roman. 3. Lutherani omittunt, dissimulant quidem certè, vocabulum *Legis*, cùm dicitur homo iustificari sine operibus legis: & addunt inculcantque de suo particulam *Sola*, quasi dixisset Apostolus, hominem iustificari sola fide, quod est falsissimum) *Et si quas recipit integras, nihilominus diuersas expositiones comminiscitur, & veritati tantundem obstrepit adultero sensu, quantum corruptore stilo* (sicut Caluinistæ, ac nonnulli etiam Lutherani, Iacobi epistolam iam recipiunt, velut Menzerus contra Pistorium, & Heilbrunnerus in Præfatione Papatus Acatholici, quamuis in ipso libro *pag.* 717. id rursum neget, sed eam nouis interpretationibus non minùs adulterant, quàm si textum eius addendo aut detrahendo corrumperent) *Nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his vtuntur, quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt.* id est, non admittunt Scripturas per quas euidenter conuinci possunt, neque vtuntur ad probanda sua somnia alijs Scripturæ verbis, quàm vbi vel corruptela est in textu, vel ambiguitas & obscuritas in sermone. *Quid igitur iam promouebis exercitatißimè scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur ex diuerso: si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequêris, nisi bilem* siue Dyscolian *de blasphematione.* *Ille verò* Auditor disputationis, *cuius causâ in congressum descendis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem magis an ad Hæreses inclinabit ac deerget? hoc ipso motus, quod te videat nihil promouisse: certè de pari altercatione in-*

ne incertior discedet, nesciens quam Hæresin iudicet.] In eandem sententiam paulò priùs dixerat: *Scripturas obtendunt Hæretici, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.*] Totum locum propter duas causas hic proponendum duxi. Vna est, vt Illustrissimi & Excellentissimi Palatini Neoburgici impudentissimum Prophetæ ac Doctoris ipsorum *Hailbrunneri* mendacium si minùs oculis contueri manibus saltem tractare velint. Is enim in libro suo *de Papatu Achatolico* fol. 557. §. 9. ita scribere nihil dubitauit: *Locus ille Tertulliani multum ac sæpe ab aduersariis iactatus, quod cum Hæreticis Disputatio ex Scripturis fieri non debeat, falsò contra nos adducitur. nam Tertullianus de Præscriptionibus aduersus Hæreticos pag. 94. de illis loquitur, qui Scripturas quasdam Canonicas non recipiebant, sed reyciebant. Sic enim loquitur:* Ista Hæresis non recipit quasdam Scripturas. *Cum his sanè non potuit ex Scripturis disputari, quemadmodum etiam cum Iudæis ex Nouo Testamento disputari nequit.*] Hæc ille. Atqui Tertullianus apertissimè non cum ijs tantùm Hæreticis, qui Scripturas quasdam non recipiunt, sed etiam cum illis, qui quamuis recipiant, nihilominus vel textum addendo aut detrahendo, vel sensum, aliquam commenti interpretationem adulterant & corrumpunt, disputari vetat. Quare sciens ac volens mentitus fuit Hailbrunnerus, neque iustam fraudis ac doli reprehensionem effugere potest, cum citanda Tertulliani pagina & verbis eius ex parte proferendis locum, quem quod ipso est, mutilat, inspexisse se testetur. Non equidem nescire Patronos eius puto, quæ falso testimonio in re præsertim tanti momenti pœna debeatur: neque tamen cùm hoc, tum alia plura de Catholicis mendacia (quæ ex eodem libro, si res postulet, non minori negotio in apertum proferre & confutare possumus) vlla pœna expiare eum cupio, tantùm Patronos eius reuerenter monitos volo si librum illum in mendacio sic deprehensum & conuictum tanti facere pergant, vt eum pulcherrimè compactum & inauratum non nisi præcipui honoris causa alijs donent (velut illi, quod penes me est, exemplari contigit) per magnum fore periculum, ne Catholici Principes ad ipsos pertinere existiment, quod *Isai.* 28. Scriptum est: *Audite viri Illusores, qui dominamini super populum meum, qui dicitis: Posuimus mendacium* (siue, *mendacem stilum scribarum*, Ierem. 8.) *Spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Et Prouer. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes Ministros,* siue Prædicantes

Neoburgici Propheta fraus & impostura detegitur.

Palatinorum Neoburgicorũ admonitio.

tes, *habebit impios.*] Sed de summa non minus animorum, quàm generis in Principibus illis nobilitate & magnitudine meliora nobis in posterioritatem meritò videmur polliceri posse.

Altera causa cur illum Tertulliani locum proponere integrum voluerim, hæc est, vt quod de cauendis Hæreticorum congressibus ac disputationibus dixi, tam vetusti grauisque Scriptoris cùm auctoritate, tum vel maximè argumentis tanto firmiùs ac neruosiùs demonstrarem. nam verba eius iam relata si cum cura excutiantur, rebus maximè necessarijs id quod hoc loco volumus, aduincunt. Nempe cur ex scripturis non sit cum Hæreticis disputandũ, hanc affert causam, quod eiusmodi Disputationes nõ modò nihil prosint, sed etiam non mediocriter obsit. *Nihil prosunt*, cùm finem suum, victoriam scilicet Catholicę veritatis, siue Hæretici correctionem, non consequantur. nam Hæreticus vel Scripturas non recipit, quod ijs euidenter se reuinci intelligat, vel earum siue contextum, siue sensum corrumpit & adulterat, quod inde aliquid probabilitatis opinioni suę accessurum speret. *Obsunt* autem cùm Auditori, qui si sit infirmus, capitur; si non satis firmus, cum scrupulo ac dubitatione dimittitur, tum ipsi Collocutori siue Disputatori, qui aut irascitur Dyscolusque fit propter inanem defatigationem (irascimur enim illis, qui nobis in eo, quod valdè cupimus, obstant, velut ex Aristotele supra docui) aut insanit ac furit ob intolerabiles Hęretici blasphemias. Si enim ijs irascimur, qui contra rem nostram veniunt, nosque afficiunt contumelia, ac vindictam, quæ iniurię parentet, quęrimus: quanto magis nos commoueri consentaneum est, cùm Deum, cuius gloriæ vitam fortunasq; omnes posthabere nos oportet, contumeliosè haberi, quodque Hæreticos facere Paulus 1. Tim. 1. affirmat, *blasphemari* audimus? Quod si quis est, qui quantum ea res ad commouendos ac velut in furorem concitandos animos virium habeat, non satis perspicit, ei vel ex paucis illis, quę iam enumerabo, exemplis, id discere licebit. *Ioan. 1.* Christus, agnus ille occisionis, cùm domum Domini institutis profanari videret, non intra verba se continuit, sed arrepto flagello negotiantium terga non defunctoriè verberauit, vt se Zelo domus Dei comedi consumique declararet. *Act. 13.* Paulus cùm vnum modò hominem pseudoprophetę disputatione à fide Christi auerti doleret, vsque eo Zelo indulsit, vt tam ingenti conuicio in aduersarium inueheret: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ:* sed non contentus verbis, eum insuper excœcauit. Dauid *Psalm. 41.* auditis ijs, qui quærebant,

Quare Tertullianus noluit cum Hæreticis disputari ex Scripturis.

Hæretico blasphemanti non irasci quasi impossibile est.

Zelus pro Dei gloria quantopere homines quoq; mitissimos cõmoueat.

bant, *Vbi est Deus tuus?* quibus verbis significabant, Dauidis religionem esse falsam, siue, Deum verum ab ipso non coli, *effundebat in se animam suam & contristatus incedebat*, prorsusque tabescebat, velut Psalm. 118. ait: *Tabescere me fecit Zelus meus.* Moses *mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra* (Num. 12.) vt populum in Dei gloriam deliquisse vidit, iratus valdè proiecit de manu tabulas digito Dei scriptas & confregit eas ad radicem montis, statimque armatis & assumptis Leuitis, XXIII. hominum millia trucidauit, *Exodi 32.* Elias eodem gloriæ diuinæ Zelo instinctus 3. *Reg. 19.* octingentos Pseudoprophetas ac Prædicantes occidit, eoque facto apud Deum postea gloriatus fuit, cui etiam Deus propterea velut hospiti longè acceptissimo aduentum in Speluncam gratulandum duxit. Similiter Phinees *Numero 25.* quamuis homo priuatus esset, nec vllum à magistratu mandatum haberet, ex solo gloriæ diuinæ Zelo Principem tribus Simeonis & nobilissimi Principis Madianitarum filiam pugione arrepto simul confodit: eoque facto tantam à Deo gratiam inijt, vt id ei *ad iustitiam reputatum* fuerit, Psalm. 105. Quamuis autem si quis ad eiusmodi exempla pro Deo Zelatus, eadem siue verborum, siue factorum atrocitate, in Hæreticos blasphemantes vtatur, id ipsi à Deo ad iustitiam reputari nonnisi ab eo, cuius aliter credi interest, hoc est, ab Hæretico pestilente & immani Tyranno dubitari queat: nequaquam tamen conuenit, vt ipsi eam Zelandi pro Deo occasionem cum certissima hominis aduersantis perniciè coniunctam quæramus: adeoque à Disputatione cum Hęreticis, ex qua blasphemiæ ansam facilè eos arripere neminem fugit, rectissimè nos abstinemus. Sicut enim *qui derelinquunt Legem* & à Catholica maiorum religione desciscunt, *laudant Impium*, pro Hæresi disputantem: ita *qui custodiunt Legem* ac fidem veterem tuentur, *succenduntur contra eum* (Prouerb. 28.) facileque igne illo diuini amoris inflammati, à Paulo verba, à Phinee pugionem mutuantur. Est enim huiusmodi *Zelus* pro gloria Dei, quæ nefariè violatur, proque animarum periclitantium salute in animo succensus nihil aliud, quàm Iurisdictio quędam extraordinaria, quam Deus nonnumquam ad sumendam de impijs pœnam homini delegat seu committit, vt ita cædes Hęreticis alijsque Dei & iuris æquiq; perduellibus illata omnem paricidij, homicidij, cuiuscumque denique sceleris & iniustitiæ reprehensionem excludat. Quemadmodum enim Theologi docent,

Zelus tā atrox Deo placet.

Sed eius occasio est vitanda.

Zelus ille est extraordinaria Iurisdictio.

Vt cædes hominis peccato careat, tria requisita.

vt cædes seu qua alia pœna homini ab homine iustè infligatur, tres aliquæ exceptiones seu conditiones adsint oportet, *Iusta* scilicet *causa*, siue, vt qui occiditur, eius sceleribus mortem fuisse debitam constet: Deinde *Intentio recta*, siue propositum bene de Ecclesia seu Repub. merendi, sed sincerum, nulloque odio aut alio affectu seu perturbatione vitiatum: Postremò *Iurisdictio*, siue ordinario modo per homines, siue extra ordinem ab ipso Deo delegata. Illam habent Magistratus eorumque accensi, lictores & Carnifices: hanc verò, quos comedit Zelus glorię diuinæ, à Spiritu Dei in eorum Cordibus succensus. Sic in Phinea videmus iustissimam fuisse occidendi Principis causam, fornicationem scilicet cum alienigena muliere, & quidem publicam, adeoque cùm contemptus Dei ac Mosis, tum scandali plenissimam: neque dubitare debemus, quin Phinees intentionem rectisimam habuerit, neque quicquam iræ aut odio ob priuatam aliquam simultatem dederit, Iurisdictionem non habuit aliam, quàm Zelum illum pro Domino, quem ipsi à Deo omnis boni auctore immissum fuisse controuersiam habere nequit. nam summus gloriæ diuinæ amor non nisi à Spiritu sancto accendi potest. Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Itaque Act. 13. de Paulo legitur, quod *plenus Spiritu sancto* atrocisimum aduersario conuicium fecerit & oculorum vsum eripuerit: quo docemur extraordinariam illam concitationem non à carne aut sauguine, sed à Spiritu Domini profectam fuisse: quemadmodum etiam Michæas ingens Principibus conuicium facturus de se profitetur Mich. 3. *Repletus sum fortitudine Spiritus Domini, iudicio & virtute, vt annunciem Principibus scelus suum.*

1. 2. 3.

Magnus Zelus gloriæ diuinæ est à Deo.

Etiam Impiis Deus dat Zelum suum.

Atque hoc ipsum Deus nos docet, cum Zelum Phineæ SUUM esse dicit: *Phinees commotus est Zelo meo.* Sed etiam Impij nonnunquam Zelum hunc aduersus impios propterea à Deo accipiunt, vt Iurisdictione non destituantur. Ezech. 23. *Dabo Chaldæis iudicium* siue Iurisdictionem, *& iudicabunt te iudicijs suis, & ponam* (in Corde eorum) *Zelum meum contra te, quem exercebunt tecum in furore, & aures tuas præcident, &c..*] Habent ergò hoc Pij commune cum Impijs, quod quando Deus Zelum suum in ipsis posuit & iurisdictionem aduersus impios eis commisit, eum Zelum in furore exercent, neque vlla commiseratione tanguntur. Sed Intentio, siue agendi consilium ac propositum eos reddit disimiles. Impij enim priuato odio, auaritia, ambitione aut alia quauis perturbatione admista

Impij à piis Intentione & agendi consilio differunt.

misita id, *quod dedit Deus in Corde eorum* (Apocal. 17.) exsequuntur, itaque partim suam, partim Dei voluntatem faciunt, ac propterea partim iusti, partim inniusti sunt. Sic de Chaldæis ibidem Ezechiel: *Viri iusti sunt, hi iudicabunt te in iudicio adulterorum.* id est, velut Iudices extraordinaria iurisdictione à me donati adulterij te condemnabunt ac punient. Sed Habac. 1. Dicuntur *Impij & iniusti, qui conculcent deuorentque iustiorem se.* Rationem reddit Deus Isai. 10. *Ad gentem fallacem* puniendam *mittam Chaldæum, & contra populum furoris mei mandabo illi* (mandatum illi dabo, vt non minùs iuris ad puniendum habeat, quàm Magistratus Ordinarius) *Ipse autem non sic arbitrabitur, & Cor eius non ita existimabit* (siue, aliam intentionem habebit) *sed ad conterendum erit Cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum, dicetque: In fortitudine manus meæ feci hæc &c.* id est, nonnisi vtilitatem & gloriam propositam habebit. Sed Pij nihil volunt, nihi quod Deus vult, & plerumque ad executionem voluntatis diuinæ non tam eunt, quàm rapiuntur, cùm præsertim odia ac pericula se mansura prospiciant. Sic Ieremias recusauit quidem delatam in se prouinciam *super gentes & regna* suscipere (Ierem. 1.) sed Deus ipsum velut coëgit, ingenti Zelo, velut flamma, in Corde eius accenso. Sic enim ipse loquitur Ierem. 20. *Fortior me fuisti, Domine, & inualuisti. Dixi quidem sæpe cùm audirem contumelias multorum, & terrorem in circuitu: Non recordabor Domini, neque loquar vltrà in nomine illius: Sed factus est in Corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.* id est, tandem victus succubui, & reclamante quamuis carne & sanguine, Dei voluntatem exsecutus sum. Hunc Ignem Deus in Ierusalem, siue in Ecclesia posuit (non minùs, quàm alia Spiritus sancti charismata) eoque sæpe piorum corda ad infligendam pœnam impijs & Ecclesiæ rebellibus debitam accenduntur. Isai. 31. *Pauebunt* (ignem scilicet) *fugientes Principes dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & Caminus eius in Ierusalem.* Itaque cùm Gotofredus Episcopus Lucanus de pœnitentia eorum, qui nulla ordinaria iurisdictione affecti, sed tantum Catholicæ Ecclesię Zelo incensi excommunicatos interficiunt, Papam Vrbanum II. Consuluisset, responsum tulit, si quam eiusmodi homines priuatam animi perturbationem, siue intentionem minùs sinceram Zelo admiscuerint, conuenientem eis pœnitentiam imponi debere

Impiorum Intentio.

Piorum intentio.

Ignis siue Zelus Dei aduersus impios est in Ecclesia.

Excommunicatos Ecclesiæ Zelo interficiens an peccet?

quæ vitium Intentionis (si quod fortè lateat & ipsos etiam cædis patratores effugiat) corrigat atque emendet, ceterùm ipsos nequaquam pro Homicidis habendos esse, velut *causa 23. q. 5. c. 47.* legimus. *Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3. siue, in quos Spiritus Dei, siue Zelus glorię diuinę irruit, ij liberi sunt, neque lege obligantur. De tanta Zeli vehementia etiam *Zach. 13.* eiusmodi exstat vaticinium : *In die illa* noui Testamenti *Pseudoprophetas & Spiritum immundum auferam de terra. Et erit, cum prophetauerit quispiam* (id est, falsò Scripturas interpretatus fuerit, quomodo *Prophetandi* verbū Lutherus explanat in glossa 1. Cor. 14.) *dicent ei Pater & Mater eius, qui genuerunt eum: Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent* siue interficient *eum Pater eius & Mater eius.*] Sed quoniam eiusmodi gloriæ diuinæ Zelum aduersus impios affectare & vltrò velut accersere, charitas Christiana non permittit, quamuis neque exstinctum velle debeamus, cùm eum Spiritus Dei, qui *vbi vult spirat*, in nobis nec opinantibus accendit: rectè Tertullianus etiam propter hoc blasphemię audiendę Zelique (vt consentaneum est) inde nasciturì periculum à Disputatione cum Hęreticis super sedendum docet.

Zelus in Ecclesia aduersus falsos Doctores.

Zelus ille nequaquam affectandus.

Ac propterea à disputationibus abstinendum.

CAPVT XCIIII.

POSTREMÒ vt alia omnia desint, ipse Aduersarius siue Hæreticus satis magna semper Catholico Disputatori Dyscolias causa esse solet. Numquam enim vllus Hæreticus (quo vocabulo etiam eos, qui Hæresin docentibus credunt, propter verborum inopiam sæpiùs complector velut supra cap. LXXVI. testatus sum) nisi cum explorata victoriæ spe in certamen cum Catholico descendit, quòd voluptate aut molestia, velut supra disputaui, victus & excœcatus suam opinionem verissimam esse persuasum habeat: ex quo nemo non colligere potest, eum in ipso congressu omnia facere, vt vel vincat, vel vincere videatur, victoriam quidem certè controuersiam dubiamque reddat. quod sibi cum Alexandro ęrario disputanti Paulus vsu venisse scribit 2. Tim. 4 *Alexander multa mala mihi ostendit: reddat, illi Dominus secundum opera eius. quem & tu deuita*, siue, cum eo disputare noli. *valde enim restitit verbis nostris.* Itaque 1. Tim. 1. de eodem scribit: *Tradidi eum Satanæ, vt discat non blasphemare*, viam scilicet veritatis, siue veram religionem, verumq; Scripturarum sensum à legitimo Pastore profectum, quemadmodum Petrus de horum temporum Hæreticis scribit, *per quos via veritatis*

Tertia causa Dyscoliæ, ipse Aduersarius.

Hæretici omni modo disputādo volunt vincere.

Et blasphemāt viam veritatis.

veritatis blasphemabitur, 2. Pet. 2. id est, qui veram scripturarum interpretationem ab Ecclesiæ Pastoribus profectam clamoribus & cõuicijs insectabuntur, sicut Iudæi illi *Act. 19.* cum quibus Paulus disputarat, eosq; non minus quam Apollo (*Act. 18.*) *vehementer conuicerat, ostendens per scripturas Iesum esse Messiam* : at ipsi indurati sunt nec crediderunt, *& maledixerunt viæ Domini coram multitudine.* Causam porro, tam pertinacis Hæresios Alexander ille Ambitionem habuit, quod, vt ait Paulus, *vellet esse Legis doctor* Itaq; *à conscientia bona aberrant, eamq; repellens naufragauit circa fidem, conuersusq; est in vaniloquium,* siue vanis argumentis falsam suam de seruanda Lege Mosaica scripturæ interpretationem tueri conatus est, Voluit ergò Paulus, vt Timotheus eum deuitaret neque disputationem cum ipso susciperet, quod facta domi de animo suo coniectura, difficile esse sciret non efferari in Dyscoliam, siue, non commoueri vehementius aduersus tantam pertinaciam hominis propter Ambitionem illud, quod conscientia teste falsum esse sciret, pugnacissimè nihilominus defendentis. *Atqui seruum Domini non oportet* (inquit) *litigare, sed cum modestia eos, qui resistunt, corripere*, 2 Tim. 2. quod si autem disputare cum his qui resistunt, cæperit, effugerè vix ac ne vix quidem poterit, quin litigare, siue modestiæ ac patientiæ oblitus, verbis asperioribus vti in eos cogatur: quemadmodum Paulus Elimam, *filium Diaboli* appellare oculosq; eidem effundere, Alexandrũ verò *Satanæ tradere*, vtriusq; pertinaci disputatione concitatus necesse habuit : si quidem omnia illa, quæ ab hominibus eiusmodi ad reportandam victoriam, siue ad excludendam veritatem adhibentur, talia sunt, quæ vel ei, qui sit vnus omnium in disputando clementissimus ac placidissimus, etiam vbi res friuolæ controuersiam faciunt deq; lana caprina lis est, stomachum moueat. Exempli causa, si Aduersarius sit hebes & obtusioris ingenij ac differendi artem prorsus ignoret, ex eoq; ἄπρος διόνυσα nihilq; ad rem propositam facientia in medium afferat, operoseq; id, quod vltrò ei datur, probare contendat (velut pleriq; faciunt Hæretici, & Alexandrum suum fecisse sic Paulus significat : *Vult esse Legis doctor, non intelligens neq; quæ loquitur, neq; de quibus affirmat.* Conatur enim coaceruatis multis Scriprurarum testimonijs probare, Legem esse bonam, quasi vero nos id negemus ac probari velim⁹. *Scimus enim quia bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur*) quomodo non excandescat, cui cum bellua eiusmodi conflictari contigit ? Si præsertim sit aliquantò solertior & ingeniosior : quod genus homines Cicero

Itaq; difficile est sine Dyscolia cum ipsis disputare.

Paulum quantopere pertinaces aduersarij commouerint.

Hæreticorũ stupor & asyllogia agrè concoqui potest.

Ingeniosi homines stupidis facilè irascuntur.

Ingeniosi homines stupidis facilè irascuntur.

ro *laboriosius & iracundius docere* affirmat, propterea quod *quæ ipsi celeriter arripuere, ea cum tarde percipi vident, discrucientur.* quanto ergò magis cruciari eum oportet, qui quod facillimum verissimumque est, non modò tardè, sed nunquam percipi, atq; adeò summa vi oppugnari videt?

Δεινὸν σοφιστὴν εἶπας, ὅστις εὖ φρονεῖν
Τοὺς μὴ φρονοῦντας δυνατός ἐστ' ἀναγκάζειν
Bonum hunc magistrum dixeris. qui cogere
Ineruditos, vt sanè sapiant. potest.

Alia Hæreticis disputantibus irascendi causa

Rectè illud quidem Euripides: sed quia qui sapit, hoc cum in primis optet, sperare tamen non audit, velut alias quoq; fieri solet, vbi votis & cupiditatibus nostris obsistitur, iram inde nasci & exsistere oportet. Quid autem si aduersarius, cum se deprehensum captumq; esse neq; quod respondeat habere intelligit, *non det cogitationem suam, vt reuertatur ad Deum, sed fornicationis* siue Hæresios *Spiritu* deceptus (Oseæ 4. & 5.) in errore perseueret, atq; in super omnia experiatur, vt se siue victorem siue parem discedere audientibus persuadeat? quem quamne facile inuentum iri putam°, cui nō mota bilis asperiora verba exprimat? Et aliàs quidē, imò plerumq; consuetudine hoc faciunt Hæretici, vt quando se vi veritatis cōstrictos & in angustias redactos esse sentiunt sibiq; confessionem erroris extortum iri animaduertunt, callidè anguillas imitentur, & semel susceptas disputandi partes commutare & verbi gratia ex Respondentibus (vt in scholis loquuntur) *opponentes* fieri, aut aliquà elabi, inq; aliam quamcumque materiam deriuare disputationem incipiant, frustrato eo, cum quo colloquuntur & conclusione quæstionis institutæ minimè exspectata. Sicut qui cursu parum valent, flexu eludunt, huc illuc discurrentes, nec vsquam insistentes : ita ipsi cum prosequenda disputationis materia, tueri sententiam nequeant, *diuerticulis & amfractibus*, *quæ* (vt Fabius ait) *suffugia sunt infirmatis*, vtuntur. Sed quoniam ea res hominis alterum irridentis, eiusq; frustratione voluptatē capere gestiētis speciē habet, Disputatorē quidē Catholicū ab assequenda propè iam explorata victoria submouet, arduū ac difficile negotiū fuerit, Disputatori bilē nō moueri, vt tantam aduersarij improbitatem acriusculè obiurget, ac iam non contra rē quam aduersarius tuetur, sed contra ipsum κατὰ πρόσωπον (ait Aristoteles) con-

Hæretici non manent in proposita materia. neq; in suscepto disputandi munere,

tra personam ἐπιτίμησιν siue reprehensionem dirigat. vnde propemodum fieri necesse est, quod idem Philosophus ait, δυσκολαίνοντες ἀγωνιστικὰς καὶ οὐ διαλεκτικὰς ποιοῦνται τὰς διατριβάς, *iam Dyscoli facti & irritati non Dialecticè, sed contentiosè disputant.* Sin autem Aduersarius non quidē aberret & à proposito deflectat, sed Catholicorum dicta aut facta calumnietur, certè tunc quoq; singularis cuiusdam temperantiæ fuerit, Catholicū Disputatorē iræ tēperare & maledicto abstinere. Vt enim ait Salomo Eccle. 7. *Calumnia conturbat etiā sapientem, et perdit robur cordis illius.*

Hæretici solent Catholicorū dicta & facta calumniari.

CAPVT XCIV.

QVam porrò in eo sibi indulgeant Hæretici, vt ex Catholicorum factis aut dictis inuidiam in eos quærant, neq; calumniari & in partem peiorē singula interpretari desinant, id neminē Catholicū, qui vel semel cum eo hominum genere velitatus fuit, fugere potest. Verbi gratia. Facit nobis Hæreticus inuidiam ex Sanctorū inuocatione, quam Idololatria vacare negat, propterea quod Inuocatio sit honos soli creatori debitus, adeoq; sine scelere & impietate ad nullam creaturam transferri possit. Respondet Catholicus, fateri se, impiè illum facere, qui quemcumq; sanctum veluti Deum inuocet, sed ab eo Catholicos plurimum abesse, quippe qui à solo Deo beneficium petant & exspectent (Psal. 120. *Auxilium nostrum à Domino qui fecit cælum & terram.*) Sanctos verò non nisi tanquam precatores vel aduocatos ad Deum allegent, quod adeo nullam diuini honoris partē habet, vt maior Deo contumelia fieri vix queat, quam si quis eum non tamquam auctorem ac largitorem, sed velut eum, qui aliunde beneficium precibus impetrare debeat, inuocet. Iam Hęreticus, qui non errorem Catholico eripere, sed eum errare suæq; reprehensioni obnoxiū esse miserè cupit, vbi hac via non succedere videt, ad aliud argumentū conuertitur, & Occulta, inquit, longeq; dissita inprimisq; cordium arcana scire ac videre est solius Dei. Itaq; honorem Dei cum sanctis communicatis, cum eos inuocatis veluti miseriarum vestrarum conscios, quicque corda vestra scrutentur ac pernoscant. Respondet Catholicus: Nemo illi, quod est Dei proprium, tribuit, quē non sua, sed Dei virtute ac dono occulta scire credit. Ita quamuis Dei proprium sit mortuos suscitare ac peccata remittere, nequaquam tamen diuinum homini honorem tribuo, quem Dei virtute ac gratiá mortu-

Specimen calūnia in articulo de Inuocatione sanctorum.

Catholici Sanctos non pro auctoribus beneficij, sed pro impetratoribus habent.

Hæretici cuperent Catholicos errare.

Multi homines habent diuina bona, sed à Deo impertita.

os suscitare & peccata remittere posse credo: alioquin Idololatriæ fuissent Ioppenses illi Christiani *Act. 9.* qui Petrum inuocarunt, vt Thabitham mortuam vitæ restitueret. quod tamen non suis viribus, sed per Christum facerere eum posse credebant, nec eodem illo, quo Lystrenses *Act. 14.* errore tenebantur: qui cum claudum hominem à Paulo correctum ac sanatũ vidissent, Deum esse rati sunt, cuius verbis tanta vis ac potestas esset, statimq; sacrificium ei offerre voluerunt. nam si eandem Ioppenses de Petro opinionem habuissent, statim audissent id ipsum, quod Iudæi illi *Act. 3.* qui cum similiter claudum hominem Petri verbis sanatum vidissent, *repleti stupore & extasi* certatim ad ipsum accurrerunt, quibus ille: Quid, inquit, *miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute ac potestate hunc fecerimus ambulare?* Ergò neq; nos diuinum sanctis honorem impertimur, cum eos non suapte virtute aut potestate, sed Dei gratia ac beneficio cordium nostrorum arcana occultosq; gemitus perspicere atq; exaudire credimus. Quod si etiam in eo fallimur, cum tantam à Deo gloriam cum sanctis communicari credimus, non continuò propter hunc errorem Idololatræ aut impij perhiberi meremur, nec enim is est Idololatra, qui creaturam Deo tribuente diuinum quippiam habere perperam credit, sed qui Creaturæ aliquid diuini esse putat, quod à Deo acceperit. Verùm non falli nos, cum hanc gloriam ac potestatem occulta longeq; dissita Sanctis cælitibus tribui à Deo credimus, vel eorum exempla vincunt, qui adhuc in terris vitam agentes eiusdem gloriæ participes facti leguntur. Tanquam Petrus *Act. 5.* Ananiæ & sapphiræ cogitationes & occulta consilia pernouit, & Samuel 1. Reg. 9. & 10. *Sauli omnia, quæ in corde eius fuerant, indicauit*: & Elisæus *4. Reg. 5.* se quamuis domi resedisset, præsentem nihilominus fuisse dixit, cum Naaman Giezi occurreret muneraq; daret: idem *4. Reg. 6.* *sciebat* & audiebat, *quicquid rex Syriæ loqueretur in conclaui suo*: & Paulus Act. 14. intuitus claudum, *vidit quod fidem haberet, vt saluus fieret.* Habebat quippe *Christi sensum*, velut de se scribit 1. Cor. 2. adeoq; Christi oculis vidit, Christi auribus audiuit. Quanto igitur credibilius est eandem occulta ac remota cognoscendi gloriam sanctis iam in gloriæ statu inq; throno collocatis à Deo impertiri? *Si enim quod euacuatur*, siue aboletur ac temporarium est, *in gloria est*: *multò magis quod manet in gloria est*, ait Paulus 2. Cor. 3. Iam verò Sanctorum in terris vita, quæ euacuatur (*non enim habent hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirunt*, Heb. 13.) in tanta sæpè gloria est,

Catholici sanctis nequaquã diuinum honorem tribuunt.

Sancti cælites arcana & longè dissita cognoscunt.

Habent enim Christi sensum & gloriam.

eſt, vt penitus abſtruſa & ab oculis remota videant, quemadmodum Paulus etiam hoc ſuam aliorumque Spiritualium *Gloriam* pertinere affirmat, quod ſciant & intelligant fidei Chriſtianæ myſteria, quæ Principes Sacerdotum ac Legis doctores neſciant. 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam prædeſtinauit Deus in GLORIAM noſtram, quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum. nobis autem reuelabit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur*, non tantum hominum corda & arcanas cogitationes, ſed *etiam profunda Dei.* Multò igitur magis vitam Sanctorum, quæ manet in cælis, in eadem gloria eſſe, eisq; per Spiritum Dei, omnia illa, quæ alioquin oculus non videt, auris non audit, ſiue, quæ ſolus Deus ſcit, reuelari oportet. Iſaias enim capit LXIV. apertè dicit: *Oculus non vidit, Deus, absq; te, ſeu* præter te, vel, niſi tu, *quæ præparaſti exſpectantibus te.* Itaq; Paulus *1. Cor. 13.* ſcientiam, quam Sancti in hac vita reuelante Spiritu Dei poſſident, nullo prorſus genere cum eius ſcientiæ plenitudinæ & abundantia conferendam eſſe docet, quam Deus ijs, quos iam in conſpectum ſuum admiſit, pręparatam habet. *Ex parte*, inquit, *cognoſcimus & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Videmus nunc* ea quæ Spiritus Dei reuelat, *per Speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciē.* Et propter hanc perfectiſſimam nō friuolarum iſtarum rerum, cogitationum nempe humanarum, ſed *profundorum Dei* cognitionē ac ſcientiam, rectè ſancti in cælis nō modo *Angelis* (Luc. 20.) ſed etiam ipſi Deo ſimiles dicuntur. 1 Ioh. 3 *Nunc filij quidē Dei ſumus, nondū tamē apparuit, id quod erimus. Scimus, quod cū apparuerit* (ſiue, cū in cælū obita iam morte recepti fuerim⁹) *SIMILES ei erimus, quoniam videbimus eum ſicut eſt.* Nimirū quia *in Deo conſtant omnia* (Colos. 1.) *omnesq; homines in ipſo ſunt & mouentur* (Act. 17.) qui Deum videt facie ad faciē, eum nihil eorū, quæ homines cogitant, agunt ac loquuntur, fugere poteſt. quod ipſum Iſai. 33. cuicūq; Sancto ad viſionē Dei admiſſo ſic promittitur: *Qui ambulat in iuſtitijs etc. iſte in excelſis habitabit* (ſicut Deus, qui & ipſe *habitat in excelſo*, velut paulò priùs eodē capite dixerat) *munimēta Saxorum ſublimitas eius* (id eſt, *non mouebitur in æternū*, Pſal. 15.) *panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt* (nō eſuriet neq; ſitiet amplius, quia Agnus reget eum & deducet ad vitæ fontes aquarum, Apoc. 7.) *Regē in decore ſuo videbūt oculi eius, cernent terrā de longè.* In quo ſunt Deo ſimiles, *qui in altis habitat et humilia reſpicit, et alta à*

Chriſtus ſuos adhuc in terris glorificat ſcientia myſteriorū & profundorū Dei.

Sancti in cælis multò plus ſciunt, quam ſancti in terris.

Sunt enim Deo ſimiles.

Cùm Deum videant.

longè cognoſcit, Pſal. 112. & 136. Hanc eandem illis ſimilitudinẽ Chriſtus Apocal. 2. & 3. ſic promittit: *Qui vicerit & cuſtodierit vsq; in finem opera mea, dabo ei ſedere mecum in throno meo, & dabo ei poteſtatem ſuper Gentes, vt regat* ſiue paſcat eas: ſicut & *ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius, & accepi poteſtatem ſuper gentes.* Itaq; ſancti non tantùm in eo ſunt Deo ſimiles, quod in excelſis habitant & ea, quæ in terris geruntur, cognoſcũt, ſed etiam quod terram ac gẽtes regunt, paſcũt & dirigunt, poteſtate tamen regia à Chriſto cũ ipſis communicata, qui propterea *Princeps regum terræ* dicitur, Apocal. 1. nam Reges terræ ſunt ſancti cæleſtes, quorum Apocal. 5. hanc ad Chriſtum vocem audimus: *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Iam verò Chriſtus ita in throno ſuo regio ſedet, vt humilia reſpiciat, pauperum & oppreſſorũ gemitus ac preces exaudiat, ad auxilium eorũ deſcendat, eosq; manu de alto emiſſa ſeruet. Pſal. 101. *Proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram adſpexit, vt audiret gemitus compeditorum.* Pſal. 10. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius. Oculi eius in pauperes reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum,* Pſal. 9. *Dominus regnabit in æternum: deſiderium pauperum exaudiet, præparationem cordis eorum audiet auris eius.* Pſalm. 143. *Domine inclina cælos tuos & deſcende: emitte manum tuam de alto & eripe me.* Quid igitur iam habent Hæretici, cur nos Idololatriæ accuſent, cum Chriſto credimus, qui ſe ſui regni gloriam & poteſtatem ſuper terram ſanctis ſuis, perinde atq; ipſi à Patre eam accepit, impertiri affirmat? Aut Chriſtũ eiusq; Prophetas & Apoſtolos mẽtitos dicant oportet, aut nobiſcũ fateantur, ſanctos in excelſis habitantes inde in terram proſpicere vt audiant gemitꝰ noſtros & præparationem cordis noſtri, manusq; ſuas de alto emittere, vt nos ex periculis eripiant, quomodo etiam Angelos hominum Liberatores eſſe Iob. 33. docemur: *Si fuerit pro homine Angelus loquens vnus de millibus, vt anunciet hominis æquitatem,* ſiue vt pro eo Deum deprecetur: *miſerebitur eius Deus, & dicet* Angelo: *Libera eum, vt non deſcendat in corruptionem: inueni, in quo ei propitier.* Sed hoc multò rectius de ſanctis hominibus perſuaſum habemus. non enim Angelis Chriſtus, ſed ſanctis, quos redemit, ſedem in throno ſuo & regnum terræ pollicetur: quibus etiam de Angelis iudicium Paulus tribuit 1. Cor. 6. *An neſcitis, quia ſancti de mundo iudicabunt? neſcitis quoniam Angelos iudicamus? quanto magis iſta ſæcularia?* Quare ergo nos potiùs, quam ſpiritum ſanctũ accuſant Hæretici, cũ quod ipſe perſpicuè

Sancti in cælis duabus rebꝰ Deo ſimiles.
1. notitia rerũ occultarum & diffi arum.
2. poteſtate ſiue imperio ſuper homines.

Sancti audiunt praces noſtras, nosq; iuuant.

Angeli pro nobis orãt, nosq; liberant.

Ergò multò magis ſancti homines idẽ faciunt.

cuè docet, recipimus, Sanctosq; non sua virtute aut potestate, sed Dei largientis gratia, quicquid habent gloriæ tenere credimus? sed cum hæc atq; his similia audit Hæretic⁹, non ille gaudet, nos errore, quem in nobis reprehendebat, carere (quod sanè facere eum oportebat, si Dei gloriam quæreret, nosq; saluos vellet) sed verò dolet ac ringitur, nos ita, quemadmodum ipse insimularat, non sentire: atq; etiamnum vt omnino in eo errore non esse vincat & probet, ad hoc exemplum argumentatur: Sine dubio honorem Dei ad sanctos transfert, qui maiorem in sanctis, quam in Deo salutis spem & auxilij fiduciam collocat. Hoc vos Papistæ facitis, qui certatim ad sanctorum opem confugitis, surdi ad Christi sic nos inuitantis vocem Matth. 11. *Venite ad ME omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.* Psal. 49. *Inuoca ME in die tribulationis, & eruam te:* Respondet Catholicus: Qui libellum supplicē Principi inscriptum alicui eius Consiliario aut Cubiculario exhibet, tametsi eum ministrum multis verbis rogat, vt libellū Principi reddere causamq; suam commēdare velit, nequaquam honorē Principis Ministro defert, & non à Ministro, sed ab ipso Principe beneficium postulat. Certè Gentiles illi *Ioh. 12.* qui venerunt ad Philippum & rogarunt eum, dicentes: *Domine, volumus Iesum videre:* nequaquam honorem Christi Philipo impertiti sunt, licet priorem illum conuenerint, magnaq; humilitate *Dominum* appellantes, suum ei desiderium exposuerint. neq; Christus, quod non rectà ad se accesissent, suam contumeliam aut iniuriam interpretatus est, quin immò id ad honorem suum clarificandum magisq; illustrandum pertinere docuit, quod tanta sui apud Gentiles esset reuerentia, vt nisi fauore gratiosorum familiarium priùs ambito, & ab illis commendati, in conspectum suum uenire non auderent. Vt enim Philippus assumpto Andræa Gentiliū preces eis exposuit: *respondit eis Iesus dicens: Venit hora, vt clarificetur filius hominis.* Sed etiam Centurio ille Luc. 7. *non se dignum arbitratus,* vt in Christi conspectum veniret, *misit ad eum seniores Iudæorum,* vt ipsis precatoribus siue intercessoribus beneficium impetraret. Et tamen ipse Spiritus sanctus Matth. 8. *ipsum ad Christum accessisse* dicit, vt silentium scilicet imperet Hæreticis, qui negant ad Christum venire, si quis sanctos Aduocatos ad eum alleget. Similiter cùm eos calumniantur non satis in Christo spei ac fiduciæ habere, qui vel non rectà ab ipso Christo, vel non ab eo solo neglectis ac præteritis sanctorū precibus petant quod obtinere volunt: habent in hac Cēturionis historia, ex quo calūniam mi-

A Christo ipso opem petit, qui à sanctis pet.t.

Christum plus honorat, qui sāctis precatorib⁹ vtitur.

Ad Christum ipsum accedit, qui intercessores ad eum allegat.

nuere discant. Is enim cùm & Christum diuina potestate præditum, quicquid vellet, etiam vno verbo perficere posse crederet, & sibi beneficium ab eo non negatum iri confideret, tanto maiorem in spem eius obtinendi venit si præcipuis Iudæorum apud ipsum precatoribus vsus esset. quare meruit vnico illo Christi elogio turbis commendari: *Amen dico vobis, quia in Israel tantam fidem non inueni.* Neque verò Deus Iobi amicos à se discedere fiduciamq; alibi collocare voluit cum eos Iobo deprecatore apud se vti iussit. Iob. 42. *Iratus est furor meus in vos. Ite ergò ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis, & faciem eius suscipiam, vt non imputetur vobis peccatum.* Sed quamuis hæc Hæreticus ex Catholico audiat, ingenio nihilominus suo vtitur, nihilq; non excogitat, vt nos sanctis inuocandis honorem Dei minuere omninoq; Idololatras esse doceat. Quamuis autem si se Turca quispiam Mahometũ, nequaquam pro Deo, sed tantum pro Dei ministro ac Propheta habere dicat, improbus atq; importunus omnib⁹ uideatur, qui plus ei molestus esse pergat, vtq; Mahumetum à Turcis pro Deo coli confiteatur, cogere eum velit: non facilè tamen quisquam inuenietur Hæreticus, qui nobis eandem, quam Turcis, æquitatem & humanitatem tribuat, quodq; nos à nobis Catholicis credi asseueranter affirmamus, improbè vellicare & calumnari nolit. In quo simile quiddam faciunt illis Christi discipulis *Ioh. 6.* qui cùm *iam abire retrò* seu Christum deserere constitutum haberent, præ se tullerunt, se nimia verborum Christi duritia & ἀκυρολογίᾳ (quia carnem suam Panem & sanguinẽ suum, Potũ omnibus viuere cupientib⁹ necessarium dixerat) meritò offensos ac scandalizatos esse: *Durus* (inquiunt) *est sermo hic, & quis potest eum audire?* Et tamen Christus duritiem illam satis molliuerat, cum carnem suam non corporum, sed animarnm escam esse significauit: *Verba* (inquit) *quæ ego locutus sum vobis Spiritus & vita sunt.* Sed enim illi, quod in eum non crederent (non enim ex fide in illum, sed desiderio gratis manducandi secuti eum fuerant: *Quæritis me*, ait Christus, *non quia vidistis signa,* neq; quod ex ijs credatis me Messiam esse, *sed quia manducastis ex panibus et saturati estis*) quodq; honestam eius deserendi occasionẽ quærerent (nam *occasionẽ quærit, qui recedere vult ab amico* Prou 18.) satis ex illis Christi verbis causæ nactos se putabant. Similiter Protestantes nostri quando veritatis euidẽtia coacti nos nihil in sanctorũ Inuocatione peccare, neq; honorẽ Dei minuere agnoscũt: quia tamẽ abire retro neq; *nobiscũ in domo Domini cum consensu ambulare* decreuerunt, & speciosum aliquẽ suæ alienationis colorẽ ac pretex-

tum

Eoq; maiorem in Christo spem habet: quo pluribus impetrandi Medijs vtitur

Deus ipse iubet ad sanctorũ preces confugere.

Hæreticorũ erga Catholicos iniquitas.

De Verbis litigant, cum rem ipsam reprehẽdere nequeunt.

Sicut omnibus Apostatis mos est.

tum quærunt, satis excusati sibi videntur, si nostrum illud ad B. Virginem carmen prætendant:

Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Tametsi enim quis noster in ijs verbis sensus sit, ex quotidiana nostra ad B. Virginem formula, quam salutationi Angelicę subijcere cõsueuimus, (*sancta Maria, mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ*) ipsum quoque loquendi genus, quo *protegere* & *suscipere* dicitur, qui vt à Deo protegamur ac suscipiamur, precibus suis imperat, Christum auctorem habere minimè ignorant (nam Luc. 16. iubet nos *amicos nobis facere de Mammona*, siue, Eleemosynis nostris, *vt cùm* mortui *defecerimus, ipsi nos in æterna tabernacula recipiant.* quomodo etiam Paulus 2. Tim. 2. omnia se propter electos sustinere ait, *vt & ipsi salutem consequantur in christo*, quod perinde est ac si diceret, se salutem alijs acquirere. Et 1. Tim. 4. monet Timotheum, vt *se ipsum & alios saluos faciat.* Iudas etiam in epistola, hortatur nos, vt *alios saluemus & ab igne rapiamus*, siue, à damnatione liberemus) nihilominus quia iam olim calumniari, suamque Apostasiam aut pertinaciam saltē in speciem atq; ad vsurpationem defensionis tueri miserè cupiunt: *Durus* (inquiunt) *est sermo hic, & quis potest eum audire?* In quos verbũ illud Iob 34. meritò quis contulerit: *Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes eius vias intelligere noluerunt.* tamquam eos dicat, commodam duriusculi sermonis interpretationē audire nolle, vt Apostasia ipsorum ab Ecclesia non prorsùs nullam excusationem habere videatur. His videntur similes fuisse, de quibus Deus Ierem. 9. *Habitatio tua* (inquit) *in medio doli: in dolo renuerunt scire me.* id est, videri malunt ignorantia, quàm malitia labi, quasi scilicet meliorem sententiam nullam videant, & Catholicorum sententiæ, quamuis non vsque eò incommodæ, verbis tamen nimis duris conceptæ salua cõscientia accedere nequeant. Cui porrò cum hominibus eiusmodi negotium est, cùm eos nullam verborum nostrorum interpretationem admittere, sed pertinacissimè calumniari, quamque sententiam nos ipsi abhorrere nos ac detestari, Deum hominesque contestamur, eam omni vi nobis affingere videt, quomodo non commoueatur vehementiùs, ac Dauidis verbis sic sortem suam adeò iniquam conqueratur? *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est nimis. Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus. Cùm loquebar illis,* & ex studio veritatis demonstrandæ disputare cùm ipsis incipiebam, *impugnabant me gratis.*

B. Virgo rectè dicitur nos protegere & suscipere.

Hæretici calumniãtur vt suã Apostasiam velent.

Alia Heretico disputanti irascendi causa.

SÆPE autem in Disputatione vsu venit, vt Hæreticus taceat, neque facilè verbum, quo vel aiat, vel neget, exprimi sibi patiatur: quòd siue eo consilio facit, vt ne victum se fateatur, siue quòd Catholicum contemnat, neq; respōso dignū esse significet: satis Catholico, cur irascatur, causæ præbet. nam qui iam disputationē ingressus est, nec à principio certamen detrectauit, iniuriam facere videtur, si victoriam alteri, labore ipsius propè partam ac velut exploratam, silentio suo nunc extorqueat. Itaque hanc Aristoteles causam esse ait, cur *Disputatio* fiat *Agonistica, non Dialectica*, hoc est, cur is, quem aduersarius nihil ad rem respondendo, vel omnino silendo in disputatione procedere & victoriam conficere nō sinit, excandescat & verbis asperioribus in aduersarium inuadat. nam nisi pugnans, vinci non potest. Certè Christo ipsi silentio Iudęorum, quos argumentis victos cupiebat, bilē motam fuisse *Marci 3.* discimus. Cùm enim in Synagoga obseruari se sciret, vtrū Sabbatho ægros & affectos curaret, homine aridam manum habente in medium pdire iusso: *Licet ne*, inquit, *Sabbatho benefacere, an male? animā saluā facere, an perdere?* Iudęi, qui scirent, si affirmassent licere (quemadmodū affirmare cogebantur) ipsum statim subiecturum. Atqui sanare ęgros ac debiles est benefacere. Ac proinde victorem fore, & sic porrò coacturum siue conclusurum: Ergò Sabbatho ægros sanare licet. Sed quia victoriam ei confessione sua cedere nolebant, tacuerunt. *Iesus igitur circumspiciens eos cum IRA, contristatus super cæcitate Cordis eorum, hominem sanauit.*

Silentium illorum, qui nolūt victos se fateri.

Silentium eorū, qui aduersarium contemnunt.

Sin autem silentium ex contumacia aut contemptu pfectum videatur (veluti Pilatus Christi silentiū interpretabatur Ioh. 19. *Mihi*, inquit, *nō loqueris? nescis quia potestatē habeo crucifigere te?*) multò etiam magis Disputator accenditur, si pſertim non sit is, in quo Aduersarius meritò quicq̄ contemnere queat: verbi gratia, si ipse sit in Philosophicis ac Theologicis studijs cum publica cōmendatione diu versatus, si linguas plures teneat, si quoquot iam inde ab Apostolicis temporibus vnq̄ fuerunt sanctissimos & eruditissimos Bibliorū interpretes, itēq; Conciliorū Decreta multū manib⁹ versauerit, si deniq; nō suam priuatā, sed Ecclesię sentētiam tot miraculis, tam copioso martyrū sanguine, tam cōstanti sęculorē omnium consensu firmatam ac roboratam asserat & defendat: quomodo non indignetur, se ab Hęretico contemni, qui vix quicq̄ præter Grammatica & Rhetorica, & aliquam malè natam Dialectices epitomen didicerit, ac tria, si fortè, Græca vel Hebręa verba memoria teneat: ceterùm, *in profundis Dei*, siue in Theologię mysterijs,

myſterijs, atq; etiam in humana ſapientia, ſeu Philoſophia hoſpes ſit ac peregrinus? nam eiuſmodi plerique omnes ſunt Hæretici— κενεῆς οἰήσεος ἔμπλεω ἀσκοί— *vt res, quos implet opinio vana*, vt ait Timon. Ac velut in ſegete longè ſupra ceteras ſpicæ inanes eminent, cùm quo quæque eſt bona fruge plenior, hoc magis incuruiſcere ac ſubmitti ſoleat: item animis offeruntur magnificeque ſeſe inferunt, quibus non niſi quædam verborum comptorum copia doctrinę ſpeciem induit, cùm illi viciſſim, qui animum multarum rerum ſcientia non perfuderunt, ſed imbuerunt, quod multo plura eſſe intelligant, quæ neſciunt, quàm quæ ſciunt, modeſtiſſimos ſe exhibeant. Iam verò ſic fert natura, vt iraſcamur ijs, à quibus pręter meritum nos deſpici dolemus, præcipuè ab ijs, qui nequaquam pares nobis cenſeri poſſunt, quemadmodum in Rhetoricis diſputat Ariſtoteles, & S. Iob exemplo ſuo nobis affirmat, cùm inter grauiſſimas ſuas calamitates hanc etiam recenſet, quod ab inferioribus contemneretur. Iob. 30. *Nunc derident me iuniores tempore, filij ſtultorum & ignobilium, & in terra penitùs non parentes*, hoc eſt, ita ignoti & contempti, ac ſi numquam nati forent. Huiuſmodi porrò fore Hæreticorum ingenium Paulus 2. Tim. 3. ita prænunciat. *Erunt homines ſe ipſos amantes, elati, ſuperbi, tumidi proterui, non obedientes &c. Et hos deuita reſiſtunt enim veritati, nec vnquam ad ſcientiam veritatis perueniunt.* Quibus verbis ſatis perſpicuè id, quod modò dixi, confirmat, Hæreticos ſcilicet, eo quod tumidi ſint ac vana ſcientiæ opinione inflati, Veritatis ſcientiam non admittere, ac propterea à congreſſu eorum ſiue diſputatione ſuperſedendum eſſe.

Hæretici plerũque indocti & contemptores.

Ab inferioribus contemni graue eſt.

CAPVT XCVI.

POSTREMÒ ipſa ſæpè Hæretici Dyſcolia propemodum, vel inuito Diſputatori non tantùm iraſcendi, ſed acribus quoq; verbis in aduerſarium inuehendi neceſſitatem imponit. Cùm enim Hæreticus ſe manifeſtò victum captumq; iri intelligit, nempe iam vehementer dolet (quod ex Ariſtotele ſupra didicimus) ſentētiam ſuam ſibi eripi, quod niſi eam abijciat, falſitatis perſpicuè conuictam, ſeſe hominem parùm rationis compotem auditoribus viſum iri ſciat. quapropter vt hunc ſuum dolorem aliqua Voluptate penſet (cùm, vt oſtendimus, Voluptas ei pertinaciam & ſententiæ obſtinationem ſuadeat) Diſputatori ſiue verbis, ſiue factis moleſtiam creare ſtudet, (quod *Prouer. 18.* docemur: *Labia ſtulti venient in lite, & os eius ad percuſſiones vacabit*. nam ſic

Alia Hæretico Diſputatori iraſcendi cauſa.

Hæreticus vinci ſe dolet.

Itaq; contumelia dictorũ aut

ſic eſt in Hebræo) hoc eſt, vel conuiciis famam & honorem, vel plagis aut vulneribus corpus eius appetit: quæ res ad Vindictam pertinet, quam nihil mirum eſt, æquè ac Victoriam ipſi gratam ac iucundam eſſe, non modò, quia opinio præſtantiæ, quam Vltio ingenerat (nam quem quis punit & vlciſcitur, eo ſibi ſuperior ac maior videtur) tantam habet dulcedinem, vt multi vitæ Vindictam pręferant: ſed etiam quia violenta, illa ſiue verborum, ſiue verberum concertatio ad conficiendam victoriæ ac ſententiæ argumẽtis defenſę opinionem, apud plebeculam pręſertim, non minùs, quam ipſa Veritas momentum habet. Iactis enim multis conuitijs Auditoris animus ab ipſorum argumentorum examine abducitur, victuſque paulatim & delenitus voluptate, quam Maledicentia ſiue nouitatis, ſiue ingenij & acuminis vſa lenocinio creare ſolet, ei fauere aſſenſumq; commodare incipit, cui oblectationis illius gratiam debet. qua in re ſæpijs Hæretici ſunt ſimiles, quas vbi ſe captas animaduertunt, atramentum vomere ſuique conſpectu piſcatoribus erepto effugere aiunt. Sed etiam illud Hæreticos minimè fugit, plurimum ad faciendam fidem intereſſe, quid à quoque dicatur. Itaque ſi, quibus aduerſantur, eos in contemptum auditorum adducant, ipſa ſimul eorum argumenta minoris momenti viſum iri, ſeque vel hoc pacto victores fore, ſaltem quandam victoriæ opinionem habituros eſſe ſperant,

factorum vindicare ſe conatur.

Nam id iucundum eſt.

Et facit, vt victor aut ſaltem non victus videatur.

Κρεῖσσον δὲ δοκεῖν, κἂν ἀληθείας ἀπῇ

Atqui bona eſt, vt vera non ſit, Opinio,

velut ęger ille & affectus apud Euripidem Oreſtes ait, qui tametſi nondum morbo liberatus, dummodò pedes in ſolo figat, quandam ſanitatis opinionem, qua ſoletur morbum, habiturus ſibi videtur. Et quantum quidem Hæreticorum conuicia in Catholicos, præcipue Pontifices, Epiſcopos & Sacerdotes iacta, ad minuendam eorum fidem & auctoritatem valeant, nihil hic commemorare attinet, cùm ipſa re ſatis loquatur, hocque paſſim hodiè Prędicantes, in primis *Hailbrunnerus Neuburgenſium Palatinorum Aretalogus* accuratè ſuis inſtillet, non poſſe habitantem in ſe Spiritum veritatis habere, neque veram ſcripturarum interpretationem docere eos, quorum ea ſit vitæ morumque turpitudo, quam noſtris ſine vlla ἀδιαφορίᾳ & indiſcriminatim affingunt, tamquam neſciant, de quo ſupra cap. XXVI. monui, & infra dicam fortè vberiùs, Charitatis donum non ſemper ſimul cum ſcientiæ chariſmate inueniri, noſq; Euripideo illo rectiſſimè vti poſſe:

Conuicia Hæreticorum in Catholicos quantam vim habeant.

Πολλοὶ

Ρολλοὶ γὰρ ἡμῶν, οἱ μὲν εἰσ ἐπίφθονοι,
Οἱ δ᾽ εἰς ἀριθμὸν τῶν κακῶν πεφύκαμεν.
Plerique sunt nostrum inuidenda prȩditi
Virtute: alij numero malorum accedimus.

Quod si etiam verberibus Hæretici Catholicos appetant, nempe illa quoq; contumelia nō parum ad voti sui summam profectum iri, sperant. Solent enim contemni atque ob id pudore affici (velut etiam Aristoteles monet) quibus vis, aut contumelia per vim facta est, quod futurum putent, vt propterea timidi ignauique aut etiam viles & abiecti videantur. Ita Christo ipsi *Ioh. 8.* vsu venisse videmus, vt post longam disputationem Iudæi, quos ille syllogismis suis palàm conuicerat, lapides tollerent, vt iacerent in eum: Et Apostolis similiter Act. 5. quos cum audissent Principes & Sacerdotes, neque quod eis contradicerent, quicquam haberent, *dissecabantur & cogitabant interficere illos*, tandem virgis cæsos dimiserunt, quod tanta contumelia affectos populo ludibrium potiùs debituros, quàm multum persuasuros putarent. Idem exitus fuit Disputationis S. Stephani cum Iudæis (*Act. 6 & 7.*) Cùm enim Iudæi *non possent resistere sapientiæ & Spiritui, qui in Stephano loquebatur*, priùs quidem existimationem eius allegatis ac subornatis falsis testibus deformare eoque pacto pondus argumentis eius auctoritatemque adimere conati sunt: mox iusto eius conuicio dura ceruice seu pertinaces, proditores & homicidæ appellati, *dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, auribusq; ne vocem eius admitterent obturatis, impetum tandem in eum fecerunt & eiectum extra Ciuitatem lapidarunt.* Vsque adeò *Expedit magis occurrere Vrsæ raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua*, ait Salomo Prouerb. 17. Quamuis enim ęquè Vrsa turpissimos suos catulos, atque hic stultam opinionem suam, amet: hoc grauius tamen periculum adit, qui argumentorum vi pertinaci sententiam extorquet, quàm qui Vrsæ catulos surripit, quod huic non nisi vitæ, illi simul etiam veritatis, quam propugnat, accepta contumelia discrimen impendeat. Esse verò tale plerisque Hæreticis ingenium, passim Scriptura fidem nobis facit. Prouerb. 19. *Stultitia hominis supplantat gressus eius* (cadere eum & errare facit) *& contra Deum feruet animo suo*, siue, opinionem suam falsam Dei aduersariam feruidè ac furiosè tuetur. Prouerb. 21. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum.* Ierem. 5. *Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Ierem. 8.

Pulsatio, omninoq; contumelia facti, quantum valeat ad minuendam auctoritatem.

Pertinaciū hominum furor.

Auersus est populus iste auersione contentiosa: omnes conuersi & intenti sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Ierem. 6. *Incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt. Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Soph. 3. *Nesciuit impius confusionem.* Zach. 7. *Aures suas aggrauauerunt, ne audirent: & Cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent Legem.* Itaque meritò ab eiusmodi hominum congressu & disputatione abstinemus, præcepti illius Matth. 7. memores: *Nolite dare sanctum Canibus, ne fortè conuersi dirumpant vos.*

Hæretici sunt Canes, quibus sanctum dari non debet.

Canes quippe sunt Hæretici propter *impudentiam*, qui quamuis apertè victi erubescere nesciant: propter *oblatrationem* qui conuiciis ac verborum contumelijs Disputatores insectentur: propter *diruptionem* denique, siue morsus ac vulnera eorum, qui eis dant sanctum, hoc est, propter facta, quibus Catholicorum vitam & honorem violant. *Graue est Saxum* (ait Salomo Prouerb. 27.) *& onerosa arena*, sed *Ira stulti vtroque grauior.* hoc est, difficulter ferri seu tolerari potest fatuus pro sententia & opinione sua propugnans, quoniam illud cum Ira facit, cum qua nihil rectè fieri, nihil consideratè potest.

Contumeliosum disputatorem ferre graue est.

Itaque dolori atque iracundiæ seruiens ab, eo, cum quo dissentit, contumelia se vindicat. Hanc porrò æquo animo ferre ac sustinere non est τοῦ ἐπιτυχόντος seu cuiusuis, velut etiam Eccles. 21. legimus: *Narratio fatui quasi sarcina in via. Prudens grauabitur contumelia.* Et cap. 22. *Qui conuiciatur, dissoluit amicitiam.* Atque hanc Paulus Hæreticorum, quos in diebus nouissimis venturos prænunciat, notam facit, quod sint *blasphemi*, *sine pace & criminatores*, 2. Tim. 3. quos etiam S. Petrus ait, *in ys, quæ ignorant, blasphemare*, siue sententiam veram, contra quam disputant, contumelijs insequi, 2. Pet. 2.

Itaque à disputatione cum Hæreticis supersedendum.

Perspicuum ergò iam est, quanti sit periculi cum hominibus tam litigiosis, pertinacibus, & impotentibus pedem conferre ac verbis velitari. nam si quis contumelia lacessitus parum potens irę *stulto iuxta stultitiam suam respondeat, eique similis efficiatur* (id quod cauere Salomo iubet Ptouerb. 26.) nempe iam rixa aut pugna erit, non Disputatio.

—— ἀμαθία δὲ δυοῖν
Εἰς ταὔθ᾽ ὅταν μόλητον, ἔχθιστον κακόν.
—— *stultitia autem cùm conuenit*
Duorum in vnum, id est malorum maximum.

CAP.

ATQVE hoc modo vtramq; causam, ob quam Paulus Hæreticos deuitari iubet, & eorum congressu seu Disputatione interdicit, satis à me declaratam arbitror: in quo non vereor, ne cui aberrasse & in deuium exisse videar, si quis in memoriam modò redeat, nos in ea Parabola explananda adhuc versari, quæ similitudinem Ecclesiæ cum ciuitate seu Republ. complectitur, vt ita nequaquam hinc alienum videri debeat, subtiliùs disputari de officio ac virtute Ciuium, quæ est obtemperatio Legibus ac Magistratui; 1.
deque natura proscriptorum & exulum, siue Hæreticorum, seditionem concitare, ciuibusque in partes ac studia deductis summum imperium sibi comparare molientium; de ratione denique tam cum his, qui seditionem concitant, quàm cum ceteris, qui vel propter malitiam, vel errore aduersus leges aut Magistratus commoueri se patiuntur, vtiliter agendi. Et quoniam de prioribus duobus capitibus, de bonorum, inquam, ciuium siue subditorum officio, deque exulum turbulentorum siue Hæreticorum, ingenio ac natura satis dictum est, res postulat vt de postremo similiter verba faciamus. Quæri enim hoc loco ex Apostolo Paulo poterat: Cùm quæstiones ac disputationes Hæreticorum omni ratione deuitari iubeas: quibus tandem modis progressus Heresion coërcere ac veritatem Catholicam in eorum animis, qui adhuc sani sunt, conseruare, illis verò qui iam quacumque occasione eam excusserunt, rursum inserere oportet? Huic ego quæstioni loco Apostoli *in Consultatione de recuperanda Germaniæ incolumitate*, itemq; in libello, quem *Fundam Dauidicam* inscripsi, copiosissimè respondeo: hoc loc satis fuerit, tria summa capita, quo omnis eiusmodi responsio reuocari potest, nonnihil declarari, quis nempe, *Cui* & *Quid* de Religionis causa proponere, vel minùs proponere debeat.

Ratio ordinis. — 2. — 3.

Quomodo cum Hæreticis sit agendum.

Propositio dicendorum.

Et quod ad primum quidem attinet, eius est Religionis causam suscipere, cui Deus siue Officium Episcopi aut Pastoris, siue alioquin adiumenta tribuit, quorum necessarium ad eam rem vsum esse constat, cuiusmodi est opinio prudentiæ, virtutis & beneuolentiæ. Ad fidem enim faciendam in deliberationibus præsertim plurimum interest, cuiusmodi videatur is, qui suadet aut dissuadet, & quomodo eum erga se affectum esse ij, qui audiunt, arbitrentur. Si quis ergo ab ijs, qui Hæreticos sectantur, pro viro prudente, bono, beneque erga ipsos affecto habeatur: non magna negotio ad Veritatem eos conuertet (nisi magnitudo metus, voluptatis,

Quis debeat Religionis negotium agere.

Qui habet officium vel Auctoritatem.

Auctoritas in quibus consistat.

cupiditatis aliorumque affectuum omnem quantęcumque auctoritati aditum præcluserit) tametsi non vsque eo magni ponderis argumenta in medium afferat, sicut ægros sæpe non tam medicamenta, quàm opinio de Medico sanat. *Nihil magis prodest ægris* (ait Seneca) *quàm ab eo curari, à quo volunt: temerariis remediis graues morbi curantur.* Itaque Vlissem Hecuba apud Euripidem etiam minùs efficacibus argumentis, tantùm quia valeat auctoritate, facilè quicquid velit, Græcis persuasurum existimat.

Auctoritas quãtas ad persuadendam vires habeat.

Τὸ γ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
Πείσει. λόγος γὰρ ἔκτ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.
Auctoritas quamuis male dixerit tua
Vincet: quia ab obscuris & à celebribus
Idem profectus sermo non idem valet.

Quæ res Catholico Prudentiæ opinionẽ apud Hæreticos conciliet.
1 Si sit multum versatus in sacris literis.
2. Si libros Hæreticorum multum legerit.

Ac Prudentem quidem eum arbitrantur Hęreticorum discipuli, qui multum in sacris literis versatus sit, & quicquid dicit, quamuis in confesso positum minimeque controuersum, compluribus Scripturæ locis promptè demonstret. Ipsi enim sapientiæ summam in hoc collocare didicerunt, si quis in Lege Domini dies ac noctes meditetur, quod Ios. 1. scriptum sciant: *Non recedat volumen legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Et Psal. 18. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præbens paruulis.* Neque verò quicquam in eo peccarent, si non modò Scripturas legere, sed simul etiam *Paruuli* esse, hoc est, se tamquam paruulos & pueros exhibere, & Sacerdotes, velut Patres suos, interrogare, Legisq; sensum discere ab ijs vellent, quemadmodum *Deut.* 17. *Malach.* 2. alijsque locis multis facere iubemur. Prudentiæ quoque opinionem faciliùs tenet, si quis libros Hæresiarcharum, quos ipsi Doctores sequuntur tritos habeat, & Scripturæ quæ citat loca eorum verbis interpretetur. nam tutiùs ei credunt, neque tam facilè ne labantur, metuunt, si suos quoque Magistros eodẽ modo Scripturę verba intelligere nec diuersum sentire videant. Atque hæc causa est, cur Apostolus Paulus *Act.* 17. Athenis cum Philosophis disputans, citandis Arati Poëtæ verbis opinionem prudentiæ colligere studuerit, quod summam apud eos Poëtarum auctoritatem esse sciret, vsque adeò vt ipsi quoque Plato & Aristoteles in grauissimis quibusque disputationibus non aliter Poëtas, quàm

quam nos S. Biblia, ad testimonium citare consueuerint. Sed etiam ijs plus prudentiæ esse putant Hæreticorum asseclæ, quos cum suæ opinionis aut sectæ hominibus multum conuersatos cognouerint, quod verisimile non sit, hos, quid ipsi reuera sentiant, quibusq; sententiæ suæ argumentis vtantur, ignorare, ac perinde, vt multis solemne esse queruntur, rumori multa falsa ipsis affingenti vel calumnianti fidem habere. Prudentem quoq; iudicant, quem eodem morbi genere & ipsum aliquando laborasse, siue, in eadem, qua ipsi, sententia fuisse sciunt. Nam *qui numquam ipse amauit* (ait Plautus) *ægrè amantis ingenium inspicit.* Quamuis autem eosdem velut perfugas ac Religionum Desultores, siue, vt ipsis appellare placet, *Apostatas* malè oderint, non tamen eo id faciunt, quin eos prudentissimos omnisq; rei intelligentissimos existiment, sed quod viros minimè bonos esse, ac sui alicuius emolumenti causa simulare, aliterq;, quam sentiant, de religione loqui suspicentur. qui si opinionẽ virtutis & candoris consequantur eo, quo mox aperiam, modo, dubium non est, quin magna eorum apud Hæreticos futura sit auctoritas. Sed etiam illius Prudentiam satis spectatam putant, quem de morbi, quo tenentur, causa ac natura ita disserentem audiunt, vt ex notis ac signis ab eo impressis eo teneri se sentiant, aut saltem suspicentur, quemadmodum χαρακτηρισμοὶ Morales, hoc est, hominum vitijs præditorum descriptiones, quæ illorum dicta ac facta ex vitijs profluentia persequũtur, non tantum in faciliorem vitiorum cognitionem homines inducunt, dum velut eorum effigiem verbis depictam exhibent, sed etiam instar speculi sunt, in quo is, qui alioquin quocumq; vitio se laborare nescit (quod plerumq; hominibus accidit non tantum ob Philautian siue nimium sui amorem & æstimationem, sed etiam quia regulam officij ac vitiorum naturam non satis perspectam habent) primo statim adspectu eius vitij imaginem ac figuram in se recognoscat. Præterquam verò quod auctori & artifici suo prudentiæ ac scientiæ opinionem eiusmodi Characteres seu Notationes pariunt, tum haud scio sit ne res vlla, quæ momenti plus habeat ad persuadendum ægro, vt medicinam auersari nolit. *Initium enim salutis est notitia peccati, cum qui peccare se nescit, corrigi non velit. Itaq; deprehendat se quisq; oportet, antequam emendet. multi etiam vitijs gloriantur, suaq; mala virtutum loco numerant,* ac propterea de remedio numquam cogitant, atq; adeo oblatum aspernantur ac repudiant. Quapropter in corporis quoq; morbis ij periculosiores habentur, qui stuporem sensuum

3. Si multum cum Hæreticis conuersatus fuerit.

4. Si & ipse aliquando in eadẽ Hæresi fuerit.

5. Si naturam & ingenium Hæreticorum verbis probè describere nouerit

Cur plerique vitia sua ignorẽt.

Plutarch.

suum coniūctum habent, tamquam veternus, capitis dolor, comitialis morbus, & febres quę ardoris vehementia mentem alienant. Itaq; *hoc optare Medici solent, vt aut omnino quis morbo careat, aut cum ægrotat, ne sese ægrotare nesciat.*

CAPVT XCVIII.

ATQVE huiusmodi ferè sunt illa, quæ faciunt, vt quis apud eos, qui in errore vel Hæresi versantur, Prudens & controuersorum Religionis capitū bene gnarus habeatur. quæ qui non habet, tametsi *profunda Dei* omniaq; Theologiæ Scholasticæ mysteria nouerit, & quæcumq; dicit, sanctissimorum, qui vnquam fuerunt, Patrum auctoritate confirmet, vix effugiet, quin velut rudis & imperitus ab ijs contẽnatur & exsibiletur. Verūtamen vt omnia ista possideat, nisi pro viro bono simul habeatur, cuius candori & integritati se tutò fidere posse existiment, non modò nihil ipsi quantacumq; Prudentiæ opinio ad fidem faciendam proderit, sed vltrò etiam impedimenti non parum afferet. Prudentia enim sine virtute ac probitate nihil est nisi astutia seu calliditas, qua cognita concidere fidem necesse est. Omnes enim ei credere quicquam dubitant, quem & fallere posse ob solertiam, & ob improbitatem, siue probitatis orbationem aut inopiam non nolle suspicantur. Ad hanc porrò Virtutis opinionem eorum animis, quibus quis persuasum velit, inserendam caput est, vt simulationis pellatur etiam minima suspicio. Itaq; Zeli ac feruoris in Catholica religione ei necessaria est opinio, vt ex omni eius vita, dictis ac factis planū fiat, ipsū seriò, sedulò bonaq; fide Catholicū esse, neq; vel temporis animiq; causa, vel quod id amplū sibi ad gloriam, aut rei suæ conducibile putet, Religionẽ suam tueri. quapropter fidẽ minori negotio faciūt homines sęculares, illustri præsertim vel equestri loco nati, quib⁹ nullam, cur Pōtificis & Episcoporū gratiam aucupentur, causam esse apparet. Ecclesiasticos siue clericos suspicio est, quasi qui vinculo sacramenti, quod Pontifici dixerunt, cōstricti teneantur, aut alioquin siue altiores dignitates aucupẽtur, siue suis emolumentis metuant, id quod sentiūt verūq; iudicāt, verbis prōptū nō habere: qua suspicione non mediocriter auctoritas eorum diluitur, vt fere nihil habeant ponderis apud eos, quos alioquin vel sola prudẽtiæ ac doctrinæ opinione commouere & ad verū reducere potuissent. quare si quis est, qui vtilitati eorū consulere studet, is Ambitionem missam faciat

Quare Catholico viri boni opinio inter Hæreticos sit necessaria.

Quomodo Catholicus efficiat, vt pro viro bono ab Hæreticis habeatur.

Sæcularibus plus credunt Hæretici, quàm Ecclesiasticis.

Ambitio & Auaritia fugien-

oportet

oportet ſeque quantũ poteſt, atq; adeo plusquam poteſt, à cuiuscũq; priuati commodi ſuſpicione remouere debet, Pauli exẽplũ ſecutus, qui quantũ etiam verbis laborarit, vt ne ex religionis negotio, vtilitatẽ ſuam cõparare quæſtũq; facerè videretur, vel hic locus 2. Cor. 12 documẽto eſſe poteſt. *Ecce tertio paratus ſum venire ad vos, et nõ ero grauis vobis*, id eſt, neq; terunciũ à vobis ſtipendij aut mercedis loco accipiam. *Non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos. Et libentiſsimè impendã* (ſiue ſumpt⁹ faciam) *et ſuper impendam ipſe pro animabus veſtris, licet plus vos diligens min⁹ diligar. Sed eſto: ego vos nõ grauaui, ſed cũ eſſẽ aſtut⁹, dolo vos cepi* (id eſt: Forſan obijciet quis mihi: Tu quidẽ Paule ipſe nihil mercedis accepiſti, ſed diſcipuli tui aſtutè hoc cõſilio ad nos miſſi acceperũt.) *Nũquid per aliquẽ eorũ, quos miſi ad vos, circũueni vos? Rogaui Titũ, et miſi cũ* illo fratrem, qui abſtinentiæ & integritatis Tito teſtis eſſet. *Numquid Titus vos circũuenit? nonne eodẽ ſpiritu ipſe et ego ambulauimus? nonne ijsdẽ veſtigijs? Olim putatis quod excuſemus nos apud vos?* id eſt putatis quod hæc abſtinentia mea propterea tam accuratè apud vos commemorẽ, vt tanto pluris me faciatis, ſiue quod inanẽ gloriolam aucuper? *Corã Deo in Chriſto loquimur: omnia autem chariſſimi propter ædificationẽ veſtram:* id eſt, Deus mihi eſt teſtis, quod ſuſpicionẽ cuiuscũq; priuati commodi non alio conſilio tanta ui amoliri à me ſtudeã, niſi vt tanto plus vobis prodeſſe poſſim.

da ijs, qui lucrari Hæreticos volunt.

Paulꝰ abſtinẽtia opinionem affectat.

Propter ædificationem aliorũ.

Et quoniam qui ab Eccleſiæ ſignis receſſerunt, aut in hoſtibus Hæreticorum & ſchiſmaticorum caſtris nati & educati ſunt, hoc conſuetudine faciunt, vt ſi quid à Catholicis, maximè Põtificibus, Epiſcopis & Sacerdotibus contra officij religionem committitur, id perinuidioſè nobis exprobrent (eo enim ſatis defenſi ſibi videntur, cum veriſimile non putent, eos à Veritatis ſpiritu dirigi, quos opera Diaboli carnisque perpetrare conſtat) magnam res cautionem ac prouiſionẽ requirit, ne dum quis pudentem ſe filium præbere ac verenda patrũ operire ſtudet, impudẽtiç ſuſpicionẽ in ſe commoueat, et non modò viri boni opinionẽ tam neceſſariã in perpetuũ amittat, ſed etiam exploratam et in aperto poſitam veritatẽ negando criminũ intẽtatorũ famam augeat, οὐ γὰρ ἐςὶ τάμφανῆ κρύπτειν, *Manifeſta enim celare nõ licet*, vt ait Sophocles, quoniam monẽte Plinio, *rẽ manifeſtã inficiari augentis crimẽ eſt, non diluentis.* Quare optimũ factu videtur, vt qui viri boni opinionẽ inter illos, quib⁹ perſuadere cogitat, tenere cupit, quæ manifeſta ſunt hominũ noſtrorũ crimina nõ modo nõ tueatur ac defendat (culpam enim, præſertim deprehẽſam, tueri velle, culpa altera eſt, neq; vllum peccatũ quantumuis graue et atrox non ſceleratius defenditur, quam committitur)

Quare Hæretici Catholicis Sacerdotibꝰ vitia ſua exprobare gaudeant.

Manifeſta Catholicorum peccata inter Hæreticos nec neganda, nec defendenda.

committitur) verum etiam neq; neget, multò autem minùs referendæ gratiæ causa similia aut maiora ipsis aut eorum Doctoribus obijciat (nam ea res contentioni materiam suppeditat & lites alit) sed ingenuè, quæ verè scit obijci, fateatur, neq; in ijs detestandis pænaq; scandalorum auctoribus ominanda cuiquam priores relinquat (sic enim tamquam indignationis stomachiq; adiutor & iusti doloris socius plus auctoritatis in ceteris habebit eritq; multò εὐπειθέστερος siue efficacior in suadendo) simul tamen cur propter Prælatorum ac Sacerdotum peccata ipsis contradicere & obedientiam negare nolit, ex sacris literis causam afferat, quam si vel ipsis Hæresiarchis placere demonstret, maius operæ prætium fecerit. Verbi gratia scribit Lutherus in epistola ad Laurentium Castnerum Tomo 6. Germ. Ienen. fol. 350. *Ingredimini vos cum Ecclesia, ac sinite Sacerdotes facere, quæ faciunt. Si Euangelium annunciant, id audite: de operibus eorum nolite curare, modò verbum Dei prædicent, sicut Christus præcipit Matth. 23. Super cathedram Moysis sederunt: omnia ergò quæcumq; dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.*] Hæc Lutherus. Quamuis autem hanc rationem sequentibus, id est, manifesta Sacerdotum vitia propter ædificationem Ecclesiæ apertè fatentibus & improbantibus vsuuenire ferè soleat, vt malam à Sacerdotibus gratiam ineant, & odium inde offensionemq; eorum excipiant (cum deesse non soleant, qui ambitione aut auaritia ducti ipsi etiam Theologiæ ad adulandum vitijs Prælatorum operas indicant, quæq; vsus vitæ quotidianæ ad generandas & roborandas Hæreses ac scismata vires vel maximas habere docet, ea saluo officio, ac sine salutis periculo perpetrari delicatis auribus, & iam olim non nisi quæ placeant, audire assuetis instillent) nihilominus quia tantum ea res ad tenendam viri boni opinionem momentum habet, vt si prudentia simul præditus beneq; erga illos, qui in Hæresi vel schismate versantur, affectus existimetur, summam eius apud illos auctoritatem esse oporteat: magno animo iniusta hominum odia falsamq; infamiam contemnere, & Ecclesiæ potius vtilitati, quàm delicatorum quorundam libidini seruire præoptabit. *Aequissimo animo* (ait Seneca) *ad honestum consilium per mediam Infamiam tendendum est. nemo pluris facit virtutem, nemo illi magis est deuotus, quàm qui boni viri* (sic etiam boni Catholici) *famam perdidit, ne conscientiam* & plurium ad Ecclesiam Catholicam reducendorum occasionem *perderet. Opinionem & famam eo loco habeamus, tanquam quæ non ducere, sed sequi debeat. Sæpe iustus esse debes*

Sed fatenda & detestanda.

Simul tamen officium eorum à vitio discernendum.

Prælatorum vitia propter ædificationem confitentes odio habentur.

Pseudotheologi Prælatorum assentatores.

Dum quis bene de rep. mereatur, famam debet contemnere.

cum

cum Infamia : & tunc si ſapis, mala opinio bene parta delectat. Conſcientiæ ſatisfiat: nihil in famam laboremus: ſequatur vel mala, dum bene mereamur. Exhibeamus nos (*ait Apoſtolus 2.Cor.7.*) ſicut Dei miniſtros in multa patientia, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, tanquam ſeductores, & veraces. Si enim hominibus placeremus (*Galat. 1.*) Chriſti ſerui non eſſemus.] Quam porro cauendum ſit, ne dum quis nimis reuerentem Sacerdotum ſe probare ſtudet, vitia eorum tueatur, & ſic omnem apud eos, quibus alioquin plurimum prodeſſe potuiſſet, fidem & auctoritaté amittat, vel ex his S.Gregorij Magni verbis diſci poteſt, in tertia parte Paſtora.admonit. 18. *Admonendi ſunt ſubditi, ne plusquam expedit, ſint ſubiecti, ne cum ſtudent, plusquam neceſſe eſt, hominibus ſubijci, compellantur vitia eorum venerari.*

Deo & Eccleſiæ ſeruiendum eſt etiam per Infamiam.

CAPVT XCIX.

Qua res Catholico Beneuolentiæ opinionem inter Hæreticos conciliet.

1. Si eis ſit ſimilis aut æqualis.

BEneuolentiæ denique ſiue propenſæ erga homines eiusmodi voluntatis opinionem cum alijs, tum his etiam modis, quos enumerabo, ſibi qui volet ac poterit, acquiret. Primum ſi ſit ijs ſiue fortunæ muneribus, vt natalibus ac dignitate vel gradu, ſiue ſtudiorum vitæque genere ſimilis. nam eiusmodi qui ſunt, mutuè inter ipſos amare ſe ſolent, niſi alter alterius vel quæſtui, vel gloriæ obſtare videatur. Itaq; Principes cum Principibus ipſos potiùs, quam per Miniſtros ſuos agere par eſt.

Οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα, τὺς κρέιασυς λόγυς
Πικρῶς φέρυσι τῶν ἐλαστόνων ὕπο.
Nam magna qui ſpirant, animo æquo non ferunt.
Meliora conſultari ab inferioribus.

Pares autem à paribus & ſimiles à ſimilibus ſe moneri ac doceri æquioribus animis ferre ſolent, quippe quos ipſa ſimilitudo inter ſe Conciliet amicosque faciat.

Scilicet ingenijs aliqua eſt concordia iunctis,
Et ſeruat ſtudij fœdera quisque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat,

velut Naſo canit, & quemadmodum eſt apud Menandrum :

Τε Γέρων

Γέρων γέροντι γλῶσσαν ἡδίστην ἔχει,
Παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνὴ,
Νοσῶντ', ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
Ληφθεὶς, ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ
Seni ſenilis lingua iucundiſsima eſt,
Puerq; puero, & mulier apta mulieri.
Et ægro : preſſus infortunio.
Lenimen eſt homini malis exercito.

2. Si Religionis negotium ſeriò cum eis agat.

Deinde hoc etiam plurimum eo valet, vt quis alteri amicus ac beneuolens videatur, ſi ſeriò cum ipſo de Religione, velut re momenti longè maximi arbitris remotis agat. Natura enim affert, vt eis faueamus, qui ſe commoda noſtra curare ac pro nobis ſolicitudinem gerere oſtendunt, quamuis eam ipſi ſuperuacuam iudicemus, aut etiam contemnamus. nemo enim tam parum ſe ipſum amat, quin ſe vel ab ijs, quorum nihili facit iudicium, atq; adeò ab ipſis belluis, amari gaudeat. Iam verò Religionis cauſa eiuſmodi eſt, nihil vt ſit, in quo maius hominis aut commodum aut detrimentum verſetur. Itaq; parum ſe nobis atq; amici officiũ probat, qui copijs & opibus nos affluere, proſperè valere, principum ac procerũ gratiam florere, omninoq; ex animi ſententia rem gerere exoptat, vt autem quam ipſi ſolam veram ac ſalutarem credi Religionem ſimul amplectamur, nihil curare ſe oſtendit. nam aut ſatis intelligentiæ habere non videtur, vt tanta de re nobiſcum agat, aut Religionem ipſam non magni pendit, quod eſt Athei ſiue Impij, minimeq; boni viri, aut certè nos contemnit, quos tanto bono vt afficiat, nihil penſi ducit.

Amamus enim eos, qui pro nobis ſunt ſoliciti.

Non eſt amicus qui parũ curat, quid de animabus noſtris fiat.

Aut eſt imperitus, vel Atheus.

CAPVT C.

3. Siquis eis, cũ poteſt, aſſentiatur & obſecundet.

PRæterea ſi quis eorum, qui ab Hæreticis decepti ſunt, ſententiam quampiam, vbi commodè fieri poteſt, probat, eiq; ſe accedere ac ſubſcribere ſignificat, paulatim in gratiam eorum irrepit, & obſequio mitigatos ſibi ad alia viciſſim concedenda obligat. Verecundiam enim reſiſtendi facit indulgentia ac placabilitas, quemadmodum etiam remiſſiùs imperantibus meliùs pareri ſolet. nam natura contumax eſt humanus animus & in contrarium atq; arduum nitens. Sequiturque faciliùs, quam ducitur.

Dextera præcipuè capit Indulgentia mentes,

ait Poeta: cuius rei veritatis in ijs maximè, qui atra bili perciti sunt, siue insania laborant, perspici potest. quibus nisi rei, quam animo conceperũt, imaginẽ relinquas, & vltrò velut adiutor eorũ stultitiæ accedas, odio eis eris, neq; vmquam quicquam persuadebis. Sic de quodam insano narrant, cùm propterea, quòd sibi mortuus videretur, in tenebrosũ se cubiculum abdidisset, omnẽq; cibum aspernaretur, vt deinde vidit alteram, qui de industria ibidem se abdiderat, seq; similiter mortuum prædicabat cibis vesci, ipsum quoq; manus ad cibũ porrexisse, eoq; modo seruatum esse. De quo doli genere præclarè Aeschylus:

Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.
A fraude iusta non alienus est Deus.

Sic enim S. Paulum quoq; legimus *Act. 23.* vt Pharisæorum sibi beneuolentiam conciliaret, in concilio proclamasse: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.* Quo autem euentu, sic ibidem describitur: *Cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos. Et surgentes quidam Pharisæorum pugnabant dicentes: nihil mali inueniemus in homine isto. quid si Spiritus locutus est ei aut angelus?* Eiusmodi pio & ad alterius vtilitatem accommodato dolo sæpe vti est occasio, cum aũt sententia, quam probant illi, quibuscum agimus, est Indifferens, & adhuc *dubio pendet examine litis*, aut non nisi opinione nobis contradicit, aut alijs Hæreticis, aut ipsis deniq; Doctoribus, quos illi sequuntur, aduersatur. Verbi gratia. Non constat certò, vtrum B. Virgo cum originali peccato nata fuerit, an verò Deus illam, vt Christo dignius cubiculum prępararet, ab omni labe intactam seruarit: de qua quæstione in vtramq; sententiam etiam inter Catholicos disputatur, sic tamẽ vt nemo diuersam opinionẽ pro Hæretica condẽnare audeat. Si ergò sic ferente occasione Lutheranus quispiam B. Virginẽ peccato originis caruisse neget, integrũ erit Catholico assensum ei suum profiteri, tametsi diuersam sententiam multò probabiliorem putet. Hac prudentia vti nos Paulus iubet Rom. 12. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.* Et Rom. 14. *Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum*, siue, vt est in Græco, διαλογισμῶν, id est, *Disputationum* quasi dicat, non esse cum eo pugnaciter disputandum, cui ex infirmitate siue ignoratione id quod natura est indifferens pertinacius tuenti possis concedere.

Apostoli Pauli obsequendi artificium.

Quando quis Hæreticis obsecundare possit.

Cum sententia est Indifferens.

Tamquam si quis vsq; eò sit in fide infirmus, vt carne suilla vesci nefas putet : tu qui tam firmus es, vt nullus sit cibus, quo non rectè te vesci censeas, non debes velle multum cum eo disputare, eiusque errorem acriùs oppugnare, sed ei potiùs similis effici, hoc est, similiter suilla abstinere, partaq; per hoc obsequiũ hominis beneuolentia, eum tecum *assumere*, paulatimq; in perfectionem Veritatis cognitionem & in Fidei plenitudinem inducere. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur* (ait ibidem Apostolus) *iam non secundum charitatem ambulas. Itaq, quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus. Tu fidem habes ?* (siue, credis, suilla vesci peccatum non esse ?) *penes temetipsum habe coram Deo. Ceterùm noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus est mortuus. nam malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum verò est non manducare carnem & non bibere vinum, in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur aut infirmatur.*] Sic Rom. 15. *Debemus* (inquit) *nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non* NOBIS *placere. Vnusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem*] Hac autem *συμπεριφορίᾳ* & obsequio apud Infirmos vti fas est, non apud eos, qui malitia potiùs, quàm errore ducuntur. tales enim assumi nec possunt nec volunt, sed ipsi potiùs eos, qui se aliquantum submittunt & accommodant, secum rapere conantur, aut velut suo robore prostratis insultant, locumq; faciunt illi verbo Mimi.

Infirmos assumere quid sit.

Interdum hominibus placẽdum est.

Infirmis scilicet nõ robustæ malitiæ hominibus

Bis peccat, qui peccanti obsequium commodat.

Igitur S. Paulus, qui se gloriatur *Iudæis factum vt Iudæum, vt Iudæos lucrifaceret* (seruando scilicet Legem Moysis ceremonialem, vt ijs persuaderet, se nequaquam improbare circumcisionem, quamuis reuera nihil eam prodesse passim contenderet, adeò vt Galat. 5. scripserit: *si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*) is ergò Paulus, qui Act. 16. Timotheũ circumcidit, vt Iudæis infirmis gratum faceret, vt Hierosolymis tempore Concilij Titum circumcideret, adduci non potuit (Galat. 2.) *propter falsos fratres, qui subintroierant explorare libertatẽ Pauli ac discipulorum eius, vt eos in seruitutem redigerent*, hoc est, qui malitiosè id agebant, vt si Titum Paulus circũcidisset, eum Concilii auctoritate sic facere coactũ iactarent, eoq; velut argumẽto ad persuadẽdam circũcisionis necessitatem vterentur. *His* (ait Apostolus) *neq, ad horam cessi subiectione*, id est, non obsecutus fui eorum voluntati, ne me sibi obnoxium

xium ac subiectum existimaret, mihique si me submisissem vt ipsos in humeros velut assumerem ac portarem, non aliter insultarent, quàm si potestate vel auctoritate sua me pessum traxissent. Erat quippe adulta & robusta hominũ eiusmodi malitia, quos obsequium nõ mitigat neque placatos & æquos reddit. Sed Infirmorum, qui non nisi errore ducuntur, alia est ratio. Horum humilitati consentire, siue, ignorantia eorum aliquid remittere & indulgere, eosque obsequio mitigatos secum assumere & ad veritatis cognitionem perfectiorem adducere debent, qui charitatis legi bona fide parere volunt.

Similis in hominum eiusmodi gratiam irrependi occasio Catholicis datur, cùm ipsi aliquid affirmant, quod opinione tantùm, non reuera, nostræ sententię aduersatur. Vt enim supra dixi, vix vllus est Fidei articulus, in quo non aliter à nobis credi, quàm credimus, suspicentur: id agẽtibus eorum Doctoribus, vt calumnia nos obruant, suisque exosos reddant. Si ergo, verbi gratia, dicat quispiam, hominem gratis iustificari per fidem sine operibus, quod Christũ mori superfluum fuerit futurum, si operibus nostris iustitia & salus acquiri potuisset: item; impiũ esse & Idololatria non vacare, Adorationis cultum sanctis deferre, & ad illorum potiùs, quàm ad Dei auxilium confugere: etiamnum; blasphemum esse, dicere, Verbum Dei imperfectum esse aut superuacuum, & Ecclesię maiorem esse, quàm Sacrarum literarum auctoritatem. Hæc ergo & his similia si quis ex diuersa parte in medium afferat, cùm à nobis ita credi perperam persuasum habeat, non mediocriter Catholicus ei se gratum reddet, qui se vehementer assentiri, ac similium opinionum portenta multo etiam plùs, quàm alter, detestari significauerit. in quibus etiam nihil mentietur, sicut neque Paulus Act. 23. quicquam mentitus fuit, cùm obiurgatus, quod Pontifici maledixisset, respondit: *Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Longè aliter tamen hæc sua verba Paulus, ac Iudæi, intellexit, nimirum se non habere istum pro Pontifice, cùm Christus Leuiticum Sacerdotium iam antiquarit & aboleuerit. tamquam diceret: Si sciuissem hũc esse Pontificem, peccassem sanè cùm ei maledixi, quippe qui Lege id sancitum esse non ignorem. Atqui nesciui eum esse Pontificem, id est, *sciui, eum non esse Pontificem.* Itaque religioni mihi non duxi, ei maledicere. Auditores, quod hæc aliouorsum acciperẽt, purgationem istam sibi probari passi sunt, odij quidem erga Paulum partem non minimam, vt apparet, deposuerunt.

Cum oppugnãt opinionẽ, quam nostram esse falso putant, obsequi eis possumus.

Exempla nonnulla.

S. Pauli Iesuitica Æquiuocatio.

SED etiam cum quam ſententiam probant ijdem homines, quæ vel aliorum Hæreticorum opinioni contradicat, vel ijs ipſis, quorum auctoritati multum tribuunt; aduerſatur, operę pretium fuerit nos toto capite ipſis annuere, & ad ipſorum iudicium promptiſſimè ſententiam noſtram adſcribere. Et priùs quidem nullam habet obſcuritatem. nec enim plus Hæretici nobiſcum quàm cum alijs Hæreticis diſſident. *Tam virulento odio in nos crepant Lutherani, vt citius illis pax cum Turcis futura ſit, & cum Papiſtis fraternitas, quàm nobiſcum induciæ*, ait Caluinus in ſecunda defenſ. aduerſus weſtphalum.

Cum aliorum Hæreticorũ ſententiam oppugnant, obſecundare eis licet.

Alterius hæc eſt ratio. Nullus Hæreſiarcha ſibi perpetuò conſtat, quin ſubinde ſentẽtiam mutet aliterq; atq; aliter doceat, ſicut de nouiſsimorũ dierum ſeductoribus 2. Tim. 3. vaticinabundus Paulus, eos *ſemper diſcere, ſed non niſi in peius proficere, & numquam ad ſcientiam Veritatis peruenire* ſcribit: quod etiam Salomo Prouerb. 5. ſignificat, cum meretricis ſiue Hæreſios *vagos* dicit eſſe *greſſus & ininueſtigabiles*: & Prou. 11. *Impius facit opus inſtabile.* Et Prouerb. 12. *Labium Veritatis firmum erit in perpetuum, & vſque ad momentum lingua mendacij.* Sic enim eſt in Hebræo, vt ſenſus ſit, eum, qui Verum dicit, perpetuò ſibi conſtare, ſed qui falſum docet, paulo momẽto huc illuc impelli. Eccleſ. 27. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol: ſtultus autẽ ſicut Luna mutatur.* Et Petrus 2. Pet. 3. cùm difficiles intellectu Scripturas deprauari ſcribit, *ab indoctis & inſtabilibus*. nam *Indocti* ſiue *Indociles* ſunt, qui tantùm in peius ꝑficiunt, & numq̃ ad Veritatis ſcientiam perueniunt: *Inſtabiles* autẽ, qui ſemper diſcunt, neq; vmq̃ in ſententia perſeuerant. Ob q̃ ſtultorum ſiue indoctorũ inſtabilitatẽ ſiue in conſtantiam eos idẽ Apoſtolus 2. Pet. 2. *nebulas turbinibus* ſeu ventis *exagitatas*, Iudas ſimiliter, *ſidera* vocat *errãtia, nubes, quæ à ventis circumferũtur, & fluctus feri* ſiue inquieti *maris*. Ipſe deniq; Lutherus in hoc Pſal. 118 loco: *Iniquos odio habui, & legẽ tuam dilexi*, vocem *Iniquos* Germanicè reddidit *Spiritus ventoſos & inſtabiles*, ac gloſſæ loco adiecit: *qui ſubinde noui aliquid excogitant & ſuſcipiunt, velut cõſuetudine faciũt Hæretici.*

Hæretici mutabiles & inconſtantes.

Cuius rei exemplo nobis eſt Auguſtana Confeſſio, in qua non modò priusq̃ in in lucem venit, ſed etiam poſtq̃ fuit edita, ſemper mutatum & noui aliquid excogitatum fuit. Sic enim ſcribit Philippus Melanchthon ad Lutherum ex Comitijs Auguſtanis in hiſtoria Chytræi de Auguſtana Confeſsione fol. 33. *In Apologia* ſiue Confeſsione *quotidie multa mutamus Locum de Votis, quia exilior iuſto erat, exemi, ſuppoſita alia Diſputatione eadẽ de re paulò vberiore. Nũc de poteſtate clauiũ etiã diſputo. Vellẽ percurriſſes articulos fidei, in quibus ſi nihil putaueris eſſe vitij*

Auguſtana Cõfeſſionis mutabilitas.

reliqua

reliqua (nempe de mutatione Abusuum) *vtrumque tractabimus. Subinde enim Mutandi sunt* (articuli fidei) *atq; ad occasiones accommodandi.*] Et in epist. ad Camerarium fol. 138. *Heri quod faustum felixque sit, exhibita est Cæsari Confeßio nostra & lecta publicè. Attentio dicitur Principum maior opinione fuisse. Ego mutabam & refingebam pleraque quotidie, plura etiam mutaturus, si nostri συμφράδμονες permisissent.* In Colloquio Herzbergensi inter Saxoniæ Electoris & Principis Anhaltini Theologos habito fol. 91. & 92. fatentur Saxonici, Confessionem Augustanam *minimùm duodecies mutatam* seu deprauatam fuisse, cumque in Principum Protestantium conuentu Naumburgensi varia proferrentur Confessionis exemplaria, nullum fuisse, cui cum alio conueniret, Philippum denique Hassiæ Landgrauium singularis exempli dolo, vt ceteri Principes Confessioni in Caluinistarum gratiam deprauatę subscriberent, perfecisse. Similiter in Altemburgensi Colloquio wittenbergenses Theologi fol. 463. sic de Ienensibus Theologis conqueruntur: *Non defuerunt ex istorum sodalitio, qui Confeßionē Augustanam per contumeliam* Cothurnum *vocarint, ne quid intentatū relinquerent, quod ad extenuandam illius au&toritatē spectare videretur. Hæc cōmemorare nos hoc loco compulit Collocutorū temeritas, qui sine fronte affirmare ausi sunt, Lutherum crebram Confeßionis emendationem vehementer improbasse. Sciant autem constare nobis, quod & hortante & approbante atque mandante Luthero ea sit à Philippo recognita & denuò prelis Typographicis submissa.*] Et fol. 494. primam Confessionis editionem wittenbergæ adornatam nequaquam cū Archetypo Augustę scripto & exhibito congruere, & in Apologia tum simul edita, *quantum sex quaterniones complecterētur*, mutatum fuisse confitentur. Verumtamen mutationes non in rebus, sed tantùm in verbis & orationis forma contigisse volunt. Ienenses contra fol. 521. *Hoc* (inquiunt) *aliter se habere, multi boni & pij viri cum dolore queruntur. Nam locus de Libero Arbitrio in veteri exemplari planior & rectior est, quàm in recentiori. Deinde in loco de Cena Domini expuncta sunt illa verba:* Et improbant secus docentes.] Iidem Ienenses fol. 402. *Philippus* (inquiunt) *adeò subinde mutare ausus est Confeßionem vt tandem Sacramētariis fenestrā aperuerit, qua in eam irrepserūt.* Et fol. 404. *Quā sæpe Philippus suos libros variarit & mutarit, nimis verè Pōtificij nobis obijciunt.*] Lutheri stabilitas & constantia quanta fuerit, hinc cognosci potest. Anno 1522. librum edidit aduersus Henricum Angliæ Regem Latinū & Germanicum In Germanico, *Liberum cuique & indifferens facit, Transubstantiationē credere, quippe qua in re fides piclitari nequeat*, velut Lector inueniet Tomo

Melanchthon putat articulos fidei subinde mutandos.

Lutheranorum de mutatione Augustana Cōfessionis testimonium.

Melanchthonis instabilitas.

Item Lutheri.

Tomo 6. Germ. witteb. fol. 442. & Tomo 2. Ger. Ienensi fol. 154. b. §. 2. Sed in Latino, qui tamen eodem mense ex eadem officina Typographica prodijt: *Decerno,* inquit, *impium & blasphemum esse, si quis Panem transubstantiari dicat. Anathema sit, qui aliter dixerit, aut saltem apicem vel vnum iota mutauerit.* qua de re videatur Tomus 2. latin. Ien. fol. 559. a. §. 2. & Tom. 2. lat. witt. fol. 342. §. 4. Sed etiam doceri ex libris eiusdē potest, ipsum opinionem de transubstantione minimùm duodecies mutasse, ac modò affirmasse, modò negasse: quēadmodū etiam de Cōmunione sub vtraq; specie cccxc. vicibus sententiam variauit, velut à summo viro *D. Ioanne Pistorio.* τῷ μακαρίτῃ peculiari volumine demonstratum est. Causam porrò huius tantę suę mutabilitatis Lutherus ipse hanc reddit, quod perpetuò de veritate fidei ac doctrinæ suę dubitet, neq; quicquam certi & explorati habeat. In Colloquijs Islebiensibus de Christo fol. 96. §. 3. *Sæpe sic mecum cogito: propemodum nescio, quo loco sim, & vtrum veritatem doceam, nec ne.* Ibidem de Diabolo fol. 260. & 261. *Satan non potest, quin omnes fidei articulos in cordibus nostris oppugnet Me ipsum sæpißimè tam vehementer aggreditur, tantaque cum vi opprimit, vt Christi penitus obliuiscar, aut certè longè alium, quàm est, esse putem. In summa, nemo est ex nobis* (Lutheranis) *qui non sæpe sæpius falsis atque erroneis cogitationibus & opinionibus à Diabolo fascinetur.*] Ibidem de Lege & Euangelio fol. 154 & 162. b. §. 4. *Non est homo in toto Orbe, qui rectè sciat Euangelium à Lege discernere. Nos quidem* Euangelici *videmur nobis scire, sed adhuc ab eo longè absumus. Solus Spiritus sanctus hanc artem nouit. Quin ipse Christus in monte Olimeti id nesciuit, tametsi Spiritus sanctus in specie columbæ corporaliter super caput ipsius resedisset : itaque necesse habuit, vt Angelus de cœlo Euangelium ipsum doceret.*] In Colloquijs Latinis Francofort. tomo 2. titulo de Christianis fol. 159. *Proh dolor, multi temerè gloriantur, se doctrinam de remißione peccatorum perdidicisse, & ego Martinus Lutherus miserrimus imbecillitate fidei meæ vix vllam consolationem ex morte & resurrectione Christi, & ex articulo de remißione peccatorum capere possum: bonis autem corporalibus à Deo acceptis, vt edere panem & bibere ceruisiam optimè possum: apprehendere autem thesaurum suum necessarium, scilicet remißionis peccatorum gratuitæ, hoc non vult sequi. Igitur falsi Christiani, qui se EVANGELICOS iactitant, nullum fructum edentes. sicut nubes nullam pluuiam edentes.*] Ex quibus verbis apparet, quàm constans fuerit & certus Lutherus in doctrina de gratuita peccatorum remissione, id est, *de Iustificatione,* quem articulum totius Lutheranismi fundamentum & caput esse ex ipsius Lutheri & Caluini testimonijs supra cap. III. constitit. Ipse nimirum non credidit,

Causa inconstantia Lutheri.

Quia nesciuit, vtrum Veritatem doceret.

Quia sæpe eum Diabolus fascinauit.

Quia nesciuit discrimen Legis & Euangelij.

Quia non credidit peccata gratis siue sola fide remitti.

dit, quod alios docebat, velut etiam *Ioannes Mathesius* in XII. concione de Lutheri vita fol. 147. fidem facit, cùm ita scribit : *M. Antonius Musa Prædicans Rochlizensis narrauit mihi , se quodam tempore admodum dolenter Luthero questum esse , quod ipsemet ea credere non posset, quæ alijs prædicabat. Tum respondisse Lutherum : Benedictus ergò sit Deus, cum idem aliis , quod mihi , vsu venit. adhuc enim mihi soli id vsu venire credidi.*] Et rursum Lutherus ipse in prima concione , quam in funere Electoris habuit Tomo 1. Germ. witt. parte 2. fol. 109. b. §. 2. & Tomo 2. Ienen. fol. 500. §. 1. *Elector Saxoniæ Augustæ in Comitiis longè amariorem , quàm nunc , mortem passus est ; quam eandem NOS* (Lutherus & Collegæ) *adhuc QVOTIDIE sine intermißione à propria nostra conscientia & à Diabolo pati cogimur , vt verè gloriari poßimus, sicut Paulus* 1. Cor. 15. Quotidie morior.] Id est, inquietam conscientiam habeo, perpetuò dubito, propemodum nescio, vtrum veritatem an mendacium doceam. Sic enim verba illa , *Quotidie morior* , interpretatur *in Colloquiis Isleb. de Spiritu sancto fol.* 125. a. *§. 6. & de Christo fol. 96. §. 3. & de tentationibus fidei* fol. 288. b. Et propter hanc perpetuam & quotidianam Lutheri de præcipuis doctrinæ suæ capitibus dubitationem atque incertitudinem , veritatem scripsisse credendus est Tomo 3. Germ. witt. comment. Psalm. 118. fol. 304. b. §. 3. *Possunt sanè me Lutheranum vocare , sed propemodum in eo mihi faciunt iniuriam.*] Atque huiusmodi solent esse Hæreticorum Doctores ac Magistri.

Quia ipse non credidit, quæ alios docebat.

Quia quotidie de doctrina sua dubitauit.

CAPVT CII.

QVI verò eorundem *errore traducti* (velut 2. Pet. 3. legimus) *excidunt à firmitate fidei & à vera cognitione Christi*, quique inter Hæreticos à pueris educantur, cùm etiam ipsi in sensu suo abundare cupiant, quippe quibus Doctores sui de controuersijs Religionis iudicandi ius ac Pontificium tribuerint , in non paucis articulis à Doctorum ac Magistrorum suorum sententia discedunt, quod semper Hæreticorum discipulis solenne fuisse , vel ex Tertulliano discamus licet, in cuius de Præscriptionibus aduersus Hæreticos libro hæc verba legimus : *Omnes tument , omnes scientiam pollicentur , nec suis Præsidibus reuerentiam nouerunt. Mentior , si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur , quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam & origi-*

Hæreticorũ discipuli etiã ipsi mutabiles & inconstantes.

nis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni (idem Lutheranis, quod Luthero) *de arbitrio suo fidem innouare. Denique inspectæ Hæreses omnes in multis cum au-ctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres vagantur.*] Eadem porrò omnia in Lutheri discipulis deprehendi præterquam quod ex rebus ipsis inter omnes constat, ipse quoque Lutherus testatur. *Tomo 2. Germ. witt. in exhortatione ad orationem aduersus Turcos fol. 471. & Tomo 7. Ienen. fol. 446.* Quàm detestabiles Sectę & Hæreses sub Euangelij nomine & prætextu emerserunt, quia per Euangelium siue per doctrinam meam à Pontificis excommunicatione & Tyrannide libe-tati quicquid liberet, docere ac facere securè poterant, qui priùs, cùm Papa adhuc Deus ac Dominus esset, nec mutire ausi fuissent.] *Et Tomo 1. Germ. wittemb. parte 2. in comment. Ephes. 6. fol. 99. §. 4.* Videmus proh dolor, quam Deus puniat contemptum verbi & ingratitudinem delicatorum spirituum, qui præmaturè docti euaserunt, vt omnia Sectis & Hæresibus plena sint, ac Verbo rursum penitus perdito Diabolus Ecclesias & Prædicantium Cathedras regat.] *Ibidem in cōment. 1. Cor. 15. fol. 56. b.* Euangelici nostri Nobiles, ciues atque adeò ipsi etiam rustici, qui aliàs simplices & sinceri solebant esse, Thrasonicè iactare audent, sibi iam nullo Prędicatore opus esse, quia futuræ vitę rationem habent nullam, sed sicut credunt, ita viuunt.] *Et in præfatione Catechismi Maioris*: Delicatuli isti vel vnica tantum lectione assequuntur, vt repente omnes vbique Doctores post se relinquant, sciantque omnia, nec vllius Doctrina aut institutione opus ampliùs habeant.] *Rursum Tomo 1. Germ. witt. in comment. Galat. 3. fol. 195 §. 3. vel 183. b. §. 3.* Profectò malè metuo, ne post obitum meum hæc Doctrina (*de sola fide iustificante*) rursum intereat.] *In Colloquiis Isleb. de verbo Dei fol. 8. b. §. 2.* Mea opinio est, ingentes tenebras secuturas esse post hanc Euangelij lucem, ita vt Euangelium publicè de suggestu ampliùs non audiatur. *In hoc vaticinio* (ait Aurifaber Electoris Saxoniæ Cōcionator Aulicus, in præfatione Conuiuialium Colloquiorum Lutheri) *verissimus Propheta fuit Lutherus. Eius enim Doctrina adeò iam contempta est, adeoque homines eius fastidium & satietas cepit in Germania, vt vix nominis eius mentionem audire sustineant, neque multum curent testimonia, quæ ex libris ac Tomis eius ad confirmandos fidei articulos petantur.*] Hic verisimile est Aurifabrum de illis loqui, qui Lutheri libros legerunt, eiusque mutabilitatem & inconstantiam legendo deprehen-

Sectæ ex Lutheri doctrina nata.

Quia omnes volunt sapere.

Nec Doctore opus sibi esse putant.

Qui Lutherani Lutheri libros fastidiant.

prehenderunt, cuiusmodi ferè sunt Lutherani Theologi, itemque quibus Lutheri verba à Catholicis citata in libris ipsius perquirere libuit. Vtrique enim inueniunt, cur non magni sanè facere Lutherum debeant. Ceteri verò adeò Lutherum non auersantur, vt se discipulos eius palàm fateri minime eos pudeat. Sic enim omnes Imperij Electores, Principes atque Ordines Concordiæ libro subscripti in Latino exemplari fol. 702. aut 713. loquuntur: *Cùm D. Lutherus haud dubiè præcipuus earum Ecclesiarum, quæ Augustanam Confessionem amplexæ sunt, DOCTOR fuerit (Cuius tota Doctrina, tanquam Compendio, summatim in Augustana Confessione comprehensa & Imperatori Carolo V. exhibita est) profectò Confessionis illius propria, vera, & genuina sententia, ex nullius hominis libellis rectiùs & certiùs, quàm ex Didacticis & Polemicis Lutheri scriptis hauriri potest.*] Et fol. 699. vel 710. itemque in Præfatione: *Lutherus vir præstantissimus summaque pietate præditus: singularibus & excellentissimis Spiritus sancti donis illuminatus Heros, qui etiam futura in Spiritu præuidit: vt vel à rebus ipsis, vel à phrasibus, quæ in Doctrina eius habentur, præcipuè in Augustana Confessione, Apologia, Smalcaldicis articulis & vtroque Catechismo, ne latum quidem vnguem discedere, sed summa concordia in ea perseuerare decreuimus, controuersias omnes ad hanc veram NORMAM & declarationem purioris Doctrinæ examinaturi.*] Sed non minus Caluinus Lutheri se discipulum fatetur in libro de reformandæ Ecclesiæ ratione pag. 463. *Qui nobis hoc tempore facem prætulerunt, vt à diuturno errore in viam rediremus, sanctos Dei Prophetas fuisse, testatur præclarum, quod ediderunt, & verè diuinum ministerij sui specimen.*] Et de libero arbitrio aduersus Pighium pag. 192. *Res ipsa clamat, non Lutherum locutum, sed Deum per os eius fulminasse.*] Et in defensione secunda aduersus Westphalum pag. 11. *Cùm à tenebris Papatus emergere incipiens, tenui sanè Doctrinæ gustu concepto legerem apud Lutherum, nihil in Sacramentis à Zuinglio & Oecolampadio reliquum fieri præter nudas & inanes figuras, ita me ab ipsorum libris alienatum fuisse fateor, vt diu à lectione abstinuerim.* Bezæ de eodem Luthero elogia supra cap. XI. retuli.

Lutherani Principes se fatētur Lutheri discipulos.

Prouocant ad eius libros.

Habent eum pro Propheta.

Eius libros pro Norma fidei.

Caluinus se Lutheri discipulū fatetur, tanquā Propheta.

Caluinus priùs fuit Lutheranus, quàm Zuinglianus.

Quoniam igitur tanta Lutheri fuit instabilitas, cuius auctoritatem etiam Caluinistæ maximi se facere affirmant, Lutherani verò libros eius pro fidei suæ norma ac regula habere profitentur: cumque Protestantium nullus tam malè de se existimet, quin se quoque scripturas intelligere, & aliquid in ijs, quod vel Magistros

ſuos fugerit, inuenire poſſe credat: omnino neceſſe eſt ſæpe vſu venire, vt ſententiam tueatur, quam Lutherus aut quicumque Lutheranorum Doctor alicubi impugnarit. Exempli cauſa, dicet quiſpiam, Christianos Decalogi præceptis teneri: Fidem ſine operibus eſſe mortuam, nec iuſtificare: bona opera iuſtificatorum, quę Spiritus Christi in ipſis operatur, non eſſe peccata: nos per Dei gratiam bona opera facere, ac legem ſeruare poſſe: hominem habere liberum arbitrium, debilitatum quidem, non tamen exſtinctum, neque Dauidem à Deo coactum fuiſſe, vt adulterium faceret & Vrian occideret, neq; quemquam à Deo aut prædeſtinatione eius ad malum cogi, neque omnia abſoluta neceſſitate euenire: Animas defunctorum non dormire aut iacere inſenſibiles, vt vbi ſint neſciant, ſed ſtatim à morte præmio aut pœna affici: Caſtitatem poſſe ſeruari ab ijs, qui velint, id eſt, qui neceſſarijs eam ad rem adiumentis vtantur, cum alioquin omnes, quorum coniuges aut diuturno morbo decumbunt, aut multum temporis domo abſunt, adulteros eſſe oporteat: Coniugium non eſſe omnibus neceſſarium: illicitum eſſe plures ſimul vxores habere: impium ac blaſphemum eſſe, ſi quis Christum de ſalute ſua dubitaſſe ac pœne deſperaſſe, neque Legis & Euangelij diſcrimen ſciuiſſe dicat. Hæc ergò atq; his ſimilia Lutheranus quiſpiam dicet, Lutherum ijs repugnantia ſenſiſſe ac docuiſſe neſciens. Eam ineundæ gratiæ occaſionem Catholicus non ſolùm oblatam arripiet, ſed vltrò etiam aucupabitur, eiuſmodi ſermonibus iniectis, quibus anſa Lutherano detur, vt quid de talibus ſentiat, exponat. Præterquam enim quod Lutheranus ſententiam ſuam à Catholico probari gaudens meliùs erga ipſum afficietur animo (idem enim videtur velle, qui idem ſentit ac iudicat: *amamus autē, qui eadem volunt, quæ nos*, ait Ariſtoteles) tum etiam ad combibendam in pluribus alijs fidei capitibus Veritatem imbuetur ac pręparabitur, Lutherum quidem certè, cùm eum poſtmodo aliter docuiſſe compererit, ſuſpectum habebit.

Lutherani ſæpe imprudentes Lutheri ſentētiam oppugnāt.

Tum Catholico datur occaſio eis obſecundandi.

Beneuolentiæ quoq; opinionem apud homines eiuſmodi nanciſcitur, qui fortè commotis & ex ira aſperiùs in Catholicorum ſententiam dicentibus non contradicit (videtur enim eos nolle offendere aut moleſtia afficere, quod eſt amantis) item, qui contentionem declinat, ſeque diſputatione ſuperſedere malle pręſe fert, præcipuè cum arbitri ſiue ſpectatores auditoreſque adſunt. Moleſtum eſt enim à quoquam vinci, moleſtius autem alijs teſtibus vinci, ijs præſertim, quorum quis exiſtimationem reueretur, de quibus Ariſtoteles agit 2. Rhet.

4. Si commotis nō contradicat & diſputationem ſubterfugiat.

Rhet. 6. vbi *Pudoris* naturam exsequitur. Contrà *iucundum est vincere* (velut idem Philosophus 1. Rhet. libro cap. 10. docet) *non ijs modo, qui Victoriæ cupidi sunt, sed omnibus. nam qui vincit, hoc ipso sibi superior videtur : quod quidem omnes homines cupiunt aut remissius, aut vehementius.* Qui ergò non contradicit, neque disputat, is tametsi non vincitur (nam vinci nisi certans non potest) alterum tamen se superiorem quodammodo confiteri videtur, cum quo pugnam, siue ab eo vinci, siue offendere apud illum metuens, detrectat. Quare nisi quis effundendæ omnis hominum istiusmodi gratiæ & conflandi sibi odij periculum adire velit, omnem alijs præsentibus disputationem subterfugiet, cum pudor deprehensus amitti, in eiusq; locum Impudentia, stomachus & contumelia succedere ferè soleat. Quod si tamen iam imprudentiùs, vt fit, in Disputationem ingressus sit, in prima resistere, antequam robur accipiat, conabitur. Alit enim se ipsam contentio, demissos altiùs tenet. Facilius est se à certamine abstinere, quam abducere : quemadmodum & Salomo nos monet Prou. 17. *Aperit aquas, principium contentionis : & antequam misceatur lis, desere.* Sic enim Hæbræa nobis reddunt, vt sit hic sensus: Quemadmodum aquæ data effluendi libertate difficulter cohibentur : sic Disputatio cæpta non facilè retinetur, vt satius sit litem statim in principio deserere.

Alij modi, quibus beneuolentiæ conciliatur opinio, ex Aristotelis 2. *Rhet.* 2. vbi de Ira, & 2. *Rhet.* 4. vbi de Amoris causis disputat, peti possunt.

Cui Deus auctoritatem tribuit, tenetur Hæreticis conuertendis operã nauare.

Cui ergò tantum Auctoritatis pondus obtigit, vt ab ijs, qui in errore versantur, pro viro prudente, & bono, & erga ipsos beneuolo habeatur, is, si fides est Aristoteli, iam illud habet, quo nihil ferè ad persuadendum est præsentius & efficacius : adeoq; saluo officio suam illis operam negare, siue, vt Christus loquitur, acceptũ talentũ defodere ac sepelire nequaquam potest. Quid enim habet, quod non acceperit? si autem à Deo accepit, quare velut seruus ille piger & inutilis non committat numularijs pecuniam domini, vt is veniens suũ recipiat cũ vsura? Cum Hæreticus tamquam *vir iniquus lactet amicum suũ vt ducat eum per viam non non bonam* (Prou. 16.) quid ni ipse velut vir *iustus excogitet de domo impij, vt detrahat impios à malo?* Prou. 21.

CAPVT CIIII.

Quis non debeat cum Hæreticis de Religione agere.

Atq; ex istis simul Quis à tractanda cum Ecclesię inimicis aut rebellibus Religionis causa abstinere se debeat, intelligitur, cui nimirum

mirum Deus neq; officium Pastoris, neq; auctoritatem, qualem diximus, tribuit: quemadmodum nec oues gregis aut lupos persequi, aut eas oues, quæ à grege aberrantes in auia & infesta lupis loca delatæ sunt, reuocatum ire, sed Pastoribus Canibusq; relinquere omnem curam debent, velut ex tertia Parabola posterius apparebit.

Cui debeat in causa religionis opera nauari.

Docentes Hæresin non vniusmodi.

Iam vt intelligatur *Cui* ab ijs, quorum id munus esse dixi, in Religionis negotio nauari opera debeat aut non debeat, primùm omnium discernere à Doctoribus discipulos oportet. Ac *Doctores* quidem *Hæresion* non vniusmodi esse solent. Alij enim, quæ ipsi inuenerunt, docent, siue vt abducant discipulos post se, & in carne glorientur, habeanturque pro Legis Doctoribus(*Act.* 20, 30. *Galat.* 6, 13. & 1. *Tim.* 1.) siue, vt fictis verbis negotientur & qęstum faciant de ijs, qui eos sequuntur, suoque ventri & commodo seruiant (2. *Pet.* 2. *Rom.* 16. & 1. *Tim.* 6. nam *qui se dilatat, iurgia concitat,* siue, vt est in Hebræo, *Latus animo,* hoc est, interpretibus 70. *Vir inexplebilis excitabit litem,* Prou. 28.) siue, vt ex contentionis studio resistant, nec acquiescant, sed ægrè faciant molestiq; sint Pastoribus, eosq; non gaudentes, sed gementes pro ouibus peruigilare cogant (1. *Tim.* 6. 2. *Tim.* 2. *Hebr.* 13.) Alij, quæ non ipsi inuenerunt, sed aliunde accepta alijs porrò tradunt & prædicant; idque vel simpliciter ac sine dolo & fraude, cùm à parentibus ac præceptoribus sic eruditi & ab obeundũ præconis munus instituti fuerunt, neq; opificiũ aliud, quo se, vxores liberosq; alere queant, didicerunt, & Catholicorum libros non ferè legerunt, neque quid illi reuera credant, explorato habent cognitum : vel ex malitia & dolo malo, cùm vel ex Catholica Ecclesia exierunt siue propter luxuriam, vt ferè fit, siue lucri studio, siue vt Catholicis, præcipuè Pontifici & Episcopis ægrè faciant: vel Hæreticis parentibus nati & inter Hæreticos educati, primum simpliciter bonoq; animo Religionem siue Hæresin suam docent, postea legendis Catholicorum atq; etiam suorum Magistrorum libris vel ex vsu & familiaritate Catholicorum doctrinæ ac fidei suæ falsitatem deprehendunt, sed id apertè ferre non audent, ne vel gratia patronorum & amicorum excidant, vel vltrò sibi, vxoribus ac liberis egestatẽ accersant, cùm opificium, quo alantur, nullum didicerint, concionari verò siue lingua quæstum facere ipsis tamquam Laicis & vxoratis seu maritis de hinc nequaquam permissum iri intelligant. Discipuli porrò siue Auditores eorum alij sunt Magistratus alij *parentes*

Hæreticorum discipuli.

tes quos Sallustius vocat, siue subditi, vt cum vulgo loquar, quod hoc libro sæpius facere me profiteor. nec enim mihi res tantas agenti de verborum dilectu curæ esse debet. Illi, Magistratus videlicet, Doctoribus suis quid, ab ipsis doceri velint, pręcipiunt, & ad eandem subditos religionem adstringunt, idq; ferè non tam quod eam ipsi præter ceteras opiniones veram ac diuinam credant, quàm quod sibi lucrosam esse intelligant, aut certè quod Catholicorũ Religionem fide parentibus, magistris & amicis eam calumniantibus habita, & ingentis cuiusdam Catholicorum erga ipsos odij imagine concepta detestentur. Vtriq; mille, si opus sit, sacramenta iurent, se neq; lucrum ex religione quicquam morari, neq; odio vlli seruire, sed vni gloriæ diuinæ ac populorum suorum saluti consulere. Cuius rei exempla nihil ex Historiis arcessi attinet, cum ipse Spiritus sanctus non pauca nobis in scripturis suppeditet. Tamquam *Isai. 29.* vbi de GENTIBVS sermo est *montem Sion,* siue Ecclesiam, *oppugnantibus, ore tamen suo ad Deum appropinquantibus, quorum Principes & Prophetæ visiones videre,* siue Sacras literas intelligere *se putant,* hoc est, non de Gentibus prorsus infidelibus (nam illæ non appropinquant ad Deũ, neq; visiones videre sibi videntur, sed *longè sunt* velut supra *cap. XC. docui,* & *caligine operiuntur* Isai. 60, 2.) neque etiam de Iudęis (nam in hos non conueniunt verba hæc : *multitudo omnium Gentium, quæ dimicauerunt contra Sion* : quamuis odium Ecclesiæ, ignorantiam Scripturarum & hypocrisin siue prætextum veræ religionis cum Gentibus illis communia habeant, & in quantũ Hypocritę sunt, etiam ipsi hoc loco describuntur) sed agitur de Gentibus ac populis Hæreticis, qui se Christianos quidẽ profitentur, sed oderunt Sion & Ecclesiam oppugnant: ac prius quidẽ Principibus simulationẽ Zeli gloriæ diuinæ & dissimulationẽ odij atque auaritiæ sic exprobrat : *Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis CONSILIVM, quorum sunt in tenebris opera & dicunt : Quis videt nos & quis nouit nos? Peruersa est hæc cogitatio vestra.*] Cuiusmodi sit Principum istorum Consilium, ex Psalmis discimus, exserendi nimirum odii erga Pontificem, Christi Vicarium & vnctum Domini, & erga vniuersum Clerum, tum etiam explenda auaritiæ suæ occupatis bonis Deo sacratis ac deuotis Psalm. 2. *Adstiterunt Reges, & Principes conuenerunt in vnum,* siue, CONSILIVM inierunt *aduersus Dominum & Christum eius, dicentes : Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* id est, ne apprehendamus disciplinam Episcoporũ, neq; erudiamus

Magistratus Hæretici cuiusmodi.

Optimates Hæretici simulatores et dissimulatores.

Consiliũ Optimatium Hæreticorum.

Nolunt obedire Deo in Pastoribus loquenti.

mur ab ipsis aut intelligamus Scripturam, sicut ipsi. Psal. 82. *Ecce inimici tui, Domine, sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput* (aduersus scientiam Dei, quam labia Sacerdotum & Episcoporum custodiunt, *Malach.* 2. quibus propterea Deus arma dedit potentissima ad destruendas munitiones & CONSILIA, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, omnemq; inobedientiam eorum, qui obedire ac subiacere ipsis nolunt, vlciscendam, 2. Cor. 10. Hebr. 13.) *super populum tuum malignauerunt CONSILIVM, & cogitauerunt aduersus Sanctos* siue clericos & Monachos *tuos* in monasteriis *absconditos. Dixerunt: Venite & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltra. Omnes Principes eorum dixerunt : Hereditate possideamus sanctuarium Dei.* id est, occupemus & hereditaria nostris relinquamus bona Deo consecrata. Huiusmodi ergò Consilii dissimulationem priore loco Principibus Deus apud Isaiam exprobrat : deinceps virium debilitationem & consummationem iisdem Principibus, succisionem verò Prædicantibus ac Doctoribus eorum comminatur : *Defecit, qui præualebat* (siue, qui subditos ad religionem suam cogebat, vires amisit) *consummatus est Illusor, & succisi omnes, qui vigilabant super iniquitatem* (à quibus rapitur somnus, vt non dormiant, nisi alios supplantauerint & in errorem induxerint, Prou. 4.) *qui peccare faciebant homines in verbo,* siue, vt Lutherus Germanicè vertit, *per conciones suas, & argumentem in porta supplantabant* (id est, instituta cum Catholicis disputatione adulando Principibus & auditoribus, eosq; Disputationis iudices optando & constituendo, perficièbant, vt Victoriæ testimonium ipsis tribueretur) *& declinauerunt frustrà à iusto,* siue, sine causa ab Ecclesia discesserunt. Postremò subditis eiusmodi Illusorum siue Principum libertatem ab errore & conuersionem sic pollicetur: *In die illo audient surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt, & scient errantes Spiritu intellectum, & mussitatores discent Legem.* id est, qui priùs propter metum suorum Principum ad omnia Catholicorum argumenta obsurduerant, neq; quicquam in Scripturis rectè ac sine errore intelligebant, illi iam remoto metu à Sacerdotibus (*quorum labia custodiunt scientiam, & ex eorum ore Lex requiri* debet, Malach. 2.) verum Scripturæ sensum discere volent. Causa verò præcipua, cur *Illusores* vocentur Principes, est Auaritia. nam Auari, siue, vtilitati suæ nimis dediti, *incidunt in tentationem & laqueum Diaboli* (1. Tim. 6.) *& errant à fide,* ac rident omnes eos, velut insipientes, qui se quicquam ipsis persuasuros putant, quod vtilitate eorum

Extolluntur aduersus auctoritatem Ecclesiæ.

Fœdus faciunt de occupandis Ecclesijs & Monasterijs.

Præualent seu vi cogũt subditos.

Sunt Illusores.

Auari sunt Illusores vel Derisores.

eorum alienum ſit. Luc. 16, *Audiebant hæc omnia Phariſæi, qui erant Auari, & deridebant Ieſum.* Et tamen, quod omnibus eodẽ morbo laborantibus vſuuenit, magnopere hanc Auaritiæ ſuſpicionem amoliri à ſe cupiebant, quaſi veris victi & conſcientia prohibente Chriſti doctrinam nõ amplecterentur. Itaq; Chriſtus ad diuinũ tribunal ſic eos citat: *Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda veſtra.* Huiusmodi ergò auaros, ſimulatores, & Illuſores Principes, viribus debilitatum & conſummatum iri Deus comminatur priusquam eorũ ſubditi muſſitantes & Eccleſiæ aduerſantes Legẽ diſcant eiusq; intellectũ ſciant: quemadmodũ etiam *Pſalmus 82.* modo laudatus ſignificat, cùm quæ Principes iſtos ſors maneat, ſic prænunciat: *ſicut ignis comburit ſiluam, ita perſequêris illos, Deus: implebis facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Nimirum Egeſtas, nobilitatis peſtis & aduerſaria, illis, vt reſipiſcere velint, ſtimulos addet. quam enim pudori Principum & amplis familiis editorum grauis & oneroſa ſit Paupertas, vel hæc Euripidæi Menelaï verba declarant:

Et nolũt Auaritia dediti videri.

Principes Hæreticos Paupertas conuertit.

— ὄχλον εἰσπεσεῖν ᾐσχυνόμην
Κρύπτων ὑπ' αἰδοῦς τὰς τύχας, ὅταν δ' ἀνὴρ
Πράξῃ κακῶς ὑψηλός. εἰς ἀήθιαν
Πίπτει κακίω τοῦ πάλαι δυσδαίμονος.

— *audire turbam me putet*
Rubore cælantem infortunia. namq; vir,
Cum clarus in mala incidit, multò ægrius
Fert, quam diu qui infortunatus exſtitit.

Atque huc etiam caput *Iſaiæ XLII.* pertinet, quod Luthero quoq; teſte de Chriſto vaticinatur, deq; Fide Chriſti inter Gentes & *in Inſulis per habitatores Petræ de vertice montium,* ſiue per Romanæ Eccleſiæ ſacerdotes à Pontifice miſſos annuncianda, de pæna deniq; Hæreticorũ, qui *conuertuntur retrorſum,* & nouam religionem amplexi, perinde faciunt ac ſi *ſculptilia adorarent* (nam quaſi peccatũ ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus Idololatriæ, nolle acquieſcere, *1. Reg. 15.* Et Lutherus *Tom. 3 lat. witt. fol. 184. Comment. Pſal. 5.* hæc verba: *Cor eorũ vanũ eſt,* ait ſic verti poſſe: *Interiora eorũ peruerſitates,* quia Hæretici reuera perverſores ſunt, *inquit,* verborũ Dei, quæ Peruerſitas olim figurata eſt in omnibus Idolis ac ſculptilibus) quo accedit, quod Auaritia pleriſq; pertinacis erroris cauſa eſt, quam Paulus Idololatriam ſiue ſculptiliũ adorationẽ

Hæretici duobꝰ nominibus ſunt Idololatria.

& ſimulacrorum ſeruitutem vocat Colos. 3.& Ephes. 5. Ac nẽ quis de Iudaico populo ſermonem eſſe putet, attentionem noſtram ſic exacuit : *Quis eſt in vobis, qui audiat hoc, attendat & auſcultet FVTVRA?* Ibi ergo primum conqueritur Deus, quod ex populo ſuo, ſiue ex iis,qui Chriſti nomen præferunt,multi quamuis multa videntes & aures apertas habentes (id eſt,non ex toto infideles, ſicut ethnici ſed iam magnam fidei Chriſtianæ partem cognitam habentes) adhuc tamen ad multa Legis ſeu verbi Dei cæci ac ſurdi ſint : *Quis cæcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quẽ miſi nuncios meos, habitatores petræ, de vertice montiũ clamantes ?quis cæcus,niſi qui vanũ datꝰ eſt*(ſiue,vt eſt in 70. *qui receſſit.* hoc eſt, qui deſciuit ab Eccleſia, & ſeruit ſuis cupiditatibus) *& quis cæcus, niſi ſeruus Domini ?* id eſt,qui per baptiſmũ Chriſtianus ac Dei ſeruus factus fuerat. *Qui vides multa,nonne cuſtodies? qui apertas habes aures,nonne audies? Surdi audite, & cæci intuemini ad uidendum.*] Deinde cauſam exponit,cur populus ita cæcus & ſurdus neq; videat, neq; audiat : quia nempe laqueo iuuenum ſiue Principum (Iſai.3. *Dabo pueros. Principes eorum, & effeminati,* ſiue vt habent 70. *Illuſores Dominabuntur eis*) captiuus teneatur , hoc eſt , quia Principes metu pænæ ſubditos in errore contineant: *Dominus eũ voluit ſanctificare & magnificare Legem. Ipſe autem populus direptus & vaſtatus: laqueus iuuenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt : facti ſunt in rapinam, nec eſt, qui eruat : in direptionem , nec eſt, qui dicat , Redde.*] Hoc amplius qua pæna Principes ſimul cum populo afficiantur, declarat : *Effudit ſuper eum indignationem furoris & forte bellum, & combuſſit eum in circuitu, & non cognouit, neq; intellexit : & in uijs eius ambulare noluit.*] Poſtremò nihilominus fore vaticinatur, vt Cæci in viam, quam neſciunt, ducantur, hoc eſt, Catholicãm religionem amplectantur, quamuis magnam eius partem nondum intelligant : *Ducam cæcos in viam, quam neſciunt, & in ſemitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam : ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta,* id eſt, faciam vt illas quoq; ſententias pro veris habeant,quas alioquin prauas putarent, niſi Eccleſiæ & Epiſcopis humiliter obedirent & ſubiacerent. *Hæc faciam eis, & non derelinquam eos,*tum ſcilicet cum ipſi Principes,non tantum *in circuitu combuſti,*ſiue, leui damno affecti,ſed incendio pæne *conſummati* & *abbreuiati,* intelligentes euaſerint, quẽadmodum *Iſai 28.*docuerat: *Audite verbum Domini viri illuſores,qui dominamini ſuper populum meum : nolite illudere, quia conſumationem & abbreuiationem audiui à Domino. Putatis quidem vos habere fœdus cum morte*

Quare Hæretici non obediant Paſtoribus.
1.
Quia affectibꝰ ſuis excæcati ſunt.
2.
Quia à Principibus coguntur.
3.
Pœna Principũ & ſubditorum.
4.
Conuerſio vtrorumq;.
Principum Hæreticorum ſpeculum.

& pactum cum inferno, siue, nullo futuri iudicij metu terremini, neq; creditis vos in inferno pænas daturos: *quia Mendacium posuistis spem vestram, & mendacio protecti estis.* quicquid facitis & dicitis stilo mendaci scribarum vestrorum (*Ierem.8.*) ita defensum putatis, vt nemo quicquam possit contradicere. *Sed grando subuertet spem mendacij, & protectionem vestram aquæ inundabunt, cumq; flagellum inundans super vos venerit, eritis in conculcationem. Nam sola vexatio intellectum dabit auditui vestro.* tum scilicet, *quando coangustatum erit stratum vestrũ, ita vt alter decidat, palliumque breue vtrumque operire non poterit*, siue, cùm ita multiplicati fueritis, vt omnes ex fructibus ac reditibus vestris ali nequeatis. *Contrà videbitis Ecclesiam quamuis inundante flagello* seu persecutione *non subuerti, quia fundata est super Petram, super lapidem probatum & pretiosum, in quem qui crediderit, non confundetur.*] Tales etiam populi Iudaici Principes quondam fuisse hæc nos *Oseæ*. verba docent: *Audite domus Regis*, siue Principes & Consiliarij Regij, *quia vobis iudicium est* (siue puniemini) *quoniam Laqueus facti estis speculationi*, dum videlicet Speculatorum munus inuaditis, & subditos ad vestram religionem adigitis: *& propinatis Nazaræis vinum, & prophetis mandatis dicentes: Ne prophetetis*, Amos 2. quasi si quis hodie Protestantium Principibus dicat: clericis & Monachis qui Deo castitatem vouerunt, vxorum ducendarum auctores estis, & Pastoribus legitimè ad docendum missi silentium imponitis: *non seruatis præcepta sanctuarij mei, & ponitis custodes obseruationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis, & inducitis filios alienos, incircumcisos corde, vt sint in sanctuario meo*, Ezech. 44. id est, pertinaces Hæreticos vestra auctoritate Concionatores constituitis. *Videntibus* siue Sacerdotibus Catholicis *dicitis, Nolite videre: & Adspicientibus* siue Concionatoribus vestris *dicitis: Nolite nobis adspicere ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia: videte nobis errores: auferte à me viam tritam declinate à me semitam* (antiquam Ier. 6.) *cesset à facie nostra sanctus Israel*, Isai 30. Et propterea *Oseæ*. dicuntur *Principes Iuda facti quasi qui assumunt terminum*, siue, qui susceptis Sacerdotum partibus *transferunt terminos, diripiuntque greges & pascunt eos*, Iob. 24. Hoc autem eos propter Auaritiam fecisse, cuius tamen insimulari sese ęgerrimè ferebant, & vel conceptis verbis, se lucrũ nullũ quęrere, iusiurandum dare parati erant, hinc quoq; discimus. *Soph.1.* Et erit in tempore illo. Visitabo super Principes & super filios Regis, & scrutabor Ierusalem in Lucernis, & visitabo super viros defixas in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis; Non faciet benè Dominus &

Sunt securi nil que metunt.

Sola vexatione sua emendantur

Et perspicua Ecclesia prosperitate.

Laqueo subditos tenēt capiuos.

Vota Deo facta violare alios faciunt.

Ipsi sibi Sacerdotes ac Doctores constituunt.

Iisq; vt nouam religionē doceant, præscribūt

Sunt ferè Athei neq; Deum iusta credunt.

& non faciet malè (*id est, qui reuera non credunt Deum gerere curam rerum humanarum, neque se rationem factorum suorum reddituros*) Erit fortitudo eorum in Direptionem, & domus eorum in desertum. *Soph.3.* Principes eius in medio eius, quasi Leones rugientes, iudices eius Lupi, Prophetæ eius virj infideles. Desolatas faciam ciuitates eorum &c. Attamen timebis me, suscipies disciplinam, *siue, rursum ex errore conuerteris postquam Principes tui malo suo docti resipuerint.* Tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ (*qui superbiunt nolentes obedire Sacerdotis imperio* Deuter. 17.) & derelinquam in medio tui populum pauperem, & egenum (*siue, humilem, qui præpositis obediat & subiaceat,* Hebr. 13.) & sperabunt in nomine Domini. non facient iniquitatem, *siue, non comminiscentur falsam doctrinam* (*supra cap. XXVII.*) & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur (*siue, pasci se sinent à pastoribus*) & accubabunt (*subiacebunt Præpositis suis*) & non erit qui exterreat. *Ierem, 6.* Omnes isti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter. Verbum Domini factum est eis in opprobrium & non suscipient illud. A minore quippe vsque ad minorem omnes auaritiæ student. Quod si etiam, viuit Dominus, dixerint, & hoc falsò iurabunt.]

Sunt auari & vtilitati propriæ dediti.

Iis desolatis cõuertuntur eorũ subditi.

Sũt dissimulatores auaritiæ suæ, & nec iurantes fidem merentur.

CAPVT CIV.

An modò dicta ad Protestantium Principes pertineant.

Id non ego, sed ipsi, & doctores eorũ affirmãt.

AC tales ego si dicerem esse Protestantium principes, quales optimates Hæreticorũ ac perperam credentiũ seu fuisse, seu futuros esse iam ex Scripturis didicimus, ne illi contumeliam iure mecum expostularent, meque ad satisfactionem, siue palinodiam adigerent. Atqui non ego id dico, sed illi, quos ipsi pro Prophetis ac Doctorib. & pastorib. animarum suarum habent, quorumq; libros apud se exire suis imaginibus, aut insignijs ornatos, & priuilegijs munitos patiuntur. *Lutherus in comment. Genes.* quem librũ Philippus *Cygnæã Lutheri cantionẽ* vocat, *cap. 45. Tom. 6. lat. witt. fol. 617.* Nostri Principes emendationẽ Ecclesiarũ instituunt, sed eo prætextu spoliant, rapiunt, expilant Ecclesias, adipéq; monasteriorũ & collegiorũ rapiunt ipsi, quod quidẽ in hac bulimia Principũ vtcũq; toleramus. *Et cap. 47. fol 632. b.* Nostri Principes diripiunt & cõpilant omnia, quæ inueniunt in monasterijs & parochiis: paucissimi conferunt aliquid (*ex raptis bonis, nedũ de suo*) ad conseruationẽ ministerii, aut saltẽ ad vnũ scholasticũ sustẽtandũ. *Andreas Muscul⁹ de die Nouiss⁹ fol. 84.* Nihil nostris cordi est, quã

Lutheri Cygnæa Cãtio de Principibus Euangelicis.

Musculi de ijsdẽ Testimoniũ.

rapere capere. Proceres ac Magnates, à bonis Ecclesiasticis inceperunt (*Rapere*) neque tamen benè collocant, sed in priuatam vtilitatem conuertunt. *Smidlinus Concione tertia de planetis fol. 92.* Qui Ecclesiæ bona rapiunt, inq; priuatam vtilitatē conuertunt, ij veri demū sunt sacrilegi, quamuis Reformationem Ecclesiæ & sanctum Euangelij nomen callidè prætexant, quasi scilicet nihil aliud spectent, quàm Dei gloriam & Ecclesiæ salutem, vtque sublata Papistarum Idololatria verus Dei cultus instauretur. Sed interea Cor eorum opibus Ecclesiasticis inhiat.] Sed quod non iniuria omnes miremur, *Erasmi Alberi* Lutheri amicorum non postremi, *Pæan* siue *Hymnus*, Lutheranorum præcipuè Principum ac Magistratuum Religioni ac pietati consecratus, hodie quoque inter cæteras Euangelicorum cantiunculas Ecclesiasticas circumfertur, ac sæpius ipsis nihil repugnantibus, cùm Typographorum formis describitur, tùm passim clarissima voce occentatur, nihil vt fore putem, cur mihi succenseant, si aliquamultos eius Hymni versiculos, vtcumque latinè redditos, in Serenissimi Angliæ Regis gratiam hoc loco afferam: Ipsius enim non omninò nihil videtur interesse, quales se Lutherani Principes, quorum ille participem videri se postulat, à suis Prophetis palàm describi, ac voce subditorum suorum decantari patiantur: Agite ergo *Fauete linguis: Carmina non semel Audita Lutheranus vltrò Præco canit fidei atque mystes:*

Et Smidlini.

Et Erasmi Alberi.

Protestantium Principes eiusmodi de ipsis testimonia agnoscunt ac probant.

Euangelicorum Hymnus in laudem suorum Principum.

Se iactant Euangelicos,
Sed vsque præbent improbos.
Deus profectò luditur,
Irasci neque creditur.
Nihil est nisi nequitia,
Deglubunt præ auarita.
Deum non esse crederes,
Adeò opprimuntur pauperes.
Ecclesias diripiunt,
Nec inde lucrum sentiunt.
Fames egenos opprimit,
Et Panis illos deficit.
Opes Sacratas rapiunt,
Queis de suo nil conferunt.
Sacra inuolant clenodia,
En quid facit Auaritia.

Ars summa iam est conuiuia
Facere, & nosse flagitia.
In his eruditißimi, &
Nequitia sunt plenißimi.

Mea de Testimoniis istiusmodi sententia.

Hæc Euangelici Præcones ac Prophetæ de suis Principibus ac Magistratibus testantur. quę ipsi etiam vera esse agnoscunt ac fatentur, dum eos libros, in quibus ita describũtur, pro Fidei suæ norma ac Regula ab ipsis haberi (id quod Libri Concordiæ Præfatio de Lutheri libris facit) aut alioquin pios & Ecclesiæ vtiles sibi videri testantur. Sed enim de ipsis nihil hæc omnia moratus ego longè & sentio, & loquor honorificentiùs. Testimoniũ eis supra perhibui, Catholicam Religionẽ propter susceptas à pueris persuasiones impiam & Idololatricam eis videri, cui salua conscientia subscribere nequeant. Itaque nequaquam hoc in eis reprehendo, quod confiscatis bonis Ecclesiarum & monasteriorum, eum Dei cultum, quem ipsi ex animo, vt impium, detestantur, sublatum eunt (sic enim nisi facerent, verè impij essent) sed nec in eo quicquam ab ijs peccari iudico, quòd se sibi proximos putent, & prædam à Catholicis captam inter ipsos & Prædicantes ita partiantur, quemadmodum inter Leonem ac Vulpeculam par videtur (Sophonias enim *Principes* vocat *Leones rugientes. Pseudoprophetas* autem siue Prædicanes *viros infideles*, id est, *Vulpeculas*) vt Adipem scilicet & Carnem ipsi deuorent, Ossa Socijs relinquant. Cùm enim videant, suos Prædicantes ex nutu suo pendere, neque tam veritatis, quàm quid ipsis videatur ac probetur, rationem ducere (si quis enim v. g. Lutheranus Princeps *Vbiquitatem* probet, statim Prædicantes eandem contentiosissimè docebunt, & solidissimis Scripturæ fundamentis niti clamabunt: Sin autem Principi secus videri incipiat, etiam Prædicantes nusquam esse Vbiquitatem, & nusquam in scripturis fundamentum habere contendent) nę illi stolidissimè facerent, si sacrilegij metu Ecclesiarum fructus huic potiùs vilissimo & abiectissimo adulatorum generi diripiendos & abligurriendos darent, quàm in suam ipsorum rem converterent. Vt planiùs dicam, quod sentio, maximam Prædicantes Principibus suis iniuriam faciunt, cùm eos sacrilegij insimulant. Nam quod Papistis Ecclesiarum bona eripuerunt, etiam laudari saltem à Prædicantibus merentur. nam ex animi sententia Papistarum Religionem impiam esse, eaque Deum offendi iu-

Quid ego in Protestantibus Principibus nõ improbem?

Prædam cum suis Prædicantibus rectè diuidunt.

Prædicãtes sunt Assentatores Principum.

Iniustè Principes à Prædicantibus suis Sacrilegij incusantur.

di iudicant, siue, *bonum Zelum sed scientia destitutum habent.* Itaque non, quod ex ignorantia faciunt, reprehendi debet, sed ipsa tantùm ignorantia; quodque quid reuera Catholici credant, non ex ipsis audire velint, sed eorum hostibus ea de re fidem habeant. Vno verbo, hoc potissimùm peccant, quod, velut ait Psalmus, *nolunt intelligere, vt benè agant,* siue, in errore pertinaces manent. Quod autem *Prædicantibus* non nisi minimam opum à Papistis raptarum partem tribuunt, piè ac prudenter faciunt. *Piè* quidem, quòd homines mendacij & adulationis manifestò compertos, bonis Deo ac veritati dicatis ditari nolunt. *Prudenter* autem, quia sciunt, *quid valeat nummus, quem præbeat vsum.* Scriptum nempè est à Salomone Ecclesia. 7. *vtilior est sapientia cum diuitiis & magis prodest videntibus solem sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia.* Hoc scilicet est sapere, ad suum questum non esse incallidum. Id porrò Regibus ac Principibus inprimis conuenit, cùm velut Aristoteles supra cap. LXXXVII. nos docuit, prudentia sit virtus eorum, qui imperant, propria: quam etiam *Psalmo* 2. capescere iubentur: *Nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram*: quæ verba Rex Anglus eò etiam valere docet, vt protestantes Principes ac Magistratus *Ecclesiam Romanam desertam ac nudam relinquant, & velut Leones rugientes Carnes eius comedant* pag. 107. Ac propterea Lutherus, *capere* ait esse Lutheranorum Principum ac Regum, sicut *dare* Pontificiorum. In Colloquijs de Principibus fol. 349. b. aut 435. b. *Rex Angliæ Lutheranus est in capiendo, non in dando: quærit quod suum est: non quod Dei.* Ad cuius loci oram adscriptum est: *Bona fide Lutheranus quis?* Sed etiam cùm *Prædicantes*, imò ipse quoque Rex Iacobus in Apologia Reges ac Principes sæculares contendant esse *Angelos Dei, vnctos Domini, filios altissimi*, imò verò *Deos* (quos titulos Prędicantes non facilè sibi vindicauerint) Certè cùm ea, quæ Deo consecrata sunt Ecclesiæ bona, in fiscum suum redigunt, non nisi rem suam vindicant, adeoque sacrilegium nequaquam committunt. quis enim ad Deos sacra, ad Vnctos vncta beneficia & opulenta monasteria pertinere neget?

Quid meo iudicio Protestantium Principes peccent.

Eosdem ego iudico facere Piè,

Ac Prudenter.

Prudentis est scire quid sibi sit vtile.

Reges ac Principes debent esse Prudentes.

Hoc est, Ecclesia bona confiscare, interprete Anglia Rege.

Quos Reges Lutherus bona fide Lutheranos putet.

Magistratus sunt Dij.

Res ergò sacra eis debentur.

ATQVE

ATQVE hæc pro Principibus ac Magiſtratibus Hęreticorum aduerſus prædicantes dicta ſint, quas etſi ſupra dixi ſubditis ſuis vim afferre, vt eandem, quam ipſi, Religionem amplectantur, eiuſdemque docendæ neceſſitatem Prædicantibus imponere, neque id tàm quod ſuam Religionem veram eſſe credant, quàm quod ex eâ lucri ſpes oſtendatur, quodque Catholicam Religionem, vt impiam, oderint: operæpretium tamen fuerit cauſas eorum pertinaciç ex ijs, quç ſupra copioſiùs perſecutus fui, repetere. Ita enim non aliam Magiſtratuum, quàm ſubditorum rationem eſſe inueniemus. Vtrique enim agri partim lapidibus oppleti ac velut conſtrati, partim ſpinis ac vepribus obſiti ſunt ſimiles. Quibus auctoritas Parentum Magiſtratuum ac Pręciantium iam inde à pueris falſas opiniones de Catholicorum fide & moribus inſeuit, vt & Catholicos de ſingulis fidei articulis palàm impiam ſententiam habere, & ad eandem fraudibus ac vi diſſentientes cogere, neque in eo vllam datæ fidei rationem habere velle credant, illorum corda ſunt vndique lapidibus conſtrata, neque iactum verbi diuini ſemen, ſiue Catholicorum argumenta, recipiunt, niſi elapidata, hoc eſt, niſi auctoritas illorum, quibus ipſi credunt, debilitata & falſa illæ, quas de Fide moribuſque noſtris combiberunt, opiniones eis euulſæ fuerint.

Quare Proteſtantes Principes ac ſubditos ad ſuam Religionem cogant.

Proteſtãtes Principes ac ſubditi meo iudicio inter ſe ſunt ſimiles.

Vtrique ducũtur partim Auctoritate,

Partim Affectu v.g.

1. Voluptate ſeu delectatione animi & corporis,

Quos verò quicquid libeat, de Religione ſentire ac facere delectat, ſiue, quibus moleſtum nimis accidit, ieiunare, peccata confiteri, cilicio indui, carnibus non veſci, ſuum honorem ijs, de quorum fama maledicè detraxerint, reſtituere, omnibus denique *placitis abſtinuiſſe bonis*, neque aliter aut credere aut viuere, quàm pręcipiat Eccleſia *Columna illa ac firmamentum veritatis* (1. Tim. 3.) quamque iubeant *Præpoſiti* ſiue Epiſcopi, *qui pro nobis peruigilant & rationem de animabus noſtris reddituri ſunt, quibus* proptera *obedire, ſubiacere* ſiue intellectum & voluntatem humiliter ſubijcere, & *legem* ſiue verum ſcripturæ ſenſum *ex eorum ore requirere*, ab ijſque *ſcientia & doctrina paſci* iubemur (*Heb. 13. Malach. 2.* & *Ierem. 3*) Similiter qui cura & ſolicitudine ſęculi nimis afficiuntur, metuuntq; ſi Lutheraniſmum deferant, ne gratiam Parentum, propinquorum, amicorum ac patronorum effundant, & ambitione aut auaritia ducti, ad Catholicos migraſſe inſimulentur, ac præſidijs ad vitam agendam ſibi, vxoribus, liberiſque neceſſarijs deſtituantur, ſolicitique velut gentes quęrant: ſi Catholici fiamus, *quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* nec vel iuranti Chriſto credunt, Marci 10. *Amen dico vobis: NEMO eſt, qui reliquerit domum, aut Fratres aut Sorores, aut Patrem, aut*

2. Cura ſeculi, ſiue Metu,

Matrem

Matrem, aut filios aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam. Quæ verba illam Tertulliani vocem mihi extorquent: *O felices nos quorum causa Deus iurat: ô miseros, si nec iuranti Deo credimus!* Postremò quos fallacia diuitiarum, *laqueus* ille *ac tentatio Diaboli* (1. Tim. 6.) captiuos tenet, vt vel ex vsuris, circumscriptionibus, aut quouis alio iniusto lucro ditescere (quemadmodum Lutheranos & Caluinistas plerosque omnes ipsi eorum Prophetæ facere testantur, quorum verba capite primo retuli) vel quæ siue ipsi, siue Parentes iniquè pepererunt bona (quod Principibus protestantibus, qui Ecclesias ac Monasteria confiscarunt, vsu venit) omninò retinere cupiant, atque etiam aliquid amplius lucraturos sperent: Huiusmodi ergo omnes nihil aliud sunt, quàm spinetum, siue ager sentibus, spinis ac veprsibus vndique obsitus, quem vtili aliqua fruge compleri frustra desideres. Semen enim verbi diuini, siue argumenta Catholicorum omnia à Spinis eiusmodi suffocari, ac sine fructu effici, Christus ipse *Matth. 13.* docet; à quo aliam etiam eorum, qui veritate priuati sunt, distinctionem, *Matth.* 7. discimus, vt alij scilicet sint Canes, alij Porci. *Canes* sunt, qui propter iram, odium, inuidiam, aut etiam propter ventrem, Ecclesiæ doctrinam oppugnant, & Pastoribus oblatrant, siue *Prædicantes* malitiosi, de quibus Paulus Philipp. 3. *Videte Canes, videte malos operarios, inimicos Crucis Christi, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt.* Porci sunt, quicumque amore rerum temporalium, siue gloriæ, siue quæstus, siue licentiæ Carnalis, seu cuiuscumque demum rei excœcantur, vt veritatem, aut non cognoscant, aut cognitam non amplectantur. Nam omnia huius mundi bona sunt velut *stercora*, si cum vera Religione comparentur, quæ *triticum* est, ex quo panis vitæ confectus ab Episcopis Dei, dispensatoribus familiæ Dei distribuitur. Itaque qui *Porci* non sunt, sed familiares ac Domestici Dei, *omnia arbitrantur vt stercora propter eminentem scientiam Christi*, velut *Philipp. 3.* ait Apostolus. Qui autem huiusmodi stercora relinquere nolunt, vt DEUM audiant, & ipsius verbum suscipiant, ij verè *Porci* sunt, quales erant *Principes* illi Iohan. 12. *Et ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur. dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm Dei*, nihilque curarunt illud Isai. 51. *Nolite timere opprobria hominum & blasphemias eorum ne metuatis.* Itemque

3. Fallacia diuitiarum, siue cupiditas tuendi, aut spes faciendi lucri.

Hæretici alij Canes.

Alij Porci, amantes stercora.

Principes Iudæorum erant Porci.

Et ij, qui ad magnam Cenā inuitati venire noluerunt.

excuſatores illi οἱ συμπεριφερόμενοι ἢ παραιτοῦντες τὴν κλῆσιν, *Luc. 14.* qui ad Cenam magnam inuitati propterea non venerunt, quod alius villam emiſſet eamque viſum abiret, alius boues mercatus eſſet, eorumque periculum facere cuperet, alius denique vxorem duxiſſet eique operam dandam putaret: quos omnes Chriſtus *indignos* fuiſſe ait, qui vocarentur *Matth. 14.* Tales *Porci* quoque erant *Phariſæi*

Et Phariſai auari.

illi *Luc. 16.* qui, *quòd eſſent auari, Ieſum* eiuſque monita *deridebant.* Et

Et diuites ac fortunati.

diuites ac fortunati illi de quibus Iob. 21. *Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos, qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Putares videre te Porcum in fimeto requieſcentem, neque vlla ſolicitudine affectum: quales eſſe diſcipulos ſuos Lutherus teſtatur, verbis hiſce ſupra cap.

Lutherus ſuos Euangelicos teſtatur eſſe Porcos.

LXIV. laudatis: *Futuræ vitæ rationem habent nullam, ſed ſicut credunt, ita viuunt. Sunt & manent Porci: Credunt, ſicut Porci, & ſicut Porci moriuntur.* Vnde diſcimus, porcinam ſiue Suillam fidem eſſe, nullam futuræ vitę rationem ducere. Atqui hoc *Lutherus* inprimis ſuis diſcipu-

Quia Porcinā eius doctrinam amplectuntur.

lis inculcat, velut ſupra *cap. V.* ex his eius verbis conſtitit: *Papiſtæ Chriſtum non niſi pro iudice habent. Hoc Chriſtiani* ſiue *Lutherani non faciunt, Cùm ſciant infideles tantùm iudicatum iri à Chriſto. Hoc diſcamus & BENE NOTEMVS, ne mortem & extremum iudicium metuamus. Cum ergò in mentem tibi venit Chriſti, velut Iudicis, qui te iuſſurus ſit reddere rationem villicationis tuæ, tum pro explorato habeas, eum non Chriſtum, ſed ipſiſſimum*

Lutherus mallet eſſe Porcus, quàm Papiſta.

eſſe Diabolum. Atque hanc etiam ob cauſam, quia ſcilicet *Papiſtæ* de futura vita cogitant, metuuntque extremum iudicium, fatetur *Lutherus, ſi vel Iudæus eſſet* & à *Porcis* abhorreret, *potiùs tamen Porcum ſe futurum, quàm Papiſtam*, Tom. 5. Germ. witt. *de Chriſto Iudæo* fol. 434. b. §. 3. *Porcus enim* (ait idem eodem tomo, *de Iudæis.* fol. 505. a. §. 3. *Recu-*

Quia Porcus nec Deum, nec Diabolum metuit.

bat in fimeto ſuo velut in culcita, quieſcit ſecurè, ſuauiſſimè ſtertit, ac neque Diabolum, neque, iratum Deum pertimeſcit, & vſque eò ſine omni ſolicitudine viuit, vt ne quidem de furfuribus cogitet. Quòd ſi quis eum ex cubili ſuo excitet, aberit non longè, quin grunniat. Vno verbo, vitam viuit omnium ſecuriſſimam & ſuauiſſimam.] Ergò ſecuritas & futuræ Vitę ſiue extremi iudicij contemptus, prima eſt cauſa, cur ſuas Oues *Lutherus Porcos* eſſe dicat. Aliam idem cauſam hanc affert, quòd oleto ac ſtercore vſque adeo capiantur, ſed cuiuſmodi ſit oletum illud, non ſatis conſtanter docet. Aliàs enim

Lutherus oletū ſuum à Prin

doctrinam ſuam, aliàs libertatem Carnis & externa bona, maximè Eccleſiaſtica, *Lutheranorum* porcorum oletum ſiue deli-

cias

cias vocat. In Coloquijs Isleb. *de Principibus* fol. 441. b. §. 6. *Elector Saxo eiusque consiliarij tamdiu me prement, donec me concacauero, quo facto ipsi oletum meum adorabunt ac pro odoribus habebunt.* Atque hæc videtur causa, cur Ciuitates Lutheranas appellet *Ciuitates mendaceas*, siue *Stercoreas* Tom. 7. Germ. Ienens. *de Oratione Antiturcica* fol. 446. b. quia nempè merdam siue oletum, hoc est stercoream, impuram, spurcam, fœtidam, verèque Porcis dignam Lutheri doctrinam amplectunrur. quemadmodum & Tom. 1. German. wittemb. *de summæ Præceptorum Dei* fol. 125. a. §. 2. vel Tom. 2. Ienen. fol. 499. b. §. 3. Scribit, *merdam* Lutheranorum *fidei perpetuò annexam esse, vt simul cum ea excernatur.* Tomo. 2. Germ. Ienens. *de vtraque specie.* fol. 103. a. §. 3. & Tom. 7. witt. fol. 362. b. §. 3. *Res Deo & hominibus perinuisa est, quod nostrum Christianismum à rebus externis incohamus, & verum atque internum prætermittimus. Volumus nos huiusmodi rebus Euangelicos probare, quòd sub vtraque specie communicamus, imagines demolimur, Carnes voramus, nihil ieiunamus nihil oramus, & similibus. Sed fidem & charitatem* NEMO *vult tenere, quæ tamen sola sunt necessaria. Sed est hæc Diaboli fascinatio, qui tali modo eò ducit homines, vt à Papa deficiant, nec tamen ad Christum perueniant, & ita neque Christiani, neque Papistæ fiant.* Quamuis autem vniuersè dicat, NEMINEM esse Lutheranum, qui non talem Porcum se præbeat, tamen aliis locis nominatim Principes ac Magistratus Euangelicos, siue Porcos, siue Canes esse dicit. Verbi gratia Tom. 5. Germ. Ienens. *in comment. Matth.* 7. fol. 433. b. & Tomo 9. Germ. wittemb. fol. 82. *Habent à nobis* (Euangelici Principes ac Magistratus) *libertatem à Papæ Tyrannide, prætereà exteriora bona*, siue Ecclesiarum spolia. *Nunc autem Nos* (Prędicantes) *fame enectos cuperent. Age igitur quia aliter non possumus, huiusmodi Serpentes, Canes & Porcos circa nos toleremus, &c. Nos habemus illos pro Canibus & Porcis, & denunciamus illis, ne spem sibi faciant, quicquam ex Euangelio se se habituros. Interea per nos quantum velint, legant licet & audiant, seque pro Euangelicis venditent.* Si quis Papista tali conuitio Lutheranos, præsertim Principes afficeret, non mediocriter ei credo irascerentur, & malum dare cuperent: quamuis se diceret exemplo Apostoli facere, qui *Cretenses* pro *malis bestiis* propterea habuerit, *quod eorum proprius Propheta id eis testimonium perhibuisset.* quid ni ergò Luthero similiter credamus, quem Lutherani *in libro Concordiæ*, & *Caluinus* ac *Beza* locis supra *cap.* XI. & CII. citatis, suum Prophetam ac Pastorem fatentur, cuius

cipibus quoque adorari ait.

Et à Ciuitatibus stercoreis.

Lutherana Fides merdā perpetuò annexam habet.

Character Euangelicorum hominum.

Fascinantur. à Diabolo.

Lutherus Euāgelicos Principes testatur esse Porcos & Canes.

Id nos Catholici meritò possemus credere.

Sed malumus honori Principum consulere.

etiam libros auctoritate sua Principes ipsi sępius typis describi ac subinde vulgari patiuntur? Nihilominus nos Catholici Lutherum, vt aliàs quasi perpetuò ita & hoc loco meritum esse, potius credimus, & honorem Lutheranorum à tali contumelia vindicare parati sumus. Id porrò sic faciemus, si eos quamuis rerum friuolarum & bonorum caducorum, quàm verę fidei cupidiores, nequaq̃ pro porcis, sed pro infantibus, siue pueris habendos dixerimus. *Pueris enim* (ait Seneca) *omne ludricum in pretio est,* ipsique non magis patre, quàm crepitaculo amisso, plorant. Ita Paulus se *paruulum,* siue puerum fuisse ait *1 Cor. 13.* Cùm adhuc in carne confidentiam haberet, quod nempè *circumcisus fuisset octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, Pharisæus secundum legem, persecutor Ecclesiæ secundum Zelum, in lege conuersatus sine querela.* Hæc ipsi magna lucra videbantur, velut *Philip. 3.* scribit. *loquebatur* nempè *vt paruulus, sapiebat vt paruulus, cogitabat vt paruulus.* Postquam verò Christus in viros ipsum transscripsit, omnia ista, quæ priùs maximi fecerat, *pro detrimento habere* cœpit, *propter Christum & eminentem eius scientiam.* Quando factus sum Vir (*inquit*) euacuaui, quæ sunt paruuli. *quasi diceret:* desij nucibus ludere, & in arundine longa equitare. Minùs ergò contumeliosus in Lutheranos fuero, quàm propius ipsorum propheta Lutherus, cęterique Prędicantes. Illi enim suos Euangelicos, etiam Principes, *sacrilegos, raptores, auaros, canes & porcos* vocant: quas ego puerili sententia præditos esse, nucibus ludere, & in arundine longa equitare dico, cùm illas, quas dixi, Spinas retinere, quam ijs euulsis Catholicę fidei sementem admittere malint. Si qui tamen ex ijs sunt, qui iam *in profundum recesserunt* (Isai. 31.) & quod eò deuenientes solent, *contemnunt* (Prou. 18.) *& in fæcibus suis recumbentes in cordibus suis dicunt: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè* (Soph. 1.) id est, qui de peccatis suis securi in vtramuis aurem conquiescunt, atheique fiunt, neq; Deo rationem aliquando reddendam fore credunt, eos quin pro porcis & canibus, qui volet, habeat, nequaquam impedio.

Eosq; potius pro Pueris, quam pro Porcis habemus.

Contemptores, athei ac securi, verè sunt Porci.

CAPVT CVI.

QVID cuique de Religione proponi debeat. Quòd cuiq; maximè profuturũ videtur.

POSTREMÒ cum quęritur, QVID ijs, qui in errore falsâque religione versantur, proponi, aut non proponi debeat, illud controuersiam nullam habet, considerandum inprimis esse, quid quemque proponere deceat, & quæ cuique maximè accommodata & ad salutem

tem

tem eius plurimum profutura videantur. nam ad hostem superandum permagni interest, non modò cuius lacerto aut manu quodque telum mittatur. sed etiam quibus armis sit hastis tectus ac munitus, vt, cui maximè oportunus fuerit, telo feriatur. similiter alia ratione Lupi, alia oues errantes & in auia delatæ, nec eodem modo à pastoribus & ab ijs, qui Pastores non sunt, tractari debent. Etiamnum Discrimen quoddam inter Rebellium Duces factionumq; capita siue hæreticos, & inter illos, qui simpliciter ac sine fraude & dolo iis adhæreſcunt, faciendum est, neq; eadem prorsus opera his, quorum animi sunt velut lapidosus ager, & illis, quos spinis ac Vepribus obsitos dixi, impendenda. Omninò deniq; id cuiq; proponi debet, quod non modò quam minimo cum impedimento coniunctum sit, sed maximam quoq; cùm ipsi, tum aliis vtilitatem allaturum appareat. Itaq; cum iis, qui Hæresin siue suo Marte, siue ab alio inuentam ex ambitione, auaritia, aut odio, & Episcopis ægrè faciendi studio docent, Episcopus nequaquam disputare, sed ita se gerere debet, quemadmodum Timotheo Paulus præscribit 2. Tim. 2. *Profana & inaniloquia* Hæreticorum *deuita, & noli verbis cum eis contendere,* siue disputare. *ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Sed potiùs *solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem: iuuenilia* nempe *desideria fugiendo,* siue, nihil contra maturitatem & grauitatem committendo, *sectando verò iustitiam, fidem, charitatem & pacem cum ijs, qui inuocant Dominum de corde puro* hoc est, communionem & concordiam cum iis, de quorum pietate & religionis sinceritate constat. Sic enim satis confutaueris Hæreticum, quemadmodum & Tit. 2. significat: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, integritate, grauitate, vt is, qui ex aduerso est, vereatur* & cõfundatur *nihil habens malum dicere de nobis.* Hæretici quippe hoc inprimis agunt, vt auctoritatem Episcopis adimant, crimina eis exprobrando, quòd sciant, si bonorum virorum opinionem eis eripiant, futurum vt auditores faciliùs ab eorum sententia discedant, ii quidem certè, quos plus auctoritas, quam ratio, cuius scilicet minus capaces sunt, in officio continet: quorum quidem multo maxima Christianorum pars est Nulla igitur res est, quæ ad imperandum Heretico silentium, & ad *obstruendum os loquentium iniqua,* continendasq; in officio oues, vires maiores habeat, Pastoris, siue Episcopi, innocentia : sicut vicissim vix quisquam peiùs de discipulis & auditoribus suis meretur , quàm qui aliter viuit, ac viuendum docet. Nam exemplum inutilis disci-

Episcopus quomodo cum Hæreticorum Doctoribus agere debeat,

Non debet disputãdo, sed innocenter viuendo eos cõfutare.

Quare Hæretici Episcopis ac Pastoribus crimina obijcere gaudeant.

Quantum noceat scandalosa vita Pastorum.

plinæ se ipsum circumfert, ipse vitijs, quę insectatur, obnoxius. *Nemo in Ecclesia nocet amplius* (ait S. Gregorius Magnus) *quam qui perversè agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.*] Veruntamen Episcopus præter *Innocentiam*, hoc est, iustitiam, sanctitatem, sobrietatem & continentiam, cæterasque virtutes, etiam *prudentiam*, siue, *doctrinam* habere, & vt Paulus ait 1. Tim. 3. *Doctor* & *Prudens* esse debet. Quemadmodum & Christi verba significant. Matth. 24, *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Prudentia enim ipsi necessaria est, vt sciat quid quantumque cibi familiaribus Dei dare debeat, vt possit scilicet (quemadmodum Paulus ait 1.) *exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui & seductores, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia : quos oportet redargui*, id est, corripi, siue obiurgari non disputando conuinci. Sic enim Tit. 3. idem scribit Apostolus : *De his volo te confirmare*, siue docere, & argumentis probare, *vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.* id est, vt qui fidem habent, etiam charitatem exerceant. *Hæc* præcepta & argumenta *sunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quæstiones* (eorum, qui disputare volunt ex inobedientia & contentione, semperq; quærunt, vbi scriptum est?) *& contentiones* siue disputationes eorũ, qui loca scripturæ contra Ecclesiæ doctrinam afferunt, *deuita. Sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominẽ post vnã & secundã correptionẽ* (siue obiurgationẽ, nõ disputationẽ) *deuita. sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio iudicio condẽnatus.* id est, quia conscius sibi est, se vel ex auaritia, vel ex superbia & inobedientia, siue quod nequaquam Episcopo inferior esse, aut etiam ingeniosus & acutus ac sapiens vulgò videri postulet, sententiam siue à se ipso, siue ab alio primum inuentam contra doctrinam, quam Ecclesia didicit, perseueranter tueri. Cum enim priùs Ecclesiæ mẽbrũ fuerit(*nam omnes nos in vnum corpus Baptizati sumus*, 1. Cor. 12. siue, per Baptismum facti sumus omnes membra eiusdem corporis, Ecclesiæ) eligendo postea doctrinam & fidem ab ea, quam Ecclesia tenet, diuersam, certè suo ipse iudicio se condemnat, siue se ipse iudicat, aut excommunicat. Nam *iudicare* est *excommunicare* 1. Cor. 5. *Auferte malum ex vobis ipsis*, siue eijcite ex communione & Societate vestra, siue excommunicate, si quis mal⁹ est. *Nam de ijs, qui intus sunt*,

Episcopo præter Innocentiã necessaria Prudẽtia seu doctrina

Vt possit obiurgare Hæreticos.

Et discipulos ad bonorum operũ studium exhortari.

Hæretici quomodo sint proprio iudicio condemnati.

sunt, vos iudicatis. quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? id est, quare sententiam excommunicationis in eos feram, qui Christiani non sunt, nec fuerunt? nec enim qui foris est, eijci potest. Hæreticus itaq; se ipsum iudicat & excommunicat, cum aliam doctrinam eligit, adeoq; Spiritûs illis, qui totum Corpus regit, particeps esse desinit, sicut membrum à Corpore abscisum. Itaq; Iudas de Hæreticis *Hi sunt*, inquit, *qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* Et Ioanes 1. c. 2. *Antichristi multi facti sunt, qui seducunt,* siue seducere volunt *vos : ex vobis prodierunt neq; permanserunt vobiscum.* Et Ioan. 4. *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ* (ex Ecclesia) *exierunt in mundum.* id est, etiamsi quis legitimè missus sit ad docendum, tamen non debetis simpliciter credere, quicquid ille dicit, sed probare, vtrũ doctor ille Spiritum Dei per impositionem manuum Presbyterij acceptum retinerit. nam si non retinuit, loquitur vel ex suo Spiritu, vel ex Spiritu immundo, siue diabolo, adeoq; credi ei non debet. Hinc autem cognoscere potestis, eum non retinuisse Spiritum Dei, si exiuit ex Ecclesia, siue si aliter docet, quam Ecclesia, si se Ecclesiæ iudicio non subijcit, si se ipsum segregat. Nam *vnum corpus* est Ecclesia *et vnus Spiritus*, ait Paulus *Ephes. 4.* Itaq; Spiritum, qui est in Ecclesia, non habet is, qui membrũ Ecclesiæ esse desijt. Et rursum Iohannes Epist. 2. *Multi seductores exierunt in mũdũ, qui recesserunt et non permanserunt in doctrina Christi.* Cùm igitur Hæretici ex Ecclesia exeant, itaq; se ipsos iudicent & excommunicent, certè inutile & vanum est cum iis disputari, maximè postquam semel iterũq; obiurgati fuerint. Tum enim *se in profundũ peccatorũ venisse* & Ecclesiæ ac Pastorum auctoritatem *contemnere* declarant, meritòq; Episcopi ouibus suis eorum communione interdicunt, quemadmodum Ioannes Epist. 2. *Si quis hanc doctrinam non affert*, sed *ab ea recessit* & ex Ecclesia *in mundum exiuit, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis, quia qui dicit illi Aue communicat operibus eius malignis.* Quamuis enim recesserit à doctrina Christi & Lupus euaserit, adhuc tamen discipulus & ouis Christi videri cupit, & ouilla pelle se induit, id est, se verbo Dei credere simulat, suamque opinionem ex Scriptura probare contendit. quare ne cæteræ oues ei se adiungant, & ab eo rapiantur ac dispergantur, moneri à Pastore immò coerceri debent, velut *Tit. 1.* Paulus docet : *Increpa* discipulos tuos *durè, vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis et mandatis hominum auersantium se à veritate,* hoc est, ne audire velint, quibus argumentis

Hæretici se ipsos excommunicãt.

Quomodo eorũ, qui docent, Spiritus probare debeant.

Quare cũ Hæreticis omnis communicatio fugienda.

Hæretici cupiũt disputandi sibi occasionẽ dari.

argumentis Hæretici fabulas suas probent. nam Hæretici nihil magis desiderant, quàm occasionem sibi dari, qua opinionis suæ rationes expromant, quod partim ob nouitatem, partim quia desiderijs hominum blandiuntur (velut supra dixi) multos in sententiam suam consessuros sperent: quæ causa est cur disputare gestiant. 1. Timoth. 6. *Hæc doce & exhortare*, tu velut Episcopus, *si quis aliter*, quam tu *docet, nec acquiescit sanis sermonibus, superbus est, nihil sciens sed languens circa quæstiones & pugnas verborum*, siue disputationes: *Ex quibus* disputationibus *oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.* Et 2. Cor. 4.. *Prædica verbum, insta oportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientientia & doctrina. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam* (quæ bona opera ad salutem requirit) *nõ sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros cùm prurtant auribus* ac noui & iucundi aliquit audire gestiant. *Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem*, siue, argumenta Hæreticorum audienda *conuertentur. Tu verò vigila* (tamquam caput gregis tui) *in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Cùm Episcopum in omnibus laborare & ministerium suum implere, siue, nihil reliqui facere iubeat, quod ad officium Pastoris & Episcopi pertinet, nusquam tamen Disputationis mentionem facit, cùm alijs nempè locis omnem Disputationem, velut & inutilem & perniciosam, grauissimè prohibuerit. Ad ministerium verò Episcopi pertinere docet, vt Hæreticum & Magistrum ad desideria hominum, circa pugnas verborum languentẽ arguat, semel scilicet atq; iterũ: Curiosos autem & prurientes discipulos siue obsecret & exhortetur ad sanam doctrinam, siue increpet & oportunè importunè eis instet: omnibus deniq; tam sanis in fide inq; officio manentibus, quàm malè morigeris & prurientibus discipulis verbum prædicet & Euangelistæ opus præstet. quod ipsum Tit. 1. eiusmodi verbis docet: Episcopus *primò* redarguit inobedientes, vaniloquos & seductores, qui contradicunt. *Secundo* subditos exhortetur in doctrina sana: siue vt Tit. 2. declarat, *loquatur quæ decent sanam doctrinam, vt omnes scilicet sectentur bona opera*, siue charitatem cum fide coniungant. *Tertiò* intendentes Hęreticorum fabulis, siue audientes vel legentes Hæreticorum argumenta, durè increpet, siue acriter obiurget. *Quartò* amplectatur fidelem sermonem, qui secundum doctrinam est, hoc est, quantum ad fidem attinet, ea doceat, quæ sunt maximè explorata, vera & in confesso posita,

Disputare non pertinet ad officium Episcopi.

Sed Hæreticos arguere.

Ceteros ab ijs custodire.

Episcopi partes.

poſita, neq; in vtramq; partem argumentorum probabilitate diſputari poſſunt. nam hæc ſunt maximè *ſecundum doctrinam*, ſiue accomodata ad docendum. Huiusmodi *fidelis ſermo & omni acceptione dignus* eſt, quo Deus Eccleſiæ ac Paſtoribus Spiritū Veritatis ita promittit, vt in æternum ab eorum ore non ſit receſſurus, quemadmodum *Iſai.* 55. legimus. *Feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauidi fideles. Ecce teſtem populis dedi eum* Dauidem, ſiue Chriſtum, *ducem ac præceptorem gentibus.* Pſal. 88. *Iuraui Dauid ſeruo meo* (id eſt, Chriſto, filio Dauit) *vsque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem ſedem tuam. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum* ſiue pactum *meum fidele ipſi. Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar : ſemen eius in æternum manebit : & Thronus eius ſicut ſol, ſicut dies cæli &c.* Ierem. 33. *Non interibit de Dauid vir, qui ſedeat ſuper Thronum domus Iſrael*, id eſt Eccleſia ſemper habebit Paſtorem, ſemen Dauid ſiue filium Chriſti : *& de Sacerdotibus & de leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata & cædat victimas omnibus diebus. Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die & nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo : Etiam pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo*, id eſt, cum Chriſto, *vt non ſit ex eo filius, qui regnet in Throno eius et Leuitæ et Sacerdotes miniſtri mei.* Hic ſermo Dei ita fidelis & omni acceptione dignus eſt, vt ipſis Hæreticis confeſſionem extorqueat. Caluinus in comment. Ezech. 3. *Hodie videmus vt Papiſtæ ſibi Eccleſiæ nomen arrogent, quia ab illis obtenditur perpetua ſuceeſſio* quod nimirum ſemper fuerit Pontifex ſemen aut filius Chriſti, qui in Throno Chriſti regnauerit, ſiue Eccleſiæ præſederit. *Et certè COGIMVR fateri, penes illos eſſe ordinarium miniſterium. Sed quia Tyrannicè abuſi ſunt ſua poteſtate, ſecurè ridere licet eorum iactantiam.* Lutherus locis ſupra cap. VI. & alibi laudatis : *COGIMVR Papiſtis concedere, quia verum eſt, in Papatu eſſe Dei verbum et Apoſtolatum*, ſiue ſucceſſionem Paſtorum ab Apoſtolo PETRO vsque ad noſtra tempora. Item : *Epiſcopi & Pontifex habent inſignem vocationem & certum mandatum, ſedentque in Cathedra Apoſtolorum & in Throno Chriſti. nihilominus ſunt Euangelij noſtri hoſtes acerrimi.* Atqui non minùs fidelis ſermo eſt, filium Dauidis, ſiue Pontificem, qui ſedet in Throno Chriſti, non poſſe ſic abuti poteſtate, vt Euangelium, ſiue verbum Dei verbum tollat aut oderit, ſed habere Spiritum ſanctum & verum Dei in ore ſuo. Iſai. 59. *Hoc eſt fœdus meum cum eis : Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ*

Quis ſit Fidelis ſermo, quem Epiſcopus docere debet.

Caluini de legitima Cathol. Epiſcoporū vocatione teſtimonium.

Itemq; Lutheri.

Spiritus ſanctus à legitimis Paſtoribus non poteſt recedere.

posui in ore tuo, ò Christe, *non recedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui* (Apostolorum) *neque ab ore seminis seminis tui* (Pontificis, qui in Apostolatu succedit) *amodò & vsque in sempiternum.* Luc. 22. *Ego rogaui pro te* Petre *ut non deficiat fides tua : & tu confirma fratres tuos.* Ioan. 21. *Pasce oues meas,* siue, esto Pastor ouilis seu gregis mei. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam.* Sed hui⁹ generis verba longè plurima supra protuli, quæ hoc loco repetere nihil attinet; cùm præsertim vel ex his paucis satis constet, Ecclesiæ ac Pastorum, inprimis Petri ac successoris auctoritatem esse fidele, firmum ac munitum illud fundamentum, cui omnes veros christianos superædificari oporteat : cui consequens est, sermonem, qui auctoritatem istam tam accurratè commendat, velut maximè fidelem & omni acceptione dignissimum, esse inprimis *secundum doctrinam,* siue accommodatum ad docendum, quem Episcopus suos subditos cum semper alias, tum vel maximè quando eis Hæretici insidiantur, docere debeat. Quamuis enim subditi nesciant, quid argumentis Hæreticorum responderi queat, satis tamen habent, si sciant, se suis Pastoribus obedire ac subiacere debere, cùm Deus iurauerit, seque fædere facto sic Ecclesiæ obstrinxerit, nunquam se Spiritum & verbum suum ab ore pastorum recedere permissurum. Itaque Paulus 2. *Tim.* 2. cum vetuisset cum Hæreticis disputari, propterea quod multi eorum argumenta audientes subuertantur, simul docet, nihil præsentius & efficacius esse ad conseruandos in officio subditos, quam auctoritatem Sacerdotum & Episcoporum diligenter inculcari, vt auditores ei innitendum, & ab Hæreticis, qui non acquiescunt sermonibus Episcoporum, velut ab impijs & blasphemis sibi discedendum esse intelligant: *Hymenæus & Philetus subuerterunt quorundam fidem. Sed firmũ fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : cognouit Dominus qui sunt eius : &, discedet ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Id est, illorum fides non potest quantumuis plausibilibus Hæreticorum argumentis subuerti, qui Episcopis velut Dei legatis in quorum ore Spiritus sanctus habitat, credunt, & ab ijs, quos ipsi velut iniquitatis doctores ac Hæreticos cõdemnant, procul discedunt, neq; vel libros vel cõtiones eorũ attingunt. Nam hęc Episcoporũ auctoritas est fidele & firmum fundamentum, cui qui innititur, non confundetur. Nam Deus ipse suo verbo & iureiurando auctoritatẽ illam obsignauit, cùm Numer. 16. scriptum sit: *cognouit Dominus qui sint eius,* siue, quos ipse

Auctoritas Ecclesiæ ac Pastorum ante omnia doceri & inculcari debet

Auctoritas Episcoporum debet esse fundamentum fidei.

Sacerdotes elegerit, vel non elegerit: vbi etiam iubentur omnes *recedere à tabernaculis hominum impiorum: qui murmurauerant contra Sacerdotes.* Hunc enim locũ ab Apostolo hic citari, supra *cap. 75.* pluribus docui. Nihil ergò attinet, Episcopũ ac Pastorẽ Hęreticorũ argumẽta pro cõcione proponere & refellere, sed potiùs amplecti ac docere debet Fidelẽ eiusmodi sermonẽ quo auditores plurimũ ad credẽdũ & obediendũ suis Pastoribus, & ad cauendos ac fugiendos Hæreticos excitentur. Cæterum obseruatione dignũ est, quod Paulus *Tit. 2.* scribit: *Hæc loquere*, siue, doce fidelẽ sermonẽ, *et exhortare* in doctrina sana, siue ad bonorũ operũ studiũ, *& argue* Hæreticos *cum omni imperio. Nemo te contemnat*, id est, simul ita te gerito, itaq; innocenter viuito, vt ne quid sit, quod Hæreticus tibi exprobrare, teq; sic contẽptũ reddere queat. quẽadmodũ 1. Tim. 4. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, id est, noli te iuueniliter gerere, sed *exemplũ esto, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Vnde discimus, Episcopũ seu Pastorẽ maximam auctoritatis curam gerere debere. Auctoritas enim, siue opinio, quam subditi de virtute ac scientia sui Pastoris habent, est velut virga, seu baculus ac pedum, quo pastor non tantùm ad dirigendas oues, sed etiam ad terrendos ac submouendos Lupos vtitur. Nisi ergò sit sine crimine eirreprehensibilis, Hæreticus eum nequaquam reuerebitur, sed vitijs eius ad doctrinam ipsius suspectam auditoribus reddendam abutetur. Sin autem etiam in certamen siue disputationem cum Hæretico descendat, non tantùm apud eum nihil proficiet (nam *subuersus est* Hæreticus, *& dixit, vt delinquat in semetipso*, siue, dedita opera sciensque ac volens propter ambitionem aut auaritiam, veram fidem oppugnat, *quia non est timor Dei ante oculos eius, verba oris eius iniquitas & dolus, non vult intelligere, vt bene agat: iniquitatem meditatur in cubili suo, adstat omni uiæ non bonæ, malitiam non odit,* quemadmodum Psal: 35. Legimus) sed etiam auditorum minùs acriter intelligentium iudicio inferior, aut saltem par videbitur, si præsertim Hæreticus orationem plùs fucare, & verborum præstigijs auditores fascinare sciat. At enim nequaquam conuenit Episcopum loci ac dignitatis suæ tam parùm esse memorem, vt cuius ipse Iudex est, & in quem habet imperium, ei se ipse aduersarium ac veluti parem facere velit. Scriptum est Isai. 54. *Omnem linguam resistentem tibi in iudicio, iudicabis. Hæc est hereditas seruorum Domini, & iustitia eorum apud me, dicit Dominus.* Et 2. Cor. 10. *Nos qui legatione pro Christo fungimur* (2. Cor. 5.) *non secun-*

Non opus est Hæreticorũ argumenta ab Episcopis confutari.

Sufficit enim ipsorum auctoritas:

Hoc est, vt à subditis boni & docti existimẽtur.

Cum Hæreticis disputando eos non conuertũt:

Auditores autem scandalizant.

Episcopi dignitatẽ suam tueri debent.

dum carnem militamus. *Nam arma militiæ nostræ non carnalia*, siue debilia & imbecilla *sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei* (siue, superbiam eorum, qui alta sapiunt & nolunt scientiam ac legem ex ore Sacerdotum requirere quemadmodum præceperat (Deus Malach. 2.) *& in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (nam Christum ipsum audit, qui Legatos eius audit. Lucæ 10.) *& in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Itaque Episcopus Hæreticum se extollentem, inobedientem, & minutiones Episcopo & Ecclesiæ opponentem, siue nouam suam doctrinam multis Scripturæ locis perperam intellectis munientem & circumuallantem, redarguere, iudicare, & vlcisci, nequaquam verò cum ipso disputare debet.

CAPVT CVII.

QVod si autem omnibus modis disputare velit Hæreticus, neque nisi cum iactura fidei & Existimationis nostræ Catholici disputationem subterfugere posse videantur (quòd scilicet infirmiores eiusmodi tergiuersationem malæ causæ argumentum putent) nihil necesse est Episcopum ipsum in pugnam descendere (sicut neq; Saulem Regem in duellum cum Goliatho descendere decuit neq; vllus Princeps cum subdito suo rebelli decorè cominus congrediatur) cùm Deus futurum prædixerit, vt Ecclesiæ hostes *lapidibus fundæ subijciantur*, siuę prosternantur (*Zachar. 9.*) nempe non à Regibus, ac Ducibus Ecclesiæ, siue Episcopis, sed à pastorum pueris ac *paruulis Gregis*, hoc est, ab hominibus Laicis, & mysteria Theolodiæ ignorantibus a quibus *Edomitas*, siue rebelles fratres, *deiectum eorumque habitaculum simul cum eis dissipatum iri* dicitur Ierem. 49. Vt imagine rem declarem, cùm Ecclesia sit *Castrorum acies ordinata* (Cantic: 6.) & Hæretici rebelles, ac seditiosi milites, qui ex castris excesserunt, eademque oppugnant (Isai: 29.) aliter *Duces Iuda*, siue Episcopi, (Zach. 12.) aliter Milites armantur & pugnant. Ducum *arma sunt potentia Deo*, siue diuina & admirabili potentia prædita, velut in gentes machinæ fulminantes, & ignem vomentes, altissimarum destructrices munitionum, quibus rebelles à castris submouent.

Hæreticos Laici decentiùs confutant, quam Episcopi.

Quomodo Duces ac Milites aduersus Hæreticos pugnent.

Itaq;

Itaque dicuntur *duces Iuda esse sicut Caminus ignis, qui deuorent ad dextram & ad sinistram* Zach. 12. Huiusmodi arma sunt, velut diximus, Auctoritas Episcoporum, vitæ innocentia collecta, prędicatio sermonis fidelis, exhortatio ad doctrinam sanam, dura increpatio eorum, qui Hęreticorum argumentis intendunt, & ipsorum Hæreticorum redargutio, & deuitatio, siue excommunicatio. Militum, qui Pastoribus ac Ducibus, siue iubentibus, siue non vetantibus, & permittentibus Hæreticos debellant (nam vetante Duce nemini in hostem pugnare fas est) alij sunt Fortes & grauis armaturæ, alij Velites & leuiter armati. *Fortes gladio* vtuntur (Zach. 9.) qui est vel *gladius oris* siue *Spiritus*, Isai. 11. vel *gladibus anceps in manibus*, Psal. 149. Illum distringunt Theologi, cùm solidis argumentis ex penitissima Theologia petitis Hæreticos Doctores refellunt. Sed nullus, aut non magnus sanè eius gladij vsus est, nisi simul stringatur gladius alter, qui est in manibus aut materialis, hoc est, Theologorum disputationes infructuosę sunt, neque Hęreticos aut eorum discipulos, ad verum conuertunt, nisi Magistratus sęculares legibus latis, & pœnarum terrore obedientiam Episcopis debitam sanciant, & *pestilente* siue Hæretico *multato*, *stultos* eius discipulos *Sapientiores* reddant. Multi enim sunt indigni, qui ad mensam Domini inuitentur, quibus pars de sermone Dei dari nequaquam debet. Tales sunt, *qui Diaboli laqueis captiui tenentur ad ipsius voluntatem, vt veritatem cognoscere non possint, nec agere pœnitentiam* (2. Tim. 2.) *quorum mentes excæcauit Satan, vt eis non fulgeat illuminatio Euangelij*, siue, vt etiam clarissima Scripturæ verba non intelligant (2. Cor. 3.) quibus obstant *offendicula in via* vt ad montem Sion, siue ad Ecclesiam Catholicam accedere nequeant, Isai. 57. Laquei verò, siue causę cœcitatis, siue offendicula sunt cupiditates rerum caducarum, vt gloriæ, honoris, opum, omnium denique, quæ ab hominibus huius sęculi expeti solent, & eorundem amittendorum formidines. *Quomodo vos potestis credere* (ait Christus Pharasęis, Ioh. 5.) *qui gloriam ab inuicem accipitis?* Et Paulus 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli.* Et Salomo Prou. 1. & 5. & 7. *Iniquitates suæ capiunt impium, vt seducatur ab aliena, & foueatur in sinu alterius, & funibus peccatorum suorum constringitur: quia lactauerunt eum peccatores,* siue Hæretici, *dicentes ei: Veni & mitte sortem nobiscum: omnem preciosam substantiam reperiemus: implebimus domos nostras spolijs. Festinauit ergo velut auis ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Et Isai. 42. *Ipse populus direptus & vastatus, laqueus iuuenum omnes*, siue Principum mancipia sunt, & ab ijs capti tenentur,

Duces siue Episcopi.
Eorum arma.

Ecclesiæ Milites grauis armaturæ.

Theologorū argumenta Hæreticos non conuertunt sine gladio sæculari.

Laquei quibus Hæretici capti tenentur.

& in domibus carcerum abſconditi ſunt. His igitur omnibus, quos non ratio, ſed affectus gubernat, fruſtra Theologi argumenta ſua pro Catholicorum ſententia proponunt, cùm ea intelligere & amplecti nequeant, ſintque vel Canes, vel Porci, vel pueri & nimis imperfecti, adeoque, qui talia audiant, indigni: quemadmodum Chriſtus de illis ait, qui inuitati excuſauerunt ſe, quod venire non poſſent, quia neceſſe haberet alius in villam ſuam abire, alius boues emptos probare, tertius vxorem duxiſſet. *Qui inuitati erant, non fuerunt digni,* Matth. 22. Atqui in adminiſtratione verbi, ſiue in Religionis negotio, primùm omnium inquiri oportet, quis tanto theſauro dignus ſit, ſiue quis eum recipere velit & poſſit. Matth. 10. *In quamcumque ciuitatem aut caſtellum introiueritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete.* Quæ verba interpretans *Clemens Papa Diſtinct. 44. cap. 2.* ſoliciti (*inquit*) & valde ſoliciti eſſe debemus, ne margaritas noſtras mittamus ante porcos. Sed & ob alias cauſas vtile eſt, viri huius habere me notitiam. Si enim ſciam, quia emendatus eſt & inculpabilis, hoc eſt, ſi ſobrius, ſi miſericors, ſi iuſtus, ſi mitis & humanus: tunc conſequens videbitur, vt ei, qui obtinet, bona virtutum, etiam quod deeſt fidei & ſcientiæ, conferatur: & in quibus maculari eius vita videtur, quæ eſt in reliquis probabilis, emendetur. Si verò in ijs, quę palàm ſunt, peccatis inuolutus permanet & inquinatus, non me oportet ei aliquid de ſecretioribus & remotis diuinæ ſcientiæ proloqui, ſed magis proteſtari & conuenire eum, vt peccare deſinat, & actus ſuos à vitijs emendet. Quod ſi ingeſſerit ſe, & prouocauerit nos dicere, quæ eum minùs rectè agentem non oportet audire: prudenter eum debemus eludere. nam nihil omnino reſpondere, Auditorum cauſa vtile non videtur: ne fortè exiſtiment, nos reſponſionis pænuria declinare certamen, & fides eorum lædatur, non intelligentium propoſitum noſtrum.] Cuiuſmodi ſint ea, quibus prudenter eludi queant ij, qui omni vi nos adigere volunt, vt argumenta noſtræ opinionis proferamus, poſteriùs expediam: in præſenti ſatis habemus diſcere, quòd indignis argumenta Catholicorum de fidei capitibus, quæ ab Hæreticis in controuerſiam adducuntur, proponi non debeant, ſed id priùs agi ac tentari, vt digni efficiantur, ſiue, vt vincula eis ſoluantur, aut offendicula de medio tollantur, hoc eſt, vt affectus, quibus occupati ſunt, ex animis eorum eximantur, quod ſupra fieri diximus, ſi quis affectum affectu velut clauum clauo eijciat, & pro ſpe metum, pro metu

Quidam ſunt indigni, qui Catholicorum argumenta audiant.

Omnium primum videndū vtrum quis ſit dignus audire.

Malè morati non ſunt digni.

Si omnino velint diſputare, ſunt eludendi.

Indignos priùs reddere debemus dignos.

Hoc eſt, affectibus eos liberare.

ſpem animis inſerat. Iſai. 57. *viam facite, præbete iter, auferte offendicula de via populi mei* (ſiue, vt Iſai. 62. legimus præparate viam populo planum facite iter) *propter iniquitatem auaritiæ eius percuſſi eum, & abijt vagus in via cordis ſui.* quaſi dicat, auaritiam fuiſſe offendiculum illud, quod populo viam ad Deum obſtruxerit. Ergò cupiditatem iſtam diuitiarum, & ſimiliter ceterarum rerum eximere ei oportet, metu maiorum nempe calamitatum incuſſo. Nam *Virga & correptio tribuunt ſapientiam*, Prouerb. 29. Si quis nempe manendo in hæreſi maius damnum ſentiat, vel ſenſurus videatur, quàm ſit lucrum, quod inde facit, aut ſperat, iam laqueus ille, ſiue vinculum, quo Diabolus eum captiuum tenebat, velut gladio ſcinditur, & offendiculum, ſiue impedimentum, de via tollitur, vt attentionem & diligentiam adhibeat in examinandis vtriuſque partis argumentis, quod eſt adiumentum veritati inueniendæ accommodatiſſimum. Itaque *Timor ſapientiæ Principium* à Salomone dicitur, Prouerb. 1. & *fons vitæ*, Prouerb. 14. nam *qui timet nihil negligit*, Eccleſ. 7. Sed *animaduertit* ſiue quæret *omnia*, Prouerb. 28. Qui *autem quærit, inuenit*, Matth. 7. Timorem porrò in animis eorum excitare, qui in errore verſantur, eſt opus Magiſtratus, cùm lege lata pœnam ijs, qui Eccleſiæ & Paſtori eius aduerſantur, denunciat. *Si malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat* Magiſtratus. *Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Roman. 13. Atque malum eſt, non obedire Sacerdotis imperio, ac propterea Deus ipſe morte affici iuſſit eum, qui Sacerdotis ſententiam nollet recipere, Deuteron. 17. *Si quis ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, moriatur homo ille, & auferes MALVM de Iſrael, cunctuſque populus audiens TIMEBIT, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Quod hoc loco dicitur, de occiſo illo, qui Sacerdoti contradicit, futurum vt ceteri *Timeant*, id Salomon alijs verbis ſic effert: Prouerb. 19. *Multato* ſiue *flagellato peſtilente Stultus ſapientior erit.* Vt ſciamus, Timere eſſe primum gradum ad ſapientiam. Nam *virtus eſt Vitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe*, ait Poëta. Atqui *per timorem declinat omnis à malo*, Prouerb. 15. & *ſtultitiam in corde pueri colligatam*, ſiue, qua cor veluti vinculo ligatum eſt, *virga diſciplinæ fugat*, Prouerb. 22. Niſi ergò Virga ſimul expediri queat ad fugendam ſtultitiam, ſiue ad incutiendum timorem, nequaquam ei rationes & argumẽta verę ſententię afferri debent, cuius cor ſtultitia ligauit, ſiue, qui

Cupiditas dolore aut metu expellenda.

Timor primus ad ſapientiam gradus.

Magiſtratus officium eſt Timorem peccantibus incutere.

Et timoris cauſa Hæreticos occidere.

Apud Hæreticos, qui cogi nequeunt, rationibus non contendum.

qui vel auctoritate parentum ac Magistrorum, à quibus multa perperam & falso de nobis ei persuasa sunt, vel affectibus & perturbationibus animi, ne verum perspiciat, impeditur. Δόξει τις ἀμαθεῖ σοφὰ λέγων, οὐκ εὖ λέγειν, ait Euripides, id est, *non bene loqui videbitur, qui cum imperito sapienter loquitur.* Vsu venire enim necesse est, quod prouerbio dicitur.

Non enim sunt earum capaces.

Ὄνος λύρας ἤκουε, καὶ σάλπιγγος ὗς.

Asinus lyram, Sus audiebat buccinam.

Non recipit stultus verba prudentiæ (ait Salomon Prouer. 18.) *nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius.* Sed vbi Virgam expediri videt, siue, cùm metuit, ne à Magistratu ad pœnam rapiatur, maximè quod id alijs iam factum fuerit, se ipse colligit, & stultitiam, siue errorem missum facit, vtque Sacerdotibus pareat, animum inducit. Quamuis autem sæpe contingat, Doctorem Hæreticum eiusque discipulos eodem vinculi genere captiuos teneri, ac verbi gratia pariter ventris aut lucri gratia in errore pertendere, plerumque tamen discipulos mortis timor ad intendendas omnes vires ingenij, earumq; beneficio consequenter ad perspicientiam ipsius veri perducit (*qui enim timet*, velut ex Salomone modò dixi, *nihil negligit, animaduertit*, & quærit *omnia*, & quia quærit, tandem inuenit.

Discipulos Hæreticorũ timor ferè semper cõuertit.

——quia grande doloris
Ingenium est, miserisque venit solertia rebus:

Sicut è contrario, securus nihilque metuens oscitat, & alias res agit, facileque in discernendo vero & falso, cui parùm intentus est, fallitur.) Sed Doctores Hæresios mortis metu ad verum conuerti tam raró vsu venit, vt id miraculi loco numerari possit: id quod etiam *Psalmo. 1.* docemur, qui cùm dissimilitudinem multiplicẽ, quæ est inter Doctorem Veritatis & mendacij recensuisset, tamquam quòd veritatis Doctor. *Non abit in consilio impiorum*, siue, non recedit ab obedientia Ecclesiæ ac summi Pastoris, quod Hæretici faciunt, qui *consilium & munitiones* (2. Cor. 10.) eis opponunt, vt dirumpant vincula Pastorum, & proijciant iugum ipsorum (Psal. 2.) *neque stat in via peccatorum*, siue non manet in Hæresi, sicut faciunt illi, qui semel ab Ecclesiæ obedientia recesserunt: *nec* denique *sedet in cathedra pestilentiæ*, siue, non docet Hæresin: sed attendit sibi ac lectioni, vt se ipsum saluum faciat & auditores (1. Tim. 4.) estque *velut arbor* fructuosa, cuius profectus in operibus bonis & in pietate manifestus fit omnibus, *cuius* etiam *folia* siue verba, quæ prædicat, *non defluunt*, sed semper florent ac viridia sunt,

Sed raró ipsos Hæreticos.

ſunt,etiam in ſenecta (velut *Pſalm. 91.* canit) Hæreticus contrà,vt ait Iudas , eſt *arbor auctumnalis, infructuoſa, bis mortua, eradicata* vi venti, & *velut puluis à vento iactatus,* ſiue, vt 2. Pet. 2. *nebulæ turbinibus agitatæ.* Cùm huiuſmodi ergò diſſimilitudinem Pſalmus primus perſecutus fuiſſet , ad extremum addit. *Non reſurgunt impij in iudicio , neque peccatores in conſilio iuſtorum* , quod perinde eſt ac ſi dicat : Cùm doctrinæ talium Hæreticorum in Eccleſiæ iudicio examinata condemnatur,ipſi nihilominus eam pertinaciter retinent , neque veritati cedunt aut obediunt. Cauſam huius rei ſi ab Ariſtotele aliquo requiras, nempe inde id fieri reſpondebit , quòd qui ex auaritia aut ventris cauſa Hęreſin docet pluribus rebus delectatur , quàm qui ex eadem cauſa ipſum Doctorem ſequitur. Nam doctrinam ſuam amat , velut opus ſuum , & velut argumentum ac ſignum ſuæ exuperantiæ ſiue ſcientiæ, qua ceteris antecellat , tum etiam velut adiumentum , quo ſe ab ijs , quibus iraſcitur , quoſque odit, vindicare , & ægrè facere aduerſarijs poſſit : quæ omnia quantam ad ſuadendam pertinaciam vim habeant , pluribus ſupra oſtendi. Sed qui Doctorem ſequitur , vnam ferè voluptatem habet, quam ei vtilitas ſiue lucrum , aut luxuria , vel gula pollicetur: qui ſi arrogantiæ aut vindictę ſimul tuendo errore ſuo ſeruiat , nihilominus , quàm ipſe Doctor, pertinax inuenietur, & vel mori,quàm reſipiſcere præoptabit. Ex ſacris verò literis hæc differentiæ reddi ratio poteſt : quòd qui Hęreticum ex auaritia ſequitur, non tam malitia id faciat , quàm infirmitate , quippe qui maturam ad diuitiarum cupiditatem magis propenſam ſortitus fuerit: ſed Doctor Hæreſios etiam Malitiam & ſummam improbitatem coniunctam habet , cùm tanti faciat lucrum aut quodcumque ſuum commodum , vt dummodo eo potiatur veritatem oppugnare,Deum & Spiritum ſanctum in Paſtoribus loquentem blaſphemare, & aliòs per dulces ſermones & benedictiones in errorem perducere atque in æternum animi corporiſque exilium præcipites agere nihil penſi ducat. Hanc tam diabolicam eius malitiam ita punit Deus , vt omnem ei gratiam ſuam adimat, & Satanæ poteſtati eum totum permittat. Ab hoc adeò in duratur & excecatur , vt quod ab initio falſum eſſe ſciuit , nunc veriſſimum eſſe perſuaſum habeat , eique vel vitam impendere audeat : id quod ſupra ex his Deuteron. 28. verbis docui : *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt facias omnia mandata eius* (in quibus hoc præcipuum eſt , vt obedias

Hæretici ab Eccleſia condemnati non reſipiſcunt.

Eius rei cauſa ex Ariſtotele.

Alia cauſa ex ſacris literis.

Hæreticorũ malitiam cæcitate Deus punit.

dias Sacerdoti, neque superbiens ei contradicas, Deuteron. 17.) *percutiet te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, vt palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Id quod etiam Isai. 26. sic docemur: *Cum feceris* (ait Propheta Deo) *iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra enim sanctorum iniquè egit, & non videbit gloriam Domini. Domine exaltetur manus tua, vt non videant: videant & confundantur Zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret.* Quasi dicat: cùm Deus fecerit supplicium sumi de impio Hæretico, qui malitiosè docet, quod falsum esse scit, eumque cœcitare percusserit, vt gloriam Dei videre, & sacras literas intelligere nequeat, ac propterea sine misericordia igne comburatur: tum Zelantes populi ab eo in errorem abducti, confundentur & veram Religionem discent, metuentes, ne singulis idem eueniat, *Domine, in angustia requisiuerunt te, in tribulatione murmuris* (quę facit eos clàm conqueri, & ingemiscere) *doctrina tua eis* obtingit.

Hæreticorum combustio quãta sit vtilitatis.

CAPVT CVIII.

QVAMVIS autem Deus ipse perspicuè doceat, Impios Hęreticos Sacerdoti superbè contradicentes, ad verum non conuerti, ac propterea morte affici debere: & ex illorum morte hanc ad ceteros vtilitatem redire, quòd negligentiam eorum ac securitatem timor discutit (nam, vt Publius ait, *Metus cùm venit, rarum habet somnus locum*) & adiumenta siue instrumenta veri à falso discernendi, quæ alioquin latent recondita, expromere, & rebus propositis accomodare docet, eoque pacto tandem ad veritatis cognitionem perducit: Sicut & Aristoteles homines metu ad consultandum excitari scribit: quamuis igitur hæc omnia Deus ipse tam planè nos doceat: adhuc tamen audet *Thuanus*, Parisiensis ille Præses, *in historiarum suarum præfatione*, hinc potissimum in Romanam Ecclesiam & in Hispanos inuidiam quærere, quòd Hæreticos Ecclesię contradicentes summo supplicio afficiant, & cùm timorem illorum supplicio in discipulis excitatum, tum alia quoque pœnarum iisdem discipulis propositarum genera, magnas ad eos emendandos vires habere existimant. Hos Thuanus *siue præpostero Religionis ardore, siue ambitione ac rerum nouandarum studio perperam consulere* omni vi pugnat. Tametsi autem eius

Thuanus Ecclesia in puniendis Hæreticis morẽ calumniatur.

eius improbitatem & mentiendi libidinem in *Scaligero Hypobolimæo* à pag. 326. vſque ad pag. 336. ita detexi & conuici, vt omnium eorum iudicio, qui vel ingenui ſanguinis guttam habent, improbiſſimum ac mendaciſſimum ſcriptorem videri oporteat: quia tamen multis ſe pro Catholico probat, & ſimulatione illa ſua non modò Galliȩ ſuæ nocere ſtudet, dum ſententia ſua libros, quibus Hæretici plurimum iugulantur, proſcribit, itemque operam *Societatis Ieſu* prætoriȩ illius caſtrorum Dei cohortis, tot rebus prȩclare ac feliciter pro Eccleſia inclitæ calumniatur & infamat: ſed etiam non minimum ad ſeditiones ac perduelliones illas, quæ vos Auſtriacos Principes tot iam annis exercent, momentum attulit, quandoquidem populis veſtris ab Hȩreticis in errorem abductis, Galliæ Regis exemplum, & Thuani, velut hominis Catholici curiȩque Pariſienſis prȩſidis diſputatio (velut ego in nonnullorum libellis legi, quos vobis obtulerunt) ipſis *Autonomiam*, ſiue credendi, quicquid libeat poteſtatem, à vobis deberi vſque adeò perſuaſit, vt Vobis tamquam Tyrannis & libertatis ſuȩ oppreſſoribus arma inferre, & inuitis, quicquid vellent, extorquere nequaquam religioni ſibi duxerint: propter has ergo cauſas operam minimè luſurus videor, ſi hominis illius in mentiendo impudentiam denuò breuiter ob oculos omnibus ponam. Ait igitur primùm omnium, *veram & vnicam rationem, qua Religionis diſsidium ſanari queat, eſſe, vt cum Hæreticis & cum exitialium doctrinarum æuctoribus non minùs, quam cum eorum diſcipulis, agatur potiùs docendo, quàm iubendo: magis monendo, quàm minando*, ſiue, *vt doceantur & colloquia amicæque Collocutiones cum ipſis inſtituantur.* Sed Spiritus ſanctus, velut audiuimus, vetat eiuſmodi Porcis & Canibus ſanctum dari, aut margaritas proijci, atque adeò nec Aue eis dici permittit, ſed iubet eos deuitari, & eijci, tamquam homines peſtilentes & contagioſos, quorum ſermo velut Cancer ſerpat, & qui monita ac ſanam doctrinam neque audiant neque intelligant. Prouerb. 9. *Noli arguere* ſiue erudire *deriſorem, ne oderit te.* Prouerb. 22. *Eijce deriſorem & exibit cum eo iurgium.* Prouerb. 13. *Qui illuſor eſt, non audit, cum arguitur.* Prouerb. 23. *In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquij tui.* Iſai. 26. *Etiamſi miſereamur impio, tamen non diſcet iuſtitiam, quia in terra Sanctorum iniquè egit, propterea non videbit gloriam Domini.* Pſalm. 1. *Impij non reſurgunt in Concilio iuſtorum*, id eſt, non conuertuntur, etiamſi iuſti eos moneant, doceant & errorem eorum condemnent. Vter igitur men-

Eius Hypocriſis & improbitas.

Idem ſeditionũ concitator.

Et peſſimè de Auſtriacis meritus.

Primũ Thuani mendacium.

Spiritus ſanctus vetat cum Hæreticis diſputari.

Aliud Thuani mendacium.

titus videri debet, Spiritus Sanctus an Thuanus ? Deinde contendit, *animaduersionem*, siue pœnam Hæreticorum, *esse crudelitatem & ex odio eorum proficisci.* Sed quanto aliter Seneca 1. de Ira cap. 15. *Corrigi nequeunt* (inquit) *nihilque in illis spei bonæ capax est. Tollantur ergò è cœtu mortalium, facturi peiora, quæ contingunt, & quo vno modo possunt, desinant esse mali. Sed hoc sine odio. quid enim est, cur oderim eum, cui tum maximè prosum, cum illum sibi eripio ? num quis membra sua odit tunc, cùm abscindit ? non est illa Ira, sed misera curatio. Non ira, sed ratio est, à sanis inutilia secernere.* Sed etiam si ex odio istos Dei & Ecclesiæ hostes occidamus, num non eo ipso laudem meremur ? An nescit iussisse Deum Deuteron. 13. *Si tibi persuadere voluerit frater, filius, filia, aut vxor, aut amicus, quem diligis. vt animam tuam, vt Religionem mutes, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies eum, vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile?* An vsque eò in Historia sacra imperitus & hospes est, vt nesciat *quid de pio Rege Asa scriptum sit* 2. Par. 15. *Intrauit ex more ad corroborandum Fœdus, vt quæreret Dominum Deum PATRVM suorum in toto Corde & tota anima sua. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum patrum suorum* (id est, si à maiorum suorum Religione veteri defecerit) *moriatur à minimo vsque ad maximum, à viro vsque ad mulierem. Iurauerunt que Domino voce magna cum exsecratione : præstititque eis Dominus requiem per circuitum.* Non legit, quæ Deus Zach. 13. de statu Ecclesię prædixit. *Cùm quis falsum prophetauerit*, siue scripturas falsò interpretatus fuerit *occident eum Pater & Mater eius, qui eum genuerunt.* quod etiam Luc. 14. Christus ita confirmat: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, non potest meus esse discipulus*, si nimirum ab ijs impediatur Christi gloria seu vera Religio. Matth. 10. *Veni separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus Matrem suam, vtque inimici hominis fiant, qui sunt domestici eius. Non veni pacem mittere, sed gladium.* Vtrius ergo magis probari debet ratio, Thuani, an ipsius Dei ? Hoc amplius affirmat Thuanus : *Certè si verum amamus, necesse est fateamur, in omnibus vetustis sacræ antiquitatis monumentis nullum exstare exemplum supplicij, de sectatiis sumpti ac probati, & Ecclesiam priscam, à cruore fundendo semper abhorruisse. quod si quando accidit exitialis doctrinæ auctores occidi, id verè pij Episcopi detestati sunt, in primis sanctus Augustinus, vir pio & miti ingenio, qui supplicijs Hæreticorum numquam subscripsit*

Hæreticorũ pœna est opus non odij, sed charitatis.

Falsam religionem sequentes Odio habendi & interficiendi.

Edictum de occidẽdis falsam religionem amplectentibus.

Aliud Thuani mendacium.

ſcripſit. Audiamus ergò S. Auguſtinum, cuius epiſt. XLVIII. ad Vincentium hæc ſunt verba: &c.

Mea primitùs ſententia ERAT, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentiū verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt: quam nunc videmus ita huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea numquam fuiſſe credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipſis rebus agnoſcerem, etiam in hac cauſa rectè intelligi poſſe, quod ſcriptum eſt: Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit] *Hæc ille.* Alia eiusdem S. Patris verba afferre nihil attinet, cùm & ex *Hypobolimæo* peti poſſint, & hæc ipſa Thuanum plûs, quèm ipſius honori expediat, impudentiſſimi mendacij cōuincant, vt mirari ſatis nequeam qua fronte adhuc in curiā venire, & collegis ſuis, in quibus viros inſigni virtute & eruditione præditos inueniri complures conſentaneum eſt, os ſuum oſtendere audeat. Apud nos quidem Germanos ſi quis calceolarius, ſartor, piſtor, faber ferrarius, aut quicunque opifex, in tam turpi mendacio imò falſi crimine drpręhenſus eſſet, ceteri eius congreſſum & conuictum ſtatim aduerſarentur, & ex communi corporatorum, ſiue eiusdem artificij opificum, ſententia ipſi, velut infami, opere faciundo interdiceretur. An autem in Gallia Curiarum Præſides impune & ſaluo honore tam apertè mentiri, & mendacio ſuo non tantùm Eccleſiæ Romanæ inuidiam conflare, ſed etiam Imperatoris, Regis Catholici cæterorumq; Principum Auſtriacorum ſubditis rebellandi auctoritatem dare eosq; velut vocis ſuæ claſſico ad arma ſtimulare poſſint, id ego Collegis eius, ſenatorib. ampliſſimis, conſiderandum relinquo: quos vt patrię amantes eſſe eiusque & vtilitati & gloriæ ſeruire adeò non moleſtè fero, vt etiam eo nomine commendare eos non dubitem, ſic nec ab ipſis vitio mihi datum iri confido, quòd vt matris Eccleſiæ honori ne deſim, & Auguſtis patronis meis fidelis Conſiliarij ac miniſtri operam nauem, fraudem & impoſturam Thuani detegendam ſuſcepi.

S. Auguſtinus prius putabat cum Hæreticis agendū verbis. Sed poſtea mutauit ſententiā

Quanti referat Thuani, ipſum non eſſe Germanum.

Thuani mendacium ex sacris literis refutatum.

TAmetsi autem Thuanus nec Augustini, nec aliorum sanctorũ Patrum, inprimisq; eorum verbis, quos in *Hypobolimæo* testes citaui, conuinci posset, tamen vel solam S. Bibliorum auctoritatem meritò, ne tam apertè mentiretur, reuereri debuit. quid enim? non fuit Moyses vir pio ac miti ingenio, de quo Num. 12. legimus, fuisse *virum mitißimum super omnes homines, qui morabantur in terra?* At enim hic vsq; eò Zelo & odio in Apostatas indulsit (quem Thuanus *præposterum Religionis ardorem* vocat) vt præciperet Leuitis: *Ponat vir gladium super femur suum & occidat vnusquisq; fratrem & amicum & proximum suum,* eisdemq; XXIII. hominum millibus occisis sic rem gestam gratularetur: *Consecrastis manus vestras domino; vnusquisq; in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio,* Exod. 32. Sed etiam *Eliam* credibile non est, minori, quàm Thuanum, charitate & mansuetudine affectum fuisse. Is tamen octingentos & quinquaginta Sacerdotes ac prophetas Baal gladio occidit. 3. Reg. 18. quod *fatuitate sua deciperent populum Israel,* velut Ierem. 23. legimus. *Dauid* quoq; de cuius mansuetudine, quamquè vel ab eorum, qui maiestatis imminutæ ac læsæ crimen commiserant, sanguine fundẽdo abhorruerit, passim scriptura testatur, quanto eorum odio flagraret, qui à vera religione desciuissent non vno loco professus est. V.g. Psal. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.* Psal. 138. *Nonne qui oderunt te domine oderam & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi* Psal. 100. *Facientes præuaricationes odiui. In matutino* (id est, statim vt exorti fuerant) *interficiebam omnes peccatores terræ* (qui terram siue homines terræ, *peccare faciunt in verbo,* Isai. 29. *qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium,* Rom. 16.) *vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.* Sed vt nulla talis odij piorum erga eos, qui à vera pietate desciscunt, exempla extarent, sensus tamen communis, si quem modo habet Thuanus, eum docere poterat, fieri non posse, quin quo quisque est religiosior, eò peius impium, omninoque à religione sua, quam veram putat, alienum oderit, non modò quia natura fert, vt amemus eos, qui eadem quæ nos volunt, ac propterea res omnes, amicos & inimicos, multò autem magis Deos & genios tutelares nobiscum communes habent, studijsque ac vitæ genere, inprimis autem religionis professione nobis sunt similes, odio autem habeamus, saltem non amemus, qui contraria volunt, vobiscum dissident, neque eorum quæ maximè vellemus, commune quicquam habere

Moses vir mitissimus.

Zelo religionis multa hominũ millia occidit.

Idem Zelus in Elia.

Et in Dauide

Dauid Hæreticos statim interficiebat.

Thuanus sensu communi conuincitur.

bere volunt: sed etiam quia putant omnes rectè de Deo sentientibus, itaq; vt oportet eum colentibus, omnia prosperè cedere; illos autem qui vel in vtroq; vel in alterutro peccant, siue aut nullam aut falsam religionem sectantibus, Deum cum ipsis, tum alijs qui negotij quicquam cum ijs commiscent, infestum reddere & mala multa arcessere persuasum habent. In quo quàm non fallantur, *consultatio* mea *de Germaniæ statu* cùm ratione, tum sacrarum litterarum auctoritate plurib° demonstrat. Et verò poterit Thuanus vel de se coniectura ducta, omnis huius rei veritatem nullo negotio, si velit, inuenire. Si enim ego Parisios nunc venirē, & ipse me à liberis si quos habet, ac propinquis suis honorificè accipi videret, non est dubium, quin se ab ijs negligi existimaturus, ac propterea non mediocriter stomachaturus sit, quod in eum beneuoli esse sustineant, cui se mendacissimum & improbissimum hominem videri, & ita palam libris editis describi & infamari non ignorent. *Irascimur*, ait Aristoteles, *etiam ijs, qui bono animo sunt,* siue qui nihil commouentur aut turbantur *in rebus nostris aduersis. nam significationem dant se parui nos facere,* quasi videlicet res friuola ac nullius momenti eis videatur, quod malè nobiscum agitur. Et quidem tanto magis ijs succensemus, quanto æquius videtur eos nobiscum condolescere & iniuria nobis facta commoueri, tanquam quos vel sanguinis propinquitate coniunctos habemus, vel beneficijs affecimus. nam ad propinquos honos & ignomina nostra pertingit, vt eos parui facere quam bene vel male audiamus, minimè omnium conueniat. Qui verò beneficia à nobis acceperunt, nisi tuendo honore nostro & odio habendis ijs, qui nos infamant, gratiam referre studeant, perinde se gerere videntur, (ait Aristoteles) quasi ab inferioribus acceperint, siue quasi nos debitum ipsis tribuerimus, neq; laudem aut gratiam eo nomine mereamur. Quid igitur? non irasci putabimus Deum, si nos in tanta, quam ipsi faciunt Hæretici, contumelia æquis animis esse, & inimicis eius familiariter vti videat? Ipse enimuerò est, qui se *fortem Zelotem* esse, omniaq; ad suam gloriam referre profitetur. quomodo ergò non stomachetur, se pro mendaci, perfido & fœdifrago ab Hæreticis haberi? Ipse fœdus cum Ecclesia fecit, *eamque sibi in sempiternum sponsauit* (Oseæ 2.) iurauitq; suum Spiritum suumque verbum ab ore seminis Christi siue Episcoporum, in primis eius, cui° fidem non defuturam dixit, in æternū non recessurū, velut paulò prius ipsa scripturæ verba, quibus id continetur, audiuim°. Sed Hæretici

In religione dissidentes nō possunt mutuo se amare.

Thuanus suos inimicos propinquis suis vult exosos esse.

Quid ni ergo velit Deus vt irascamur Hæreticis.

A quibus habetur pro mēdaci.

Ecclesiam non in sempiternũ sponsatam esse, adulteramq; factam & Pastores Ecclesiæ iam inde ab Apostolicis temporibus vsq; ad Lutherum Spiritu & verbo Dei caruisse dicunt, quemadmodum supra Lutheri verba de Concilio Nicæno primo retuli : *in eo non fuisse vllũ Episcopum qui vel minimum de Spiritu sancto olfecerit.* Atqui vt Baptistes ait Ioan. 3, *Quem misit deus, verba Dei loquitur : qui autem accipit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est.* Quasi dicat: Deus Isai. 59. Christo, quem missurus erat, promisit, se Spiritum & verbum suum ei daturum : *Cùm venerit Sioni redemptor eius, hoc fœdus meum cum eis : Spiritus meus, qui est in te, Christe, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo vsq; in sempiternum.* Itaq; non est dubitandum, quin Christus qui iam venit, verbum Dei loquatur. Et qui ei credit, signauit, siue confirmauit ac velut consignatis tabulis siue chirographo suo ac sigillo testatus est, se Deum pro veraci habere. Ergo qui Christo nõ credit, signauit, quod Deus sit mendax, neq; præstet, quod fædere facto promisit. At enim ibidem Deus promisit, etiam ab ore seminis Christi, siue Apostolorum, & ab ore seminis seminis Christi, siue Episcoporum Spiritum ac verborum suum in sempiternum non recessurum : quemadmodum etiam Christus *Ioh. 14.* eundem Spiritum ac verbum suum Apostolis daturum se promittit, *vt maneat in eis vsq; in æternum,* quibus etiam dixit Lucę 10. & Matth. 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ergo qui credit Apostolis, semini Christi, & semini Apostolorum, siue Episcopis, *signauit, quia Deus est verax; qui non credit* (quod Hæretici faciunt) *signauit Deum esse mendacem.* Cui ergò iam verisimile fiat, Deum tanta contumelia non inflammari ad iram, vt faciat nobis, quod ipse minatur Ezech. 21. *Ecce ego eijciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te iustum & impium?* quomodo etiam nobis non succenseat, si cum filij eius simus, nihil ignominia eius commoueamur, sed vltrò etiam inimicis eius amici viuamus? *Viri mali,* ait Salomon Prou. 28. *qui derelinquunt legem, non cogitant iudicium,* vt blasphemantem scilicet impium iudicent, & in eum Zelo Dei accẽdantur, quemadmodum Iudas monet, vt Hæreticos *arguamus iudicatos.* sed vltro etiam *laudant impium : qui autem custodiunt legem, & inquirunt Dominum, animaduertunt omnia,* siue, nihil ad contumeliam Dei pertinens negligunt, *& succenduntur contra impium.* Ita succensus fuit Phinees, qui arrepto pugione Principem tribus Simeon occidit, eaq; cæde manus suas Domino consecrauit, vt Deus Zelum hunc

Qui amant Deum, oderunt hostes Dei.

Zelus Phinea.

(*præposterum*

(*præposterum illum*, vt Thuanus ait, *Religionis ardorem*) *ei ad iustitiam reputarit, & summo Sacerdotio remuneratus fuerit*, Numer. 25. & Psalm. 105. Rex autem Iosaphat, quamuis *ambularet in vijs Dauid patris sui, & pergeret in præceptis Dei, faceretque rectum in conspectu Domini, & cor eius audacia sumta propter vias Domini lucos de Iuda sustulisset, ac Sacerdotes & Leuitas cum libro legis Domini in cunctas vrbes Iuda, vt populum docerent, misisset*, siue, quamuis Lutheri & Caluini Hæresin ex regno suo proscripsisset, & Iesuitis ac Monachis collegia ac monasteria & Ecclesias ædificasset (3. *Reg.* 22. & 2. *Par.* 17.) quia tamen cum hæretico siue Idololatrico Rege Israël fœdus eiusmodi fecit, quo eosdem amicos & inimicos vterque habere tenebatur, eiusque filiam hæreticam filio suo vxorem dedit, Deum irritauit, velut ei propheta nunciat. 2. Par. 19. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum, amicitia iungeris: & iccirco iram quidem domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te* (quasi dicat: sed es tamen bonus Catholicus, putasque bona opera tibi ad salutem esse necessaria, neque solam fidem sufficere) *eo quod abstuleris lucos de Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Deum patrum tuorum*, siue, vt veterem Religionem, quam maiores tui habuerunt, defenderes. Cùm autem hac admonitione contempta denuò cum Ochizia Rege Caluiniano, *cuius opera fuerunt impijssima, amicitias iniisset*, vt classem ad petendum ex Ophix aurum communibus impensis instruerent, ex alio Propheta audiuit: *Quia habuisti foedus cum Ochozia, percussit dominus opera tua, contritaque sunt naues, nec potuerunt ire in Ophix* 2. Par. 20. Quamuis autem ab hac postea regis Hæretici societate discesserit, neque denuo classem suam cum nauibus eius iungere voluerit (3. *Reg.* 22.) nequaquam tamen inter bonos siue perfectos Iudæ Reges numerari meruit. *Præter Dauid & Ezechiam & Iosiam omnes reges Iuda peccatum commiserunt: nam relinquerunt legem Altissimi, & contempserunt timorem Dei.* Eccli. 49. Iosaphat enim non quidem altissimi legem reliquit, sed tamen timorem Dei contempsit, siue, non timuit Dei offensam, ex initio cum Hæreticis foedere excipere. Hoc exemplo moniti rectissimè vos, Augusti Principes facitis, cùm fœdus omne cum Hęreticis & infidelibus abominamini; ac ne inducias quidem pactumq; de damno mutuo non inferendo, nisi populorum vestrorum rationibus ita postulantibus, facere, potiusq; vestra ipsi vineta cædere, (quod quidem in vobis est) quàm gladium ab

Iosaphat erat quidē Rex pius

Tamē Hæreticos non valdè oderat.

Itaq; Deus eum puniuit.

Austriacorū erga Hæreticos odium.

exequendo Catholicæ religionis Zelo feriatum gestare animum inducitis. Felicitatem quam Galliæ reges iam inde à *Francisco primo* ex suscepto aduersus vestros maiores Hęreticorum patrocinio, initoq; cum Turcis fœdere perceperunt, non est cur eis inuideatis. Faxit, Deus, vt hodierno Regi pupillo sanguis ille, quem per matrem. Reginam Christianissimam & religiosissimam, à vobis Austriacis traxit, vestram Apostolicæ sedis obseruantiam & Catholicæ fidei aduersus infideles & infidelibus longe execrabiliores Hæreticos, armis & legibus defendendæ ardorem excitet, neque quid Thuanus eique similes Apostatæ & relapsi Hæretici, Catholicos se professi, aliter consulant, in aures admittere libeat, quippe quos mendacij atque fraudis palàm conuincere tam nullius sit negotij, velut etiam ex his eiusdem Thuani verbis constare potest: *Alia omnia pro arbitrio ciuilis magistratus atque adeo Principis sanciuntur, sola religio non imperatur. ad eam cruciatus nihil valent. nam vbi quis religione ducitur, in eo nullum habet momentum vexatio & dolor. &c.* Deus. n. disertim & perspicuè contrarium affirmat. Isai. 28. *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Et Prou. 29. *Virga & correptio tribuunt sapientiam.* Prou. 26. *Virga in dorso imprudentium.* Prou. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Prou. 10. *Virga in dorso eius qui indiget corde.* Psalm. 77. *Non crediderunt in mirabilib. eius. Itaque ira Dei ascendit super eos & occidit pingues eorum. Cum autem occideret eos, quærebant eam, & reuertebantur*, ad veram nempe religionem. Psal. 82. *Persequere eos in ira tua: imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine.*

Aliud Thuani mendacium.

CAPVT CX.

Qui sint illi, qui neq; dolore neq; metu conuertantur.

FIt quidem (fateor) vt nonnullis nihil virga, nihil flagella, nihil cruciatus prosint, quorum scilicet adulta & corroborata est malitia, qui non tantùm laqueo consuetudinis, vel auctoritatis, aut alicuius siue cupiditatis, siue metus captiui tenentur, sed etiam *sunt in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis* (vt Simon ille Magus *Act. 8.*) qui vt vel plùs sapere videantur, & discipulos post se abducant, vel ventri suo seruiant, vel denique ægrè faciant Pastoribus & Episcopis, dissensiones & offendicula facere, & *sectas perditionis blasphemantes non metuunt introducere.* (2. Petri 2.) quos etiam propterea Deus Satanæ excæcandos & indurandos tradit, vt non magis,

quam

quam Pharao, tot plagis affecti, resipiscere queant. Nihilominus etiam hos occidi Deus iubet *Deuter. 17*, non vt ipsi bonam mentem capessant (*nec enim resurgunt* tales *impij in iudico & consilio iustorum*, Psalm. 1. & *omnes* qui sic ad Hæresin *ingrediuntur*, *non reuertentur*, *nec apprehendent semitas vitæ*, Prou. 2. *Et si contuderis stultum in pila*, *quasi ptisanas*, *feriente de super pilo*. Siue, si eum in mortario velut hordeum in pistillo pisaueris, *non auferes ab eo stultitiam eius*, Prou. 27.) Sed *vt cunctus populus audiens timeat*, *& nullus deinceps intumescat superbia*, siue, vt ne malum serpat, aliosque adhuc sanos inficiat (*Hæreticorum sermo*, ait Paulus 2. Tim. 2. *velut cancer serpit*) Siue, *ne ferax lupus rapiat & dispergat oues*, Ioh. 10. Perinde ergo facit Thuanus, ac si diceret: Membrum hoc cancro iam infectum est. Itaq; amputari non debet, nihil enim proficies, nec sanitatem ei restitues. *Vel*: lupus nunquam mutabit naturam, quin rapiat & dispergat oues, vbicunque potest. Itaq; nihil proficiet pastor persequendo, occidendo, & de medio tollendo lupo. quo ecquid tandem dici potest stultius? Deus *Ezech. 34.* disertim Ecclesiæ suę tanquam ouibus gregis suæ ita pollicetur: *Faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas* (Lupos) *de terra, vt securi dormiant in saltibus*, siue, *vt sint in terra sua absq; timore. Non erunt vltra in rapinam, neq; bestiæ terræ deuorabunt eos, sed habitabunt confidenter, absq; vllo terrore*. Sed Christus Matth. 7. Paulus Act. 20. & 2. Tim. 3. & Petrus 2. Pet 2. *multos lupos* fore prædicunt *rapaces, minimè parcentes gregi, ac proptérea Pastores iubent vigilare attendere*, & consequenter facere cessare bestias illas pessimas. quomodo autem? Hoc Dauidis prophetia nouissima præmonstrat, cùm Ecclesiæ Christi statum describit, 2. Reg. 23. *Præuaricatores* (qui in dominum præuaricati sunt, quia filios alienos genuerunt, *Ose. 5.* siue, quia discipulos post se abduxerunt *Act. 20.*) *quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus*: *& si quis tangere* siue de medio auferre *voluerit eas*, *armabitur ferro & ligno lanceato*, *igneque succensæ comburentur ad nihilum*. Sed etiam Paulus qui cancro, contagiosissimo malo, similes facit Hæreticos, quid aduersus eos suscipi debeat, satis manifestè demonstrat. 1. Cor. 5. *Auferte malum ex vobis ipsis nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Fieri nimirum nequit, quin alios Hæretici suo fermento siue *doctrina & hypocrisi* (velut Christus *fermentum* interpretatur Lucæ. 12. & Marci 16.) aut etiam velut cancer cetera membra, inficiant & corrumpant. Itaq; auferendi sunt, ac velut mem-

Quare tales occidi Deus iusserit.

Ne alij eorum sequantur exēplum.

Thuani stoliditas.

Deus Ecclesiæ promittit forēvt Lupi de medio tollantur.

Hæretici autē sunt Lupi.

Itaq; tollendi.

Non manu: Sed ferro & igni.

Membra cancro infecta, amputanda.

Bbb 2 brum

brum iam infectum ferro recidendi. *In corpore* (ait Tullius) *si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, viri secariq. patimur, vt membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat. Sic in repub. corpore vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur. Dura vox. Multò ista durior: Salui sint improbi, scelerati, impij: deleantur innocentes, honesti, boni, tota respublica.* Atque hoc ipsum Salomo dicit loco sæpius laudato. Prou. 19. *Pestilente multato* seu flagellato, *stultus sapientior erit* tametsi ijs verbis non modò reliquos, sanos seruari, sed hoc ampliùs iam contagione aliquantum affectos persanari & restitui docemur, vt etiam Hęreticorum discipulos rectè atque vtiliter timore aut dolore ad Ecclesiam redigi seu compelli nequaquam sine impudentia aut inscientiæ nota *Thuanus* neget, cuius huiusmodi ferè est ratio: Oues iam longe à grege aberrarunt. Itaque frustra Pastor abit eas, quærere, & durus est, si inuentas in humeros imponat, & sua sponte siue suis pedibus redire ad gregem renitentes, reportet. *Vel*: Oues scabiosæ factæ sunt. Itaque frustra eas pastor à reliquo grege secludit & sanare conatur. *Vel*: Oues sublatæ sunt à fure & latrone, qui non per ostium in ouile ingressus est, sed aliunde ascendit. Itaque nihil proficit Pastor, si eas vindicet, & à fure repetat. Quis autem non vel hinc videat, quid sit illud, quod Thuanus quærit, tametsi verbis id promere non audeat? Alterutrum quidem certè sentire se fateatur necesse est. Aut Protestantes non errare, non languere, non ægrotare, non scabiosos, nec furibus & larronibus in prædam ac rapinam esse, siue, Caluinum & Lutherum non esse, fures latrones, lupos, Hæreticos, & qui credunt illis, atque ab Ecclesia Catholica discesserunt, non errare, non perire. Aut boni Pastoris & Episcopi non esse quærere oues, quæ errarunt, neque inuentas, si sua sponte redire nolint, in humeros imponere, & reportare, nec ægras seu scabiosas sanare, nec raptas denique vindicare. Si prius sentit Thuanus, oportet vt sit in signis impudentiæ nebulo, qui se Catholicum profiteatur, & tamen Hæreticos errare neget. Sin posterius; stultissimus est, & dignior qui Abderitarum dictatorem agat, quàm qui Consilio Regio pręsit. Nam quod dicat ille, interdum medicinam ægris non prodesse; quod quæritur non inueniri; quod furto ablatum est, non recuperari: num tandem propterea officio suo deesse Pastores debent? An ignorat quid Seneca respondeat argumento, quo à sanandis amici cuiusdam sui vitiis iam adultis deterreri poterat: *Respice ætatem eius iam duram & intractabilem. non potest reformari;*

Thuani stoliditas.

Thuanus in angustias redigitur.

Vt vel improbus, vel stolitus videri necesse habeat.

Etiamsi quidā insanabiles, nō tamen ideo negligenda medicina.

formari. tenera finguntur. An (inquit Seneca) *profecturus sim nescio. malo successum mihi quàm fidem deesse. nec desperaueris, etiam diutinos ægros posse sanari, si contra intemperantiam steteris, si multa inuitos & facere* COEGERIS *& pati.* An etiam non legit, quæ S. Augustinus, quem tamen ipse auctorem sententiæ suæ habere se iactat, aduersus istam contradictionem disputet? *At enim quibusdam pœnæ ac molestiæ non prosunt* (sic enim sibi contradici fingit. & respondit:) *Numquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia? de quibus scriptum est,* Ierem. 2. Frustra flagellaui filios vestros, disciplinam non receperunt. *Et Ier. 5.* Percussisti eos, & non doluerunt. Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. *Puto tamen quia amore, non odio flagellati sunt. non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis, qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici. Corripiuntur negligentes Pastores, & dicitur eis* Ezech. 34. Væ Pastoribus qui oues infirmas non consolidastis, ægrotas non sanastis, confractas non alligastis, abiectas non reduxistis, errantes non reuocastis, perditas, non quæsiuistis. *Et vos, ô Donatistæ, oues Christi estis, characterem Domini circumportatis in Sacramento quod accepistis. sed erratis & peritis. Non ideo vobis displiceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini, monentis vt vos ad eius ouile redire* COGAMVS, *quàm consentiamus voluntati ouium errantium, vt vos perire permittamus. Melius est quidem,* (*quis dubitat?*) *doctrina homines ad Deum colendum duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli: sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit* (*quod experimentis probauimus*) *prius timore vel dolore* COGI, *vt postea possint doceri, aut quod iam verbis didicere, opere sectari.* Quod porrò cotendit Thuanus vexatione, proscriptione, exilio, ferro & flammis siue cruciatu & dolore non modò nihil profici, sed animos quoque Hæreticorum magis irritari & obfirmari: id quàm verè dicat, partim ex istis, quæ iam in medium attuli, partim hinc quoque intelligi potest, quòd perspicuè affirmat Deus, non pœnas & dolores, cur animis obfirmentur Hæretici, causam esse, sed quia illudunt, & ita, cur vincula ipsorum constringantur, siue, cur à gratia Dei deserti, à Satana magis vinciantur, mereant. Isai. 28. *Et nunc nolite illudere, ne fortè constringantur vincula vestra.* Prou. 5. *Iniquitates suæ* CAPIVNT *Impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam* (quia pertinaciter in sententia mansit, & ex superbia noluit obedire Sacerdotis imperio, occidetur, Deut. 17.) *& in multitudine stultitiæ suæ decipietur,* nam *stultitiæ impij supplantat gressus eius,* Prou. 19. persuasio scilicet

Hæreticorũ discipuli sunt Oues Christi, sed errantes.

Itaque debent à Pastoribus requiri.

Experientia S. Augustini in cogendis Hæreticis.

Aliud Thuani mendacium.

Quare Hæretici magis obdurentur.

 licet

licet scientiæ, qua sibi sapientior videtur Episcopis & Doctoribus, nec eorum audit monita. Prou. 12. *Via stulti recta in Oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia.* Huiusmodi ergo stultitiæ, siue stultæ persuasionis vis & multitudo, decipit Hæreticos, non virga, siue, pœna: Cuius Deus hanc esse vim testatur, vt fuget stultitiam, & velut gladius vinculum, quo Cor stulti obligatum est, dissoluat. Prou. 22. *Stultitia colligata est in corde Pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Vtri ergo credi iam æquius putabimus, Deo an Thuano?

CAPVT CXI.

Thuanus ex euentu consilia iudicat.

QVI quod postremò ad euentum prouocat, & ex eo, quòd vobis Austriacis, tibi præcipuè, Rex Catholice, negata Hæreticis *Autonomia* malè verterit, & ꝓuincias aliquot à ditione & imperio vestro alienarit, male & imprudenter à vobis factũ, contra Regẽ Galliæ, nuper certa *Francisci Rauaillaci* manu cęsum, in permittenda Caluinismi libertate multum vidisse, ex eoque feliciter & ex sententia rem gessisse cogit: haud sanè scio, num plus etiam, quàm in superioribus, insaniat. Si enim *Diuus Philippus* tuus, Rex Catholice, parens, propterea imprudenter fecisse, nulloque consilio vsus videri debet, quòd ob negatam Hæreticis impietatis ac perfidiæ suę Libertatem, Hollandiam ac Selandiam amisit: quantam *Henrici Burbonij* imprudentiam vel stoliditatem fuisse oportebit, cui susceptum Hęreticorum patrocinium non vnam alteramque prouinciam, non regnum, non Imperium, sed ipsam vitam, atque vtinam ne simul alterius vitę spem omnem eripuit? Quis est qui tam inopinato tanti Regis ac bellatoris casu non attonitus statim Psalmi verbis exclamandum putarit? *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua?* Soles quidem, ait Poëta, *occidere & redire*, similiterque prouinciæ amitti & recuperari, *possunt*, ac fortasse nouus aliquis iam Orbis, qui Batauorum & Selandorum iacturam penset, enascitur, vt denuò Psaltæ verbis gloriari Philippe Rex possis: *Populus quem non cognoui seruiuit mihi*: sed Burbonio postquam *semel occidit breuis lux Nox est perpetua vna dormienda*, neque quo iacturam soletur habet. *Viderunt Oculi eius interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibit. Donec atteratur cœlum, non euigilabit, nec consurget de somno suo.* quæ tamen ita accipi velim, vt eum mala in hac vita accepisse, cumque occideretur, Deum quæsijsse

Vtri felicius rẽ gerãt, Galli an Hispani.

Quid lucri Galliæ Rex fecerit ex Hæreticorum patrocinio.

Meum de exitu Galliæ Regis iudicium.

quæsijsse nequaquam desperandum putem: ipsi quidem singulari alioquin ætatis nostrę ornamento, sic euenisse, ceteris verò exemplo eius doctiores fieri, neque committere, vt eorum obitu plus Hęretici, Turcæ & Athei, quàm Catholici fideles ac pij doleant, ex animo precor atque opto. Veruntamen vt longè plura etiam perdidissetis, neque eorum siue recuperandorum, siue longè luculentiore sorte compensandorum spem vllam haberetis: nondum tamen vos quicquam in eo quod Hęreticorum hostes vos professi incrementis ipsorum restitistis, à Prudentia alienum fecisse insimulari potestis, cùm multæ aliæ causæ commemorari queant, propter quas minùs ex sententia res aduersus Hęreticos, & rebelles vestros subditos, processerit. Quid enim, si non nemo vestrum alias res egit, neque condignam rebus tanti momenti diligentiam & prouisionem adhibuit, ac Ministrorum fidei nimis confisus fraudi eorum oportunum se præbuit, num tandem aliter multa cecidisse, neque quantum oportuit actum esse mirabimur? Dauidem optimum ac sapientissimũ Regem, qui *Psal. 100.* sic de se gloriatur: *Facientes præuaricationem odiui: detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*: Siba nihilominus seruus Miphiboseth officij specie adeò circumuenit, vt omnia heri sui bona ab eo dono acciperet. Et quamuis non multò pòst fraudem ac mendacium eius Dauid perspexisset, non modò Crucem nequissimo mancipio non fixit, sed etiam dimidium bonorum herilium ei reliquit. Et verò si benè calculum ponimus, ac politicè rem disputamus, omnium calamitatum, quæ Dauidem exercuerunt vnquam, nimia eius lenitas, quodq; scelera familiarium, propinquorum ac filiorum suorum propter nimiam facilitatem & intempestiuam clementiam vindicare non auderet, causa fuit, velut in *Consultatione mea de Germania* ex historia sacra luculenter demonstraui. Quod si ergo nimia facilitas, & quædam disciplinæ dissolutio (quam ferè natura vobis Austriacis inseuit) multa Ministros vestros malè docet, & horum peccati impunitas, aliorum libidinem ad idem tentandum accendit, non est quod aut pręter sententiam multa vobis euenire miremur, aut causas mali longè arcessamus. Quid autem? *Si anathema fuit in medio vestri*, hoc est, si quid vobis inscijs Ministri vestri siue Iurium, siue bonorum Ecclesiæ inuaserunt, seque vtilitati vestræ vindicandis anathematis, siue rebus Deo consecratis, benè cõsulere perperàm existimant: num tandem idem vobis, quod Iosuę fortissimo & sanctissimo Imperatori; vsu venire mirum est, vt scilicet

Austriacorum mala vnde re-uera originem duxerint.

Negligentia nimia erga Ministros indulgentia.

Eadem Dauid laborare solitum.

Grauissimas eius pœnas dedit.

Austriacis facilitas & indulgentia sua, noxia.

Ministri Principum Ecclesiarum vexatores.

ſcilicet exercitus veſter etiam in cauſa iuſtiſſima ab inimicis Dei & Eccleſiæ ſuperetur? Cùm enim vnus tantū vir ex toto exercitu Iſraelitico inſcijs ceteris aliquid ſpoliorum vrbis Iericho Deo conſecratorum attigiſſet, iratus Deus pauorem & fugam in copias Iſraeliticas immiſit, & non paucos eorum ab hoſtibus, quamuis impijs, cædi fecit. Querenti cauſam Ioſue, reſpondit Deus: *Peccauit Iſrael, & prævaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate: non ero vltra vobiſcū, donec conteratis eū qui huius ſceleris reus eſt, & combuſceritis eum cū liberis, iumentis & omni ſubſtantia ſua.* Et mox ad vniuerſū populū proclamans: *Anathema* (inquit) *in medio tui eſt Iſrael: nō poteris ſtare corā hoſtib⁹ tuis, donec deleatur ex te, q hoc contaminatus eſt ſcelere*, Ioſ. 7. Simile mendacium ac furtum ſiue ſacrilegium in Anania & Saphira ſubita morte Petrus puniuit. *Act. 5.* qui tamen de eo, quod ipſi ad Apoſtolorum pedes depoſituros ſe vouerant, non de aliena largitione, delibatam partem retinuere, vt quàm ingentis ſe ſceleris alligent illi, qui in res Eccleſiæ, quas alij Deo conſecrarunt, inuolant, vel hoc ſolo exemplo moniti ſcire poſſint. Regibus quidem ac Principibus, qui opus Eccleſiarum fiſco vindicant, vel etiam qui athei ſunt, nec Deo de rebus noſtris curæ eſſe credunt, & velut veſte peregrina induuntur, ſimiliterque Palatinis eorum Miniſtris & Conſiliarijs, qui propter Eccleſiaſticorum hominum contemptum ac ſuperbiam, Dominis ac patronis ſuis occupandorum, vel retinendorum bonorum Deo ſacratorum auctores ſunt, meritò metuendum eſt, ne fidem Prophetiæ illius *Soph. 1.* ſuo maximo malo impleant: *Et erit in die illa, viſitabo ſuper Principes & ſuper filios Regis, & ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina, & viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen* (qui in alienam domum, ſiue, in Eccleſiam intrat eiuſque bona attingit) *qui complent domum Domini ſui iniquitate & dolo, qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet bene Dominus & non faciet malè. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum: & ædificabunt domos, & non habitabunt: & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.*] Huiuſmodi comminatio quantopere Regibus, Principibus ac Regnis metuenda ſit, teſtatur *Carolus Magnus* libro ſeptimo *Capitulorum* ſiue legum Eccleſiaſticarum & ciuilium *Pariſiis* anno 1588. editorum cap. 104. & 105. & 188. Nouimus *inquit*, multa regna & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias ſpoliauerunt, reſque earum vaſtauerunt, abſtulerunt, alienauerunt vel diripuerunt, Epiſcopiſque & Sacerdo-

Rerum Deo ſacrarum violatio quantum Reipub. noceat.

Regum, res ac iura Eccleſiæ violantium, pœna.

Caroli Magni iudicium de ijs, qui Eccleſiis moleſti ſunt.

Sacerdotibus, atque quod magis eſt, Eccleſijs eorum abſtulerunt, & pugnantibus, *ſine militibus* loco ſtipendij dederunt. quapropter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, nec victores extiterunt, ſed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones, & quod peius eſt, regna cœleſtia perdiderunt, atque proprijs hæreditatibus caruerunt & hactenus carent, &c. Qualiter dominus talium criminum vltrices pœnas per Saracenos & alios populos venire permiſit, cunctis earum geſta legentibus liquet, & niſi nos ab his caueamus, ſimilia nobis ſuperuenire non dubitamus. Prohibemus ergò omnino *ſub pœna ſacrilegij* generaliter omnibus, cunctarum Eccleſiaſticarum rerum inuaſiones, vaſtationes, alienationes, Sacerdotumque & reliquorum ſeruorum Dei oppreſſiones, vexationes, atque cunctorum generum iniurias, &c. Si quis ex Iure Eccleſiaſtico hactenus noſtra largitate aliquid poſſedit, ſi illa deinceps habere voluerit, præcipimus, vt ad proprios Epiſcopos veniat, & ab eis & à Præpoſitis Eccleſiarum, vnde eſſe videntur, quocumque modo iuſtè potuerit, eam impetrare ſatagat, & nihil ex eis aliter ambiat aut concupiſcat, vel accipiat, ne cupidum ſanctarum rerum ignis, qui in eis eſt fauilloſiùs exurant. Vnde & in ſacris Canonibus, Spiritu Dei conditis, decretum habetur ita: *Si quis oblata dederit vel acceperit præter Epiſcopum, vel eum, qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.* Scimus autem Anathematos homines & in præſenti ſæculo infames eſſe ac perditos, & à conſortio fidelium in omnibus abſque pane & aqua fieri alienos, atque ſi abſque Eccleſiæ ſatisfactione de hac vita receſſerint, à regno Dei fore extorres. Quam foueam cauere diſſimulans vel recuſans, noſtra ſe ſciat per omnia ſocietate carere, quia non ſolùm qui faciunt, ſed & qui facientibus praua conſentiunt, rei ſunt. Satius enim nobis eſt regnum non habere terrenum, quam æternum, perdere. Plus vero me credo Deum poſſe per Sanctorum ſuorum merita adiuuare, quam omnem militiam ſæcularem. Quapropter omnes ſcire cupimus, ſi ſuper his, quibus fruimur, bonis, vniuerſum mundum lucrari potuiſſemus, noſtram veſtraſque animas perdere noluiſſemus, nec ſe pro prædictis cupiditatibus perdere volentibus conſentire, &c.] Hanc porro legem Carolum non modo aſſentiente ratamque habente, ſed vltrò etiam poſtulante vniuerſo

Eiuſdem ſanctio de ſecuritate & immunitate Eccleſiaſtica.

Eiuſdem de Excõmunicatis iudicium.

Carolus Magn. plus Clericorũ, quàm Militum auxilio conſiſus.

Germaniæ Galliçque populo ad Comitia wormatiam anno 770. congregato latam fuisse, ex eorundem Capitulorum libro 6. cap. 285, discimus. Ibi enim legitur *generalis totius populi supplicatio apud Principem pro Sacerdotum causa*, in qua etiam hæc sunt: Scimus res Ecclesię Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium & pretia peccatorum, quapropter si quis eas ab Ecclesiis, quibus à fidelibus collatæ Deoque sacratæ sunt, aufert, procul dubio sacrilegium committit. Offerunt enim illas Deo fideles pro remissione peccatorum suorum, ac parentum & filiorum, aut pro quocumque voluerint, ad seruiendum ex ijs Deo in sacrificijs, Missarumque solennijs, orationibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum alimonijs, & ceteris diuinis cultibus & Ecclesię vtilitatibus. Qui ergo inde eas aufert, quid agit nisi sacrilegium? Talis autem in sacris Canonibus *Anathema* pronunciatur. Scimus autem anathematos homines vel sacrilegos, non solùm infames esse, sed etiam à regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Et hoc vobis omnibusque fidelibus sanctę Dei Ecclesiæ & nostris notum esse cupimus, quod cum his, qui absque voluntate aut consensu, vel datione rectoris illius Ecclesiæ, cui ipsæ res iustè esse debentur, & maximè proprij Episcopi res Ecclesiæ à Regibus petere, aut retentare, vel auferre, aut inuadere, vel vastare præsumpserint, nec in hostem, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam, vel ad palatium, aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut caballos vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus, aut ad pastum ire, aut simul habitare, vel manere, nec vllam participationem cum eis, nisi pro emendatione ante publicam emendationem & Ecclesię satisfactionem vnquam scienter, aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus atque flagitijs, vna cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim quia perit iustus pro impio. Tales verò à nobis, si nos fideles habere vultis segregate, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Vt ergo hęc omnia à vobis & à nobis, siue à successoribus vestris & nostris futuris temporibus absque vlla dissimulatione conseruentur, scriptis Ecclesiasticis inserere iubete, & inter vestra Capitula interpolare pręcipite.] Et capite insequenti Carolus hoc eorum postulatum sibi æquissimum videri affirmat,

Comitiorũ Germaniæ & Galliæ aduersus Protestantes Decretum.

Ad quem finem Ecclesiæ fundatæ fuerint.

Qui finem illũ impediunt, sunt sacrilegi.

Et infames.

A Regibus res Ecclesiasticas impetrãtes sunt infames.

Audiant Protestantes hunc recessum Imperij.

affirmat , ſeque quod petierint , lege lata mox ſancire velle pollicetur.

CAPVT CXII.

ATQVE vtinam eadem nepotibus Caroli mens manſiſſet! Fortaſſe ſtaret adhuc imperium & regnum Carolingorum: Reſpublica quidem certè Chriſtiana minus multis cladibus ſępe affecta fuiſſet. *Carolus* enim *Caluus* Gallię Rex cum multa Eccleſiaſticorum prædia, præcipue Rhemenſis Epiſcopatus villas Comitibus ſuis in beneficium dediſſet , quod metueret , ne ſi quando à fratribus bellum ſibi fieret, ſuorum ope deſtitueretur, quemadmodum ipſi facturos ſe minati fuerant , ſtatim vltorem Deum expertus eſt, Nordmannis in Galliam inundantibus , eamque ferro & flamma paſſim infeſtantibus , quibus etiam Carolus bonam Gallię partem cedere neceſſe habuit. Similiter *Carolus Craſſus* quod theſauris Eccleſię Metenſis pacem à Nordmannis redemiſſet, occulto Dei iudicio ita punitus fuit , vt ſui eum repudiarent, & imperiali ac regia dignitate exuerent , ipſeque vix panem ab Arnolpho Imper. fratris ſui filio emendicare poſſet. Ipſe quoque *Arnolphus* pediculari morbo conſumptus miserè perijt, quia ipſo imperante Sacerdotes (vt Luitprandus auctor eſt) vincti trahebantur, nulla Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis habita ratione. Ad extremum , cum nihil tot exemplis profectum eſſet, & anno 990. *Caroli* Lotharingiæ ducis , Carolingorum vltimi milites Rhemenſem ciuitatem proditione cepiſſent , totumque Epiſcopatum illum deprædati eſſent , *omniaque Principi ſuo etiam in locis ſacris licere dicerent* , fidem comminationi ſuæ ſupra prolatę facturus Deus , vt Carolus ab Hugone Capeto caperetur, & cum ipſo Carolingi extinguerentur permiſit. Sapientiores his fuerunt illi ex Saxonibus Germaniæ Reges & Imperatores. *Henricus* enim *Auceps* prælium cum Hunnis commiſſurus tametſi cauſam iuſtiſſimam tuebatur , quod tamen anathema in exercitu ſuo eſſe ſciret , multis Laicis Imperatorum largitione res ſacras poſſidentibus , ipſis quoque Eccleſiaſticis Simonię palam obnoxijs , votum Deo fecit de criminibus eiuſmodi penitùs recidendis , & ex regno ſuo proſcribendis , ſi victoria potitus eſſet. In quo Deus ipſi annuit, vt eo conflictu XXXVI. M. Hunnorum cæſi fuerint. Eius filius *Otto Magnus* cum à fratre Henrico rebelli, ingēti exercitu vndiq; ſeptus eſſet, plurimique

Pœna, qua Caroli M. poſteri fuerunt affecti ob neglectum ſuperius Decretum.

mique eius milites ad h ostem transfugerent, ac Germanus quidam Princeps, qui magna militum manu ei suppetias venerat, quod sibi ab eo in tantas redacto angustias nihil negatum iri persuasum haberet, ea fiducia Abbatiam Laureshеimensem, ex cuius opibus stipendium militi suo persolueret, donari petijsset: huiusmodi oratione improbitatem eius coram vniuerso exercitu confutauit: *Obedire Deo magis oportere, quàm hominibus. Quis sapiens non videat te hæc non humilitate petitionis, sed communicationis auctoritate dixisse? scriptum est*: Nolite sanctum dare Canibus. *Itaque si vis cum cæteris Infidelibus ad hostes transfugere, quanto citius tanto melius.* Princeps ergò tanta Regis constantia perculsus & rubore perfusus, ad pedes eius accidit, ac fassus culpam sibi veniam dari petijt. nec multò post Duces Ottonis insignem de rebellibus victoriam retulere, ipso interea in Ecclesia orante, suamque causam Deo commendante. Cum autem quarto decimo post anno, sui malè memor in gratiam coniugis suæ, socrum Bertam Abbatia Merensteinensi donasset, statim ei filius Luitholphus rebellis factus arma mouit. Adeò verum esse constat, quod de se Deus profitetur: *Glorificantes me glorificabo: qui autem me contemnunt, contemnentur.* Itaque si Carolus Magnus & Otto Magnus cum cognatione sua nunc in terras redeant, & à vobis Austriæ gentis Principibus consulantur, quid esse causæ putent, quòd minus prospero successu aduersus Infideles & Hæreticos rem geratis: equidem dubium nullum habeo, quin statim *anathema in medio vestri* esse suspicentur, vosque rebus relictis omni cura inuestigare moneant, vtrum Ministri vestri, siue suæ vtilitatis causa, siue quòd se bene in rem vestram consulere perperam existiment, rebus sacris manus admouerint & Ecclesiæ hominibus molestiam exhibeant. Quòd si autem & Hæreticorum & Hæreticis credentium atque Acatholicorum, non modo militum, sed & Ducum ac Tribunorum operâ vos vti, ac fidei eorum primaria Christianitatis propugnacula credere audiant, nempe vos pœnas eius rei dare nihil omnino mirentur: quippe qui scriptum sciant Isai. 21. *Qui incredulus est, infideliter agit: &, qui depopulator est, vastat.* Et 1, Reg. 24. *Ab impijs egredietur impietas.* Et Oseæ 4. *Populus tuus, sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti*, id est, ita moratus est, quomodo eos oportet, qui Pontifici non obediunt. quales porrò sint eorum mores, ibidem sic declaratur: *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra eorum.* (nam Sacerdo-

Discite Reges. quid Ministris sacrilegij auctoribus respondeatis.

Austriaci si Carolum & Ottonem Magnos consulant.

Quid responsi accepturi sint.

Hæreticorum auxilio atque opera vtentes plecti mirum non est.

tis labia custodiunt scientiam. *Mal. 2.* hanc autem repellunt isti, & Sacerdoti eos scientiam docenti contradicunt) *Maledictum,* siue vt est in Chaldæo, *periurium, & mendacium & homicidium & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit,* siue vt habet Chald. *& peccatum peccatis aggregant. Perijt sanctus de terra eorum* (Mich 7.) *& rectus in hominibus non est. Qui optimus in eis est, quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sæpe. Nolite ergò credere amico, & nolite confidere in duce,* qui nempe Sacerdoti contradicit. *nam omnes in sanguine insidiantur, vir* siue vnusquisq; eorum *fratrem suum ad mortem venatur malum manuum suarum dicunt bonum. Propter hoc super adolescentulis eius* populi *non lætabitur Dominus* (Isai. 9.) *& pupillorum eius & viduarum non miserebitur: quia omnis* (non tantum *caput & cauda,* siue Magistratus & propheta docens mendacium populumq; seducens, sed etiam subditi tam paruuli quam adulti, tam viri quam mulieres, omnis deniq;) *hypocrita est & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam,* siue, *mendacium.* vt est in chaldæo. hoc est, ad tempus aliquod simulant quidem integritatem & candorem, sed occasionem nacti, aut cùm tanti esse putant, fidem fallere nequaquam religioni sibi ducunt. nam *malus est qui obedit linguæ iniquæ, & fallax, qui obtemperat labijs mendacibus,* siue, qui falsum doctorem sequitur. Prou. 17. *Quod si ergo, viuit Dominus, dixerint: & hoc falso iurabunt* (Ier. 5.) neq; ij modò *pauperes & stulti, ignorantes viã Domini,* sed etiam *optimates qui cognoscũt iudiciũ Dei sui, quorũ domus plenæ dolo, vnde magnificati sũt et ditati, incrassati et impinguati, et præterierũt sermones Dei pessimè. Omnes isti Principes declinãtes* (siue apostatę à maiorũ fide) *ãbulãtes fraudulẽter,* seu, *proditoriè,* vt Lutheri interpretatur: *quibus cũ dixissem: state supervias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, et ambulate in ijs, responderunt: Non ambulabimus,* (Ierem. 6.) *& misi eis prophetas, vt reuerterentur ad dominum: sed hos Protestantes illi audire noluerunt.* 2 Paral. 24. Quam verò parum gratam Deo rem faciant Principes, qui auxilio hominum eiusmodi Sacerdoti contradicentium in bellis quamuis iustissimis & ad coercendos infideles & rebelles susceptis vtuntur *2. Paral. 25.* Amasiæ Regis Iudæ exemplo docemur. Is enim Edomitas rebelles suos armis ad officium redacturus, *mercede conduxerat de Israel centum millia robustorum centum talentis argenti; Venit autem Propheta ad illum, & ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel, non est enim dominus cum Israel & cunctis filijs Ephraim* (quia eiecerunt Sacerdotes domini, filios Aaron, atque Leuitas; & fecerunt Sacerdotes de nouissimis populi, qui non erant de filijs Leui, *3. Reg. 12. & 2. Paral. 13.* suntq;

Deũ offendunt, qui Hæreticorũ auxilijs vtuntur.

absq; Deo vero, &absq; Sacerdote doctore, & absq; lege. *2. Paral. 15.*) *Quod si autem putas in robore exercitus bella consistere, superari te Deus faciet ab hostibus. Dei quippe est adiuuare & in fugam conuertere. Dixitq. Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei: Habet Deus, vnde dare tibi possit multo his plura. Separauit ergo* siue dimisit *Amasias exercitum Hæreticorum, & confidenter eduxit populũ suũ, percussitq. Edomitas.* Nimirum perinde facit qui caussam Dei ope Hæreticorum tuetur, ac si Deo Diabolum adiutorem aduocet, quasi Deus suam gloriam aliter vindicare nequeat, nisi opem ferente Diabolo eiusque filijs. Quod si Carolum Magnum, quæ ipsius sit de fide Hæreticorum sententia, consulatis, ad *septimum Capitulorum* suorum *librum* vos, opinor, remittet, cuius *Capitulo* 401. hæc eius verba lego: Volumus atq; præcipimus, vt omnes suis Sacerdotibus, tam maioris ordinis, quam & inferioris à minimo vsq; ad maximum, vt summo Deo, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, obediẽtes existant. Nam nullo pacto agnoscere possum⁹, qualiter nobis fideles existere possint, qui Deo infideles & suis Sacerdotibus inobediẽtes apparuerint, aut qualiter nobis obediẽtes nostrisq; ministris ac legatis obtẽperantes erũt, qui illis in Dei caussis & Ecclesiarũ vtilitatib⁹ nõ obtẽperant. Potiùs namq; iuxta veritatis vocẽ, ille metuend⁹ est, qui potest animam & corpus perdere in gehennam, quàm ille, qui corpus torquere, & honores temporales potest auferre. De illis dictum est: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et alibi: *Qui vos tangit tangit pupillam oculi mei.* Et iterum: *Qui vos recipit me recipit.* Et multa alia horumque similia. His ergo fulti oraculis iubemus vt omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos & peccatores atque negligentes homines distringuendos (*siue puniendos*) summopere obedientes existant. Qui enim in his, quod absit, aut negligentes eisq; inobedientes fuerint inuenti, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, *licet etiam filij nostri fuerint*, nec in palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris Societatẽ aut communionem vllam habere, sed magis sub magna districtione pœnas luere. In his namque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem ac beneuolentiam: quoniam si hæc fideliter & vtiliter impleuerint, tunc Deo & nobis fideles erunt. Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solum Infideles, sed etiam *infames* atq; reprobi ac manifestè apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, & ipsi exiliabuntur.] *Hæc Carolus ille Maximus.* Ceterùm quibus,

Hæreticorum auxilium est auxilium Diaboli

Caroli Magni sententia de fide Hæreticorum & Sacerdotib⁹ inobedientium

Hæc nempe Carolus V. magno malo suo vera esse sensit.

Intelligite Reges, & erudimini, qui iudicatis terram.

Sacerdotibus Inobedientes declarãtur Infames.

quibus, & quantum, tutò credant Reges ac Principes(nec enim Hæretici & qui eis credunt eodem ordine habendi sunt, atque adeo nec discipulis falsorum Doctorum idem omnibus ἦθος & ingenium esse solet, multiq; naturæ bonitate vincuntur, vt viuant melius quàm credant, quamq; uiui oportere existiment) partim ea quæ supra exposui significant, partim *consultatio* mea *de Germaniæ statu*, quò propriè omnis hæc disputatio pertinet, distinctius exequitur. Hoc loco satis esse debet, quod eos qui Catholicos pro Antichristianis habent, eorumq; potentiam ac prosperitatem Deo ac veræ Religioni aduersari persuasum habent nisi sint ipsorum Catholicorum Principum subditi, non satis tutò rebus gerendis adhiberi, multò minus autem præfici, & vel hac vna in re, cur sæpe spe vestra frustraremini, satis causæ fuisse ex Sacrarum literarum auctoritate, & prudentissimi, maximiq; Imperatoris sententia demonstraui.

CAPVT CXIII.

Nimia fiducia in causæ bonitate suisq; viribus quantum hominibus noceat.

QVid autem si hoc quoq; vsuuenit, vt siue vos, siue maiores vestri plus quàm par esset causæ, quam tuebamini, iustitia freti, ac viribus copijsq; vestris cõfisi, Hæreticos ac rebelles vestros ad pœnam expeteritis: num tandem videri nouum debet, minùs ex sententia vobis processisse? Quid enim refert causam iustam, atq; adeo ipsius Dei honorẽ armis vindicari, si Dei honos interea cum re creata quacumq; communicetur? quod ab illis fit, qui suas vires ad reportandam ab hoste victoriam solas sufficere existimant, aut certè Deo soli, nisi ipsi annitantur, non satis virium esse arbitrantur. Itaque exercitus Israeliticus *Iudic. 20.* quamuis causam iustissimam ipsius Dei mandato bello prosequerentur, bis nihilominus à Beniamitis cæsus & in fugam versus fuit. *Erant enim in fortitudine ac numero confidentes*, ac dubium prorsùs nullum habebant, cum ipsorũ essent quadringenta millia, Beniamitarum verò nonnisi viginti quinque millia & septingenti, quin victores discederent. Quamuis ergo Dei oraculum priùs consuluissent, quam pugnam inirent, non tamen quæsiuerunt, vtrum Dominus secum esse, siue victoriam tribuere ipsis vellet, (quippe quam exploratam ac domi conditam habere sibi videbantur) sed hoc modò, quamnam tribum principatum & summũ Imperiũ in eo bello obtinere vellet. Suo ergo malo docti sunt, *equum quidem parari ad diem belli, sed Dominum esse, qui salutem ac victoriam tribuat.*

tribuat. Prou. 21. Fortis nimirum Zelotes est Dominus, qui *gloriam suam nequaquam dat alteri*. Is. 48. ac propterea Gedeoni de XXXII. hominum millibus, quæ aduersus CXXXV. millia Madianitarum coegerat, non nisi trecentos permisit, quibus hostes conficeret: *Multus tecum est populus* (inquit Gedeon Iudic. 7.) *nec tradetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Israel, & dicat: Meis viribus liberatus sum.*

Fides in Deum est, quæ bella conficit.

Sed, si verum quærimus, nihil est, quod homines, etiam pios, pro iustissima causa propugnantes, in bello magis vel iuuet, vel victoria frustretur, quàm si vel multum, vel parum de Dei potentia & opis ferendæ facultate sibi polliceantur: *Fides tua saluam te fecit*, ait mulieri Christ⁹, à qua tanta potentia affectus credebatur, vt vel contacta fimbria vestimenti eius à morbo se liberatum iri nihil dubitaret. *Matth. 9.* Tanquam diceret Christus: Non tam mea omnipotentia, quam fides tua, quam me omnipotentem credidisti, te sanauit. nam si non credidisses, sanare te non potuissem. Sicut mox eodem capite, cum duo cæci visum sibi restitui petijssent, *Creditis* (inquit) *quia hoc possum vobis facere? Si creditis secundum fidem vestram fiat vobis.* Et Marci 9. viro illi, cuius filius à Spiritu muto vexabatur, cùm dixisset, *si quid potes, adiuua nos misertus nostri.* Ex quibus dubitatio eius vel modica fides tam de eo quid posset, quam quid vellet Christus, perspicitur. Sed de voluntate dubitare, culpa ferè caret. Itaq; Christus fidem tantùm de sua omnipotentia requirens, *si potes* (inquit) *credere, omnia possibilia sunt credenti.* Et Marci 5. Iairo, cui obitus filiæ nunciabatur, ac simul ne Christo frustra molestus esset suadebatur: *Noli timere* (inquit) *tantummodo crede.*

Fides de omnipotentia Dei quam sit efficax.

Sed Centurio ille itemque leprosus *Matt. 8.* tametsi maximam de omnipotentia Christi fidẽ haberent, de voluntate tamen eius adhuc dubitabant: *Domine, si vis* (ait leprosus) *potes me mundare.* Chananæa verò mulier illa *Matth. 15.* cuius filia à dæmonio vexabatur, parem de voluntatẽ ac potentia Christi fidem habebat, itaque nec silentio, nec repulsæ Christi cessit, adeoque audire meruit: *O mulier, magna est fides tua fiat tibi sicut vis.* Petrus verò *Matt. 14.* iussus à Christo ambulare super aquas, *cùm videret ventum validum* de potentia Christi dubitauit & in fide infirmus factus fuit, ac propterea mergi cœpit. Similiter Moyses *Num. 20.* iussus à Deo virga petram percutere ad eliciendam aquam, de potẽtia Dej dubitans, semel frustra percussit, neq; nisi recollecto fidei robore & ictu repetito aquas eduxit. Itaque negat eum Deus sibi credidisse, sed *incredulum fuisse, neq; se coram multitudine sanctificasse.* Tres autem viri illi *Dan. 3.* de potentia

Etiamsi cum dubitatione de voluntate Dei coniuncta sit.

tentia Dei maximam fidem habebant, quamuis de voluntate incerti essent. *Ecce Deus noster, quem colimus* (inquiunt Regi) *potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, tamen notum tibi sit, quia Deos tuos non colimus.* Hac autem tanta sua fide *extinxerunt impetum ignis*, velut Apostolus ait *Hebr. 11.* quo loco etiam docet, *Fidem, ex qua iustus viuit*, siue iustificantem (de illa enim loqui illum ex clausula capitis decimi, & principio vndecimi satis manifestè perspicitur) etiam ad victoriam armis parandam valere. *Deficiet me tempus* (inquit) *enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, Dauid, Samuel, & prophetis, qui per fidem deuicerunt regna, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Neque tamen non nisi sancti & pij homines fuerunt, qui per fidem, quam de Dei omnipotentia habebant, res tam ingentes patrarunt. nam eorum quoque habemus exempla qui quamuis vitam ac mores suos Deo minûs probarent, aut etiam grauissimis suis sceleribus eius iram in se commouissent, fidei tamen magnitudine admirandam ab hoste victoriam retulerunt. Exempli gratia. *Abia* Rex Iuda, de quo testatur scriptura 3. Reg. 15. *ambulasse eum in in omnibus peccatis patris sui, qui dereliquerat legem Domini* (2. Paral. 12.) *nec fuisse cor eius perfectum cum Domino, ac tolerasse Sodomiam publicam & participem fuisse Idololatriæ, passumq; esse, vt vxor sua Priapi Sacerdos esset eiusq; simulacrum turpissimum religiose coleret*, hic ergò Rex per fidem exercitum Ieroboami Regis Hæretici, octingentis millibus electorum & ad bella fortissimorum militum constantem profligauit & quingenta millia ex ijs occidit. Cuius verba, quibus Israelitas hostes ante prælium compellauit, audire est operæ pretium. 2. Par. 13. *Num ignoratis* (inquit) *quod Deus dederit regnum Dauidi super Israel in sempiternum? Nunc ergo dicitis, quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios Dauid: habetisque grandem populi multitudinem atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in Deos: & eiecistis Sacerdotes Domini filios Aaron atque Leuitas, & fecistis vobis ipsi Sacerdotes: Noster autem Dominus Deus est, quem non relinquimus: Sacerdotesq; ministrant domino de filijs Aaron, & Leuitæ sunt in ordine suo: holocausta quoq; offerunt Domino per singulos dies. Ergò in exercitu nostro Deus est & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis & resonant contra vos. Nolite ergo pugnare contra Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit.* Hæc magna profectò fides fuit, Regis, qui nihilo ipsis Israelitas & eorũ rege Hæretico melior erat, nisi quod simul cum Hæresi, siue Ido-

Etiam minus pij & impij per fidem de Potentia Dei miraculosas victorias obtinent.

Idolatria, veterem quoq; & Catholicam Religioné tolerauit, & Sacerdotes legitimè ordinatos secum habuit. Eius filius *Asa* quamuis longè patre melior, *Excelsa* tamen *in Israel dereliquit* 2 *Par.* 15. (quod perinde ferè est, ac si hodie Catholicus quispiam Princeps ciues quidem & agricolas ad Ecclesiæ communionem redigat, Equestrem verò ordinem Regulosq; prouinciæ, quo minùs quod quisq; velit credat, non impediat.) nihilominus per fidem quam de potentia Dei habebat, decies centena hostium millia aggredi nihil dubitauit. *Domine* (inquit in oratione sua) *non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus. Adiuua nos Deus noster, in te enim & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es: non præualeat contra te homo.* quasi dicat: Nos quidem neque ipsi hosti virib. pares, neque quorum causa miraculum facias, quibusq; victoriam tribuas, digni sumus: sed agitur hoc bello potiùs de nomine tuo quam de nobis. Si enim nos vincamur, scandalũ accipiẽt cum hostes, tũ alij, putabuntq; nostram religioné esse falsam, siue, te, qué colimus, non esse Deũ omnipotentem. Potes ergo nos propter peccata nostra alio tempore & modo punire: nunc auté existimationi & honori tuo consule. Hoc erat *corde perfecto in Deum credere*, & per fidem hostes vincere, velut Deus ipse per prophetam 2. *Par.* 16. Regi Asa testimonium perhibet. Quis autem Rege *Achab* magis impius & sceleratus commemorari potest? Is tamen cùm credidisset Deo, siue, maximã de Dei potentia & auxilij ferendi voluntate fidem habuisset, duabus vicibus ingentem Regis Syriæ exercitum, in quo triginta duo Reges auxiliarij numerabantur paucis copijs, *quasi duobus paruis gregibus caprarum* (apparet fuisse tantùm septem millia) vicit, profligauit, in fugam vertit, centum millia occidit, ipsum quoque Sijriæ Regem cepit. Ergò, dices etiam Hæreticis nonnunquam victoriam Deus largitur quid ni? Sed nempe cùm gloria Dei agitur, queadmodũ hoc bello erat. Rex enim Syriæ infidelis, siue ethnic⁹ erat, Achab verò Hæreticus quidé. sed tamen Israelita, qui *claudicaret in duas partes*, & tam Deum Israelis, quam Idolum Baal coleret. 3. Reg. 18. 21. Itaq; si vicisset Rex Syriæ, non minus aduersus Deũ Israelis, quam aduersus Baal gloriatus fuisset, quasi neuter De⁹ suis viribus resistere potuisset. Deus ergo nõ propter Achabũ, sed propter se ipsum & gloriam suam, vltione peccatorũ Achabi in aliud tẽpus prolata, victoriã Israelitis tribuit, velut ex scripturarũ contextu manifestum est: *Dixerunt Syri: Dij montium sunt Dij Israelitarum, ideò superarunt nos* (id est, non ideò quod Deus

Hæreticis quãdo Deus victoriam tribuat.

Israelitarum

Iſraelitarum ſit potentior Deo noſtro, nos in priore prælio ſuccubuimus, ſed quia montibus defenſi vel audiuti fuerunt, vbi nos copias noſtras explicare non potuimus, aut etiam quia peculiares Deus ipſorum in montanis vires habet) *ſed melius eſt, vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos. Accedens ergo propheta ad Regem Iſrael dixit : Hæc dicit Dominus, quia dixerunt Syri : Deus montium eſt Dominus & non Deus vallium : dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & ſcietis quia ego ſum Dominus.*

CAPVT CXIV.

Eſt ergò hæc prima cauſa, cur Deus etiam ijs, qui non modò non perfecti, ſed etiam atrocibus ſceleribus cooperti ſunt, victoriam aduerſus infideles pugnantib⁹ impertiatur, ne ſcilicet opinio diuinitatis ac potentiæ ſuæ inter homines minuatur; quam cauſam etiam *Deut.32* legimus : *Incraſſatus eſt dilectus populus & recalcitrauit, receſſit à Deo ſalutari ſuo* (deſeruit veterem religionem, ſi minùs totam ſaltem magna ex parte,) *Immolauerunt Dijs, quos ignorabant, qui noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus eſt, & ait : Abſcondam faciem meam ab eis : in gente ſtulta irritabo illos* (id eſt, dabo victoriam hoſtibus eorum, qui adhuc ſunt ſtultiores ipſis.) *foris vaſtabit eos gladius & intus pauor. Sed propter iram inimicorum diſtuli ne forte ſuperbirent hoſtes eorum & dicerent : Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Et Iſai 48. *Audite hæc qui vocamini nomine Iſrael, & de aquis Iuda exiſtis : qui iuratis in nomine Domini non in veritate neque in iuſtitia. De ciuitate. n. ſancta vocati ſunt, & ſuper Deum Iſrael conſtabiliti ſunt* (quaſi hodie quis dicat de Hæreticis : Vocantur nomine Chriſti & baptizati ſunt ac profitentur Chriſtum, ſed perperam : nomen Eccleſiæ ſibi vindicant ſeque ſuper Chriſtum fundatos eſſe & in ipſo fiduciam omnem habere vanè gloriantut) *ſcio quia præuaricans præuaricaberis* ſiue præuaricari in fide ſoles, *& transgreſſorem ex vtero vocaui te,* quia adhuc puer Hæreſin didiciſti, adeoq; pertinaciter eam tueris. Nihilominus *diligens te feci voluntatem tuam ſuper Babylonem, vt auferrem ſemen Chaldeorum* (ſic enim habent 70. Interpret. q. d. Etiamſi Hæreticus es, tamen quaſi te diligerem feci, quod voluiſti, vt Turcos ſcilicet prælio vinceres) *Propter nomen meum longè faciam furorem meum* (non patiar te à Turcis ſuperari) *& laude mea infrænabo te, non permittit.*

Prima cauſa cur Deus etiam impijs victoriã tribuat.

Ne infideles Dei potentiam contemnant.

Gloria ſua Deus conſulit cum impios ab Infidelib9 ſuperari non permittit.

te, ne intereas. *Ecce excoquam te, sed non quasi argentum, eligam* vel electum reddam *te in camino paupertatis* (quasi dicat: merebaris quidem vt te à Turcis superari & prorsus deleri permitterem: Sed quia Turcæ nomen meum blasphemarent, si Hereticis quidem, tamen nomine saltem Christianis superiores extitissent, propterea tibi victoriam quidem tribuam, sed egestate tamen te puniam) *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri* (Mahometo) *non dabo.* Nimirum quando siue impij Catholici, siue Hæretici armis se contra Infideles tuentur, habent cur bene de victoria sperent, neque quicquam aduersi timeant, quamuis etiam nulla Hæresios aut aliorum peccatorum pœnitentia ducantur. *Attendite omnis Iuda & tu Rex Iosaphat* (ait propheta 2. *Par.* 20.) *Hæc dicit Dominus vobis. Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem* (quamuis tu rex *iram Domini merebaris, præbendo eius inimicis auxilium,* & contrahendo cum Hæreticis amicitiam filioq; tuo Hereticam vxorem dando. 2. Par. 19. & *non auferendo excelsa.* 3. Reg. 32. 44. quamuis etiam vos Iudæi *adhuc sacrificetis in excelsis.* 3. Reg. 32. ac *nondum direxeritis cor vestrum ad Dominum Deum patrum vestrorum* siue nondum ex Hæresi ad veterem religionẽ vos conuertere cogitetis. 2. Par. 20. 33. tamen non est, quod fidem de potẽtia Dei dimittatis & de victoria desperetis) *non est enim vestra pugna sed Dei. adeoq; nec vos eritis qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state & videbitis auxilium Domini super vos.* Alia causa, cur Deus etiam impijs & mediocriter tantum bonis victoriam largiatur, neque propter peccata eos in bello puniat, hæc est, quam Propheta reddit 2. Par. 19. *Iram quidem domini merebaris,* ô Iosaphat, *sed bona opera inuenta sunt in te.* Quæ autem? *Primùm* ambulauit in vijs Dauid primus, & non sperauit in Baalim sicut eius maiores aliquot fecerant. *Deinde* sumta audacia propter vias Domini, siue propter veram religionem animosior redditus, lucos sustulit, quod perinde est ac si Ecclesias Lutheranorum incendio consumpsisset. *Præterea* misit Sacerdotes cum libro Legis per cunctas vrbes suas, vt docerent populum, & ad Deum patrum suorum, siue ad veterem religionem reuocarent quibus etiam auctoritatis & securitatis causa Principes siue Magistratus sæculares adiunxit. *Adhæc* Tribunal supremum emendauit, & Proregem in Iurisdictionem Ecclesiasticam inuadere, ijsq; causis quæ ad Deum pertinent admiscere se vetuit. Summum verò consilij Præsidem, Pontificem constituit, & Sacerdotes ac Leuitas Consiliarios, siue Assessores, simul cum sæcularibus Laicis creauit, quemadmodum

Secunda causa cur etiam impijs Deus victoriam tribuat. Si habeat quædam bona opera.

1\.
2\.
3\.
4\.

modum

modum Deus *Deut.16,18.*& *Deut.17,9.* & *12. Deut. 19,17.* præceperat. *Postremò* vt accepit nũcium de hostium aduentu, humiliauit se coram Deo, prædicando siue indicendo ieiunium vniuerso populo ac publicè Deum orando, & virium suarum imbecillitatem confitendo. *In nobis quidem* (inquit) *non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt Oculos nostros dirigamus ad te.* Huiusmodi ergo bona opera iram Dei, quam grauissimis illis peccatis suis, fœdere nempe cum Hæretico Rege inito, & data filio suo vxore Hęretica, excelsisque non sublatis meruerat, mitigarunt. *Fides* autem de potentia Dei miraculosam victoriam obtinuit: *Credite*, inquit ad populum suum, *in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera.* Sed etiam vbi tot bona opera non sunt, sola humiliatio Deum placare & pœnam commeritam amoliri potest, velut 2. Par. 12. legimus. *Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Regis AEgypti. Consternatique Principes & Rex dixerunt: Iustus est Dominus. Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeian: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis paulum auxilij. Et auersa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: Siquidem in Iuda inuenta sunt opera bona.* quę nam? primùm adhuc habebant secum Sacerdotes legitimè vocatos, qui quotidie Deo sacra faciebant, quamuis etiam Idola colerẽt, & Sodomiam tolerarent. deinde, quia, quamuis pœnitentiam non agerent, *delictum* tamen *suum cognitum fecerunt, & iniustitiam suam non absconderunt*, siue, non defenderunt peccata sua, sed fassi sunt: quod humilitatis genus per se solum ac sine emendationis proposito ad auertendas huius vitæ calamitates satis efficax esse solet. quemadmodum etiam Achab. 3. Reg. 21. audita Dei comminatione ob cædem Naboth, *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco & ambulauit demisso capite*: ac tametsi nullam Idololatriæ suæ pœnitentiam ageret, Deum nihilominus placauit, & ab eo temporalis pœnæ remissionem obtinuit. *Factus est sermo Domini ad Eliam: Nonne vidisti humiliatum Achab, coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Hinc discimus, si quando Rex quispiam aut Princeps Catholicus, pro Catholica Religione aduersus Infideles aut Hęreticos, maximè subditos suos, propugnans, iram Dei meruisse se recordatus, tantùm fateatur, malè se fecisse, neque peccatum defendat, etiamsi propositum ab eo peccato abstinendi non habeat, satis tamen esse causæ, cur Victoriam sine omni prorsus dubitatione sibi despondeat.

5.

Ira bonis operibus mitigatur. Fide autem Victoria paratur.

Sola etiam humiliatio iram Dei mitigat.

Humiliatio externa, etiam nõ acta pœnitẽtia, Deum placat.

Catholici quomodo aduersus Hæreticos & Infideles Victores fieri possint.

Primum si faciant, ut pugna sit Dei, in ipsum credendo.

deat. nam primum pugna Dei est, nō ipsius: propter quam causam exemplo Iosaphat nihil metuere debet, qnamuis ab omnib⁹ belli subsidijs turpiter imparatus, atq; etiā sua culpa neq; opibus neq; copijs satis instructus sit, sed velut Achab *cum paruulis suis gregibus caprarū ex aduerso proficiscatur, etiamsi hostes repleant terrā* (3. Reg 20.) & sicut Iosaphat *stet tantùm confidenter & credat in Domino.* Ezechias quidem sua culpa & nimia credulitate, siue imprudentia, non solum quas in fisco suo habebat pecunias, sed etiam omne argentum, ꝙ repertum fuerat in domo Dei, imo etiam ipsas valuas templi Domini & laminas auri refixas Regi Assyriorū miserat, vt ab eo pacē redimeret, adeoq; ad summam rei nūmariæ difficultatem, vel potiùs egestatē redactus fuerat, nihilominus quia in Deo credidit, cuius causam in bello, ꝙ ipsi Rex Assyriæ inferebat, agi non ignorabat (*saluos nos fac de manu hostis*, ait ad Deum, *vt sciant omnia regna terræ, quia tu Dominus Deus es solus*: & ad populum: *Viriliter*, inquit, *agite, nec paueatis Regē Assyriorū cum vniuersa multitudine, quæ est cū eo, multò enim plures nobiscu sunt, q̄ cum illo. Cum illo enim est brachiū carneū: nobiscū Dominus Deus noster, q auxiliator est noster, pugnatq; pro nobis*) ꝓpterea venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorū centū octoginta quinq; millia. Quæ. a. res tam admirabilem victoriam peperit, siue, ob q̄ causam Deus Ezechię, qui merito imprudētiæ suæ, quodq; necessarijs belli gerendi præsidijs atq; neruis, pecunijs videlicet, se ipse spoliasset, pœnas luere debebat, aduersus hostes opē tulit? In Ezechia quidē causa fuit fides de omnipotentia Dei, velut modo ex verbis eius cōstitit: in Deo verò Zelus glorię suæ, & amor Dauidis. *Protegā ciuitatē istā, vt saluē eam ꝓpter me & ꝓpter Dauid seruū meū. Despexit quidē & subsannauit te Rex Assyriorū, filia Sion: sed reuera mihi exprobrauit, me blasphemauit & super me exaltauit vocē & leuauit altitudinē oculorū suorū.* quasi dicat: mea hæc est pugna, non vestra. Itaq; nihil nunc attinet, considerare, vtrum vos extraordinario & miraculoso auxilio digni sitis, qui ordinaria media siue belli instrumenta imprudenter è manibus dimisistis & velut intecta latera hosti obtulistis. Potestis alio quouis tempore ob errorē istum plecti: nunc autem fieri nequit, vt ab hoste superemini, nisi cum existimationis & glorię meę detrimento. nam videbor non potuisse seruare ꝙ Dauidi ꝓmisi, neq; vos à Rege Assyriorum liberare. *Propter me igitur, ꝓpter me faciā, vt non blasphemer, & gloriā meā alteri non dabo*]

Ezechias meruerat ab Assyriis vinci.

Nihilominus Assyrij fuerunt cæsi.

Propter Fidem in Ezechia. Et propter Zelum gloriæ suæ ac Dauidis amorem in Deo.

Alius modus quo Catholici Victoriam conficere possunt.

Aliā causam, Rex aut Princeps Catholicus, quamuis iram Dei peccatis suis ꝓmeritus, & prorsùs ab omnibus rebus imperat⁹ ex bello, in quo gloria Dei agitur, Victoriam sibi certissimo pollicendi, neq; quicq̄ Hæ-

reticos

reticos aut Infideles, eorumq; vires & copias pertimescendi hanc habet, quod in eo inueniuntur bona opera, & v. g. habet secũ Sacerdotes & Leuitas, qui, licet minùs innocentes, *colunt Deũ patrũ suorum, clanguntq; tubis & resonant cõtra hæreticos*, quæ res Regi Abiæ, vt supra dixi, victoriæ fiduciam prębuit: item peccata sua si minùs palam confitetur, & emẽdare constituit, saltem non excusat nec defendit. nam vel in hoc satis momenti esse ad differendam peccatorũ pœnam, Robami exemplo iam didicimus. Sed nullum commemorari bonum opus potest, quod plus Regi Catholico ad victoriam obtinendam suffragetur, quàm maxima fides de potentia Dei, & prompta pro honore Dei depugnandi voluntas. *Oculi enim Domini* (ait Hanani Propheta 2. Par. 16.) *contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Hi in curribus, & hi in equis* (Psal. 19.) *nos autem in nomine Dei nostri recordati sumus. Ipsi incuruati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus.*

Fides omnium operum bonorũ ad reportandã Victoriam efficacissima.

CAPVT CXV.

Causa omnium eorum, quæ Carolus V. in religionis negotio peccauit.

HÆc si bene didicissent illi, qui *Carolo V. Cæsari* à Consilijs fuerunt, aut quorum ille Consilijs plùs vti ferè necesse habuit (nam sanctissimas eius cogitationes aliena plerumq: cõturbauit ambitio, velut in consultatione de Germania demonstraui) nę nos hodie vix vlla Hęresis vestigia videremus, neq; vos, Augusti Principes, tot subditorum vestrorum rebelliones exercerent, atque à fide Christi inter Infideles propaganda retardarent. Si enim verum dicere velimus, *Modica fides* de Dei auxilio, siue *Diffidentia* aut *Incredulitas* omnium eorum, quæ à Carolo in Religionis tuendæ negotio peccata sunt, causa fuit. Nisi enim Consiliarij ac Ministri eius magnopere metuissent, ne vires eius tantæ non essent, quibus Dei gloriam & Catholicam religionem aduersus Germanorum Principum potentiam tueretur, omnium primùm nequaq̃ incolumẽ Wormatia discedere Lutherum permisisset, sed velut Hæreticum conuictum & condemnatum vel propterea, quod is Witteberga Vormatiam iter faciens cõtra quàm Cæsar in diplomate salui conductus edixerat, cum alibi, tum Erfurdiæ (teste *Matthæo Dressero* Erfurdiensi Lutherano in Germaniæ vrbibus pag. 247.) conciones habuerat, multosque in Hæresin suam pellexerat, summo supplicio affecisset: deinde non passus fuisset anno 1530. Confessionem Lutheranorum in Comitijs Augustanis palàm recitari, neque

Menda aliquot siue errata actionum Caroli V.

1.

2.

neque pertinaces Hæreticos incolumes inde abire , seque ad bellum
3. ciuile comparare. tum anno 1531. non fecisset cum Lutheranis indu-
cias, neque suspendisset executionem decreti Comitiorum aduersus
4. ipsos facti: multò minùs anno 1532. edicto publico pacem Lutheranis
Noribergæ dedisset , vt ab ijs aduersus Turcam auxilia impetraret:
5. sed neque anno 1541. eundem ob finem priuatis literis Ecclesię & Ca-
tholicorum Imperij ordinum Protestantibus prodi permisisset, sus-
penso Augustanorum Comitiorum decreto , & admissis in Spirense
6. Imperij Tribunal Hæreticis: neque anno 1542. copijs Imperij aduer-
sus Turcam missis Ioachimum Electorem Brandenburgensem Lu-
7. theranum, Ducem præfecisset : neque anno 1543. cum Angliæ Rege
schismatico aduersus Gallum fœdus fecisset, nec etiam cùm Bonnam
8. venit , *Hedionem & Bucerum* Hęresin ibi docentes, incolumes dimitti
9. passus esset : & anno 1544. nequaquam Ferdinandi fratris causa, vt is
Rex Romanorum ab omnibus haberetur, eique auxilia aduersus Tur-
cam decernerentur, publico decreto Lutheranis libertatẽ Religionis,
& ius vtendi raptis Ecclesiæ bonis locumque in Spirensi camera tri-
buisset , cùm præsertim Catholici ordines omnes vehementer con-
10. tradicerent: neque anno 1546. bello Lutheranis illato negasset se per-
tinaces Hæreticos & sacrilegos Ecclesiarum ac Monasteriorum prę-
dones ad supplicium expetere, sed rebelles tantùm & læsæ, non diui-
næ, sed humanæ, siue Cæsareę Maiestatis reos in ordinem velle redi-
11. gere , neque Hæreticorum Principum auxilijs aduersus hostes vsus
fuisset, ijsque suę Religionis, siue perfidiæ, liberum in castris suis exer-
12. citium permisisset: neq; victoria postea potitus, rebelles, Sacrilegos &
Hęreticos in gratiam recepisset, nec Wittebergę & Lutheri sepulchro
ibi pepercisset , quę res quanto multis scandalo fuerit, ex his *Matth.*
13. *Dresseri* verbis in Wittebergæ descriptione apparet pag. 615. & seqq.
Quid tam (*inquit*) mirum est, quàm victorem Cęsarem victę vrbi, quę
omnium Hęresion sentina putabatur, adeò pepercisse, vt ne lapidem
quidem loco mouerit ? Hispani quidem in arcis templo in Lutheri
sepulchrum insultarunt, sed effodere tamen illud ausi non sunt. Imò,
cum Cęsar sepulchro Lutheri insisteret, & Hispani corporis effosio-
nem atque concremationem impensè vrgerent, Carolus V. fide dignis
testibus id referentibus, dixit: Sinite ipsum quiescere vsque ad diem
resurrectionis iudicij omnium. Quòd verò Cęsar in tanta victoria
hanc vrbem lędere veritus est, id absque dubio fecit, motus quadam
reuerentia erga domicilium Musarum & Religionis sacratissimum:
quemadmo-

quemadmodum Alexander Magnus Iaddi Sacerdotis ſummi & Col-
legij ſancti reuerentia adductus Hieroſolymis olim pepercit.] In
his verbis quæ de Caroli verbis narrat , non facile mihi perſuade-
ri patior , qui penes me habeam nobilis cuiuſdam Saxonici de Saxo-
niæ ſtatu relationem ante hos XIII. annos ſcriptam, in qua & hæc
ſunt: Cognoui ex quodam mercatore Italo Semicatholico, witteber-
gę commorante, Hiſpanũ militem, qui cum Carolo V. wittebergam
venit, quęſitum cadauer Lutheri in tumba non reperiſſe: ne tamẽ abſ-
que mulcta maneret infamis locus , erecto ſuper eam quaſi paruo pa-
tibulo ad ventris exonerationem ſimul accommodato ex eo publi-
cam cloacam feciſſe. Irridet etiamnum hic Mercator Lutheranos, ait-
que ſe meliùs ſcire, quid in tumba illa lateat , quàm ipſi. nam fuerat
& ipſe miles ea tempeſtate. Et reuera ſub illo lapide non eſt Luthe-
ri corpus, ſiue à ſuis ſectatoribus aliò tranſlatum , ne cremaretur ab
Hiſpanis, vt Lutherani credunt , ſiue à Diabolo ablatum , quod eſt
veriſimilius.] Sed quidquid ſit de Lutheri cadauere (nam nec ego,
nec Michaël Archangelus cum Diabolo eo nomine diſputantes alter-
cabimur) illud dubitationem nullam habet, ex eo quod wittebergę
pepercit Carolus, Hęreticos *ad ruinam ædificatos* (quemadmodum Ter-
tullianus loquitur) ſiue in errore ſuo non mediocriter confirmatos
fuiſſe, quaſi Deus , in cuius manu cor Regis eſt, in hoc Euangelij ſui
domicilium non ſęuire Carolum permiſerit. Sed etiam niſi Germa- 14.
norum Principum offenſam excipere metuiſſet, nequaquam *Mauri-
tium Saxonem*, hominem verſipellẽ, & ab ipſis Lutheranis, vt Sleidanus
ſcribit, violatę fidei proditę religionis & ſummę ingratitudinis palam
editis libellis inſimulatũ, Electori à ſe deuicto ſucceſſorẽ dediſſet, nec
ſupremam totius Imperij dignitatẽ, & ſolo Cęſario faſtigio humilio- 15.
rẽ, cooptando Hęretico profanaſſet; multò minùs autẽ *tranſtuliſſet ter-
minos*, hoc eſt, in Põtificis prouinciam inuaſiſſet, Religionis formulam,
quę INTERIM dum Conciliũ Tridentinum finẽ caperet, ab omnibus in 16.
Germania obſeruaretur pręſcribẽdo: minimè verò omniũ *Tranſactionẽ*
illam *Paſſauiẽſem* anno 1552. extorqueri ſibi paſſus fuiſſet, qua Landgra-
uio, perduelliũ duci atq; auctori, libertas, Lutheranis aſſeſſoribus in ſu-
premo Imperij tribunali locus, ſacrilegis Eccleſiarũ occupatoribꝰ im- 17.
punitas dabatur. Cùm etiam eodẽ tempore *Auguſtæ Vindelicorum* Reip.
formam ſuo arbitratu conſtitueret, nequaquam Prædicantes, qui Hæ-
reſin docerent, ibi toleraſſet , quod eum feciſſe , & magnas ab Hæ-
retico populo gratias iniſſe his verbis Sleidanus commemorat : *Cæſar*

dies aliquot Augustæ commoratus priorem Reipubl. formam & senatum à se constitutum restituit, & è ministris Ecclesiæ tres remouet, aliis autem, vt iuxta Confeßionis Augustanæ formulã doceant & agant, permittit. Ea res pro concione
18. *recitata, magnam excitauit lætitiam.* Sed nulla ex re, quam parùm in Deum fiduciæ tum habuerit Carolus, æquè manifestè apparet, atque ex transactione illa, quam cum *Alberto Brandeburgico* tæterrima illa Germaniȩ peste eodem anno fecit distinctiùs sciatur, operæ pretium fuerit, Sleidani de damnis, quæ Furia illa Ecclesiasticis, nullam aliam ob causam, nisi quia belli pro Lutheranismo aduersus Cȩsarem suscepti participes esse nollent, intulit, narrantem audire: *Vicinis* (inquit) *ex Nobilitate & aliis, iam ante, nisi parerent, bellum denuntiauerat, inprimis autẽ Episcopo Bambergensi & VVirciburgico, quos etiam in hoc rerum statu ad grauißimas conditiones adegit. Et Bambergensis quidem, vt se suamque prouinciam periculo iam imminenti subduceret, pacem ab eo maximis iacturis redemit. nam suæ ditionis oppida & præfecturas ad viginti coactus fuit ei dare, confectis ea de re literis, simulque clientelas & benefaciarios omnes ei permittit. VVirciburgicus autem aureorum millia ducenta viginti dependit, & simul eius debita, quorum erat summa circiter trecenta quinquaginta nummûm aureorum millia, in se recipit & persoluere pollicetur. De hac transactione vt audiuit Cæsar, illam rescidit, & Episcopis ne seruarent mandauit, propterea quod esset mali res exempli, cogere aliquem Imperata facere propter officium Cæsari præstitum & Imperio. Sed cum postea Albertus cum Cæsare Metim obsidente aliter pacisci non vellet, nisi pactiones illæ iuberentur esse firmæ, haberetque 50. signa peditum, & equitatum non paruum, Cæsar vt eum in suas partes perduceret, obsecundans tempori, culpam omnem ei condonat, & actionem in eum institui belli causa vetat, & transactionem cum Episcopis factam confirmat.* Veritus scilicet fuit Carolus, ne Deus satis virium non haberet ad tuendam causam suam, nisi ei Diabolus eiusque milites, nempe Hæretici opem ferrent. quare statim *factum est ei secundum fidem suam*, hoc est, nulla re memorabili gesta, imò propè tertia exercitus sui parte desiderata, cum haud exigua honoris sui sugillatione Metensem obsidionem soluere necesse habuit. Quæ postea fuerunt consecuta, non tam ad Carolum iam de actorum pœnitentia meditantem, quàm ad fratrem & Collegam, vel potius successorem *Ferdinandum* pertinent, cuiusmodi est illa tantopere celebrata *Pax Religionis*, omnium tam Lutheranorum, quàm Catholicorum Imperij ordinum consensu, in Comitijs Augustanis anno 1555. sancita, quȩ non modò Hæresios professionem & retentionem Ecclesiasticorum bonorum sacrilegè

Caroli V. modica fides.

Ob eam punitus.

Egit pœnitentiam.

Ferdinandi Cæsaris errata in negotio religionis.

raptorum

raptorum liberam omnibus faceret, & Ecclesiasticis Hæresin amplexuris honorem saluum fore caueret, sed etiam omnem Iurisdictionem Episcopis in Lutheranos eriperet, hoc est, Pastores munere suo fungi & potestate à Deo accepta vti prohiberet. Neque verò dubium habeo, quin *Matthias Heldus* Cæsaris Caroli Consiliarius pro summo suo Catholicæ fidei Zelo & Heresion odio, maturè officij Cæsarem admonuerit, & quanta in eiusmodi actionibus peccarentur, quamque parùm ex sententia propter Dei offensam res euasurę essent, fideliter exposuerit. sed quia Ferdinandus Rex Vngariam opem ferentibus Lutheranis tueri, & Imperium in se ac filium transferre iam diu imbiberat, adeoque multa Lutheranorum gratiæ danda iudicabat, perfecit Grañuellani opera, vt Cæsar tam spectatę fidei consiliarium à se dimitteret: qua de re Sleidanum audire satius fuerit: *Gliscebat* (inquit) *inter Granuellanum & Heldum æmulatio quædam atque simultas, quæ tandem hunc exitum habuit, vt Heldus loco summotus curia decederet, ac vitam priuatam ageret. nam ille præstabat auctoritate, & Heldum in crimen odiumque vocabat, quod in consiliis & actione nimium esset vehemens, quod Cæsarem nihil tale cogitantem & inuitum propemodum in bellum pertraxisset. Cumque non obscuram suæ voluntatis daret significationem Granuellanus, quasi concordiam* (cum Hæreticis, siue consociationem Iustitię & Iniquitatis, lucis & tenebrarum, Christi & Belial) *& otium publicum amaret, interpellatus à Protestantibus ad pacis consilia Cæsarem inflexit. Postquam verò Heldum eliserat, Ioannem Nauium Lucenburgium, velut magis obsequentem suis moribus adsciuit, in eiusque locum substituit.* Nimirum hoc illud est, quod Diocletianus aiebat, ab isto Ministrorum genere, *bonum, cautum, optimum vendi Imperatorem*, nam Caroli animum, alioquin egregiè ad pietatem factum, & glorię diuinæ Zelo inflammatum fuisse, & à mollibus id genus consilijs, quibus Hęreticorum vires ali & incrementa sumere non ignorabat, abhorruisse, cùm multæ ipsius actiones, inprimisque sanctissima illa vitæ eius clausula satis declarat, tum inimicorum Hispanici & Austriaci nominis, pręcipueque *Thuani* confessio luculenter testatur.

Heldi Catholicæ fidei Zelus.

Ferdinandus quare in Lutheranos fuerit indulgentior.

Heldus à Cæsare dimissus.

Ob Catholicæ religionis feruorem.

Granuellani πολίτευμα & Macchiauellismus.

Caroli V. Zelo Aulici illuserunt.

QVONIAM verò idem *Thuanus* quædam de eodem Carolo ſcribit, quæ non modò virtutem ei ac prudentiam defuiſſe vincunt (in quo dolus, quo in laudando Cæſare Carolo vſus eſt, deprehenditur) ſed etiam ijs, quæ iam diſputaui, magnopere contradicunt: non debeo cõmittere, vt ſilentio meo aſſentientis ſpeciem præbeam. Scribit ergo Thuanus libro ſecundo: *Exorto Luthero diſtractis Principum & populorum animis, Carolus V. tot ſucceſsibus elatus arridente fortuna occaſionem arripuit Imperij ſibi ſuiſque proprio Iure aſſerendi. id ſibi tot victorias ſpondere, atque adeo ſibi deberi tum confidebat, tum verò etiam rem tentare honorificum & quodammodo neceſſarium exiſtimabat.*] His verbis perfidiæ ſeu Periurij palàm Carolum inſimulat. Is enim referente quoque Sleidano iuſiurandum dederat, & tabulis conſignatis promiſerat, *nullum ſeſe conſilium initurum, quo dignitatem Imperij ſuæ familiæ peculiarem & hæreditariam faciat, ſed liberam & integram permiſſurum ſeptemuiris eligendi facultatem iuxta Caroli IV. legem & Iuris Pontificij præſcriptum.* Quod verò imprudentiſſimus fuerit, cùm ſe viribus ſuis Germaniam in fide ſua ac familiæ tenere poſſe credidit, libro IV. Thuanus ita commemorat: *Huic Victoriæ à Proteſtantibus reportatæ fortuna Cæſaris virtutem & prudentiam* (militarem ſcilicet) *adiuuante partæ defuit animus, qui ea moderatè & SAPIENTER vti ſciret. nam cùm nec ea MENS Cæſaris eſſet, nec vires, vt tot vrbes, populos, Principes, quos inſolita felicitate inordinem coëgerat, vi & præſidiis tenere, & Germaniæ Rempublicam in regnum hæreditarium transformare poſſet, reliquum erat, vt humanitate & clementia maieſtatem & exiſtimationem tueretur.*] Si non habuit eam mentem eaſque vires Carolus, quæ ad continendam in officio Germaniam neceſſariç erant, certè imprudens & ſtolidus fuerit neceſſe eſt, qui rem tentare honorificum, & quodammodo neceſſarium putarit, neque moderatè & ſapienter vti victoria ſciuerit.

Carolũ Thuanus inſidiosè laudat.

Eundem Periurij inſimulat.

Et inſuſpicionẽ imprudentiæ ſeu ſtoliditatis eum vocat.

Τὸ γὰρ τολμᾶν ἀδύνατον, ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

Audere namque inconceſſa haud ſapientis eſt.

At enim turpiter Thuanum mentiri, hoc eſt, officium ſuum facere, cùm Carolum occupandi & familiæ ſuç vindicandi Imperij conſilia agitaſſe & victoria intemperanter atque impotenter vſum fuiſſe ſcribit, nemini, qui Sleidanum, cuius fidei tantum tribuit Thuanus, vel ſemel legerit, obſcurum eſſe poteſt. nam victoria quomodo vſus fuerit, ita palam eſt, vt verbis opus non habeat. quamuis enim extremo anno 1530. à ſeptemuirali Electorum

Caroli conſiliũ non fuit Imperium facere hæreditarium.

rum

Ferdinandi designatio in Regem Romanorum.

rum Collegio, vno Saxone excepto, vt fratrem Ferdinandum Romanorum Regem crearent, impetrarit, qua quidem re iusiurandum & datam Imperio fidem violari contendebant Lutherani Principes, ex quorum ad Cæsarem Epistola hæc Sleidanus verba recitat: *Scire ipsum, quam accuratè, quàm sanctè, quibus verbis atque pactis imperio se deuinxerit & obligarit: quomodo fide data per iusiurandum promiserit seruare legem Carolinam: quomodo spoponderit neq; se quicquam esse contra facturum, nec alijs etiam, vt faciant, permissurum. Hæc nimirum pacta violari non posse, neq; rescindi aut mutari, nisi de communi omnium ordinum cõsilio ac voluntate* &c. quia tamen idem Sleidanus narrat, id eum *editis & allatis in medium argumentis, Electorib. persuasisse*, nec vllam in eo vim aut terrorem adhibuisse, nemo nisi improbus quicquam eum contra fidem datam & iureiurando firmatam fecisse insimulare potest. quod enim Saxo sibi creationem Regis tanquam vitiosam nequaquam probari protestatus est, quantum referat non video, quippe qui solus esset, & Hęreticus, ac paulò priùs Decreto omnium Ordinum Imperij Dei ac Reipub. hostis declaratus. Sed si omninò Cæsar fratrem suum vel nolentibus & inuitis, tam Catholicis, quam Hæreticis Imperij Principibus atq; ordinibus Regem imponere tentasset, aut etiam opere ipso imposuisset, nequaquam Consiliarijs & Theologis eius argumenta defuissent, quibus factum eius omni peccati & violatæ fidei crimine carere speciosè ac probabiliter defenderent. Sic nempe disputare poterant. In Iureiurando seu Sacramento illo, quo se Carolus. Imperio deuinxit, primum locum tenet Ecclesię ac Pontificis defensio: quemadmodum & Sleidanus scribit: *Conditiones siue leges, quas Caroli legati præscriptas ab Electoribus ratas habuerunt, & per Iusiurandum probarunt ipsius Caroli verbis atque nomine, literis etiam ea de re confectis, sunt eiusmodi: Tueatur remp. Christianam, Pontificem & Ecclesiam Romanam, cuius ipse sit Aduocatus: ius æquabiliter administret ac paci consulat.* Et rursum: *Coloniensis Archiepiscopus electum Cæsarem latinis verbis rogat: an fidem Catholicam seruare, defendere Ecclesiam, administrare iustitiam, restaurare Imperium, tueri viduas, pupillos & id genus calamitosos homines, an honorem debitum Romano Pontifici velit exhibere. Vbi annuit, ductus ad aram conceptis verbis iurat*) Iam verò qui iurat se tutorem fore Ecclesiæ Romanæ & auctoritatis Pontificiæ, idem simul iurat, se bona fide adhibiturum omnia adiumenta seu Media, quæ ad tuendam Ecclesiæ ac Pontificis auctoritatem & incolumitatem pertinere vsuique fore ex animi sententia iudicarit. Aduocatus enim, qui prætermittit quic-

Eam Lutherani iuriiurando Cæsaris aduersari contendebant.

Sed in eo mentiebantur.

Saxonis Protestatio erat friuola.

Etiamsi Carolo Imperium voluisset facere hereditarium.

Potuisset speciosè defendi.

Iurauerat enim se defensorem fore Pontificis & Ecclesiæ.

Putabat autem ad id requiri, vt Imp. faceret hæreditarium.

quam, quod ei, cui fidem ac patrocinium suum profitetur, vtile fore existimat, præuaricatur ac perfidiæ se alligat. At enim Carolus Cæsar ex animi sententia ita iudicat, nunquam in tuto fore, sed semper grauissimè periclitaturam Catholicam in Germania fidem & Ecclesiæ ac Pontificis auctoritatem, nisi vniuersam Germaniam sibi obnoxiam reddiderit, suæque ditioni etiam in posteritatem subiecerit. quamdiu enim ista nimia libertate fruimini, neque vos Cæsari in ijs, quæ ad conseruandam religionem pertinent, dicto audientes estis, neque vobis alij obediunt, vt fiat quod *Iudic.21.* scriptum est: *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Itaque nisi Cæsar præuaricari ac fidei Sacramento firmatæ parum memor esse velit, non potest saluo officio facere, quin hoc conseruandæ Catholicę Religionis & tuendę Ecclesię Romanę medium prorsus necessariũ arripiat, hoc est Licentiam istam vestram recidat atq; in veram Libertatẽ conuertat. nam posse malum non libertas est, sed Licentia: cum *Liber* sit, *qui potest viuere quemadmodum vult*, non quemamodum concupiscit: quorum illud est cum ratione, hoc præter rationem. Qui ergo illud expetit, quod rectæ rationi ac legibus est consentaneum, id est, quod nec vis nec ius prohibet (nam cupere quod non possis, dementis est: quod non debeas, improbi) is enimuero *Velle* dicendus est, quemadmodum in Psalmo scriptum est: *In mandatis tuis volet nimis.* Et qui potestatem habet viuendi secundum leges, siue faciendi, quod recta ratio iubet; is demum *Liber* est: non autem qui potest facere, cuique licet, quod ipsi libet, siue, quod non ratio, sed affectus & cupiditas suadet. Non ergo nunc liberi estis vos Germani, cum potestatem habeatis non parendi legibus. Nam exempli causa anno 1521. Wormatię in Comitijs Decretum Cæsar edidit cõmuni Principum ordinumq; consilio, in quo damnatur ac proscribitur Lutherus, *vt auctor schismatis, vt manifestus ac pertinax hæreticus, & potius Dæmon humana specie, quam homo, cuius immanitas atque rabies nullius oratione latis explicari queat, quippe in cuius libris nihil aliud quam seditiones, bella, discordiæ, incendia, cædes ac rapinæ contineantur: mandaturque omnibus vt illum capiant & in potestatem suam reducant: eos verò qui quocumque modo faueant aut operam ei suam communicent, æquè proscribit: libros etiam Lutheri aboleri & cremari iubet:* atque hoc suum decretum siue Edictũ magno omnium Ordinum assensu promulgatum omniq; abrogandi difficultate, imò vt ita dicam, impossibilitate septũ, esse

Idque nihil aduersari Libertati Germaniæ.

Quis sit Liber.

Germani non videbantur esse liberi.

Cùm haud possent viuere secundum Leges.

esse sacrosanctum mandat. Quanta ergo hac vestra licentia est, cum anno 1524. simul omnes in Noribergensib. comitijs absente Cæsare, per Legatum tamen suum conquerente, quod Edictum illud wormatiense communi vestro consilio ac volũtate factum, maximò Germaniæ detrimento, violaueritis, idq; inposterum magno studio seruari præcipiente, nouo decreto, in pontificem, Ecclesiam, & Cæsarem deniq; nimis contumelioso, prioris illius Exsecutionem sustulistis: quo etiam nomine mox à Cæsare literis ex Hispania datis grauiter obiurgati estis: quarum literarum argumentum Sleidanus lib. IV. sic exponit: Quod conuentum alium indixerint, in quo rationem inire velint constituendæ religionis ad tempus vsque Concilij, quod etiam delectis aliquot viris doctis & sacrorum peritis, iudicium de summa doctrinæ permittant, minimè omnium aut posse aut velle se concedere, sed pro suo munere, quandoquidem sit Ecclesiæ tutor atque patronus, modis omnibus Decretum hoc improbare, ne videlicet cum Dei, tum Pontificis iram aduersum se concitet: quid enim in Ecclesiam Christianam contumeliosius fieri posse, quam si reuerentia summæ potestati debita sic proiiciatur? si Germania, quæ primam semper habuit pietatis & obsequentiæ laudem, tantam rem sola moliatur, quam nulli Principes, ne Pontifex quidem ipse Romanus audeat subire? videlicet vt eam Religionem, quæ tot sæculis valuit in orbe Christiano, repudient & aboleant? Orare se Deum, vt Germaniam benignè respiciat, neque se viuo tantum malum patiatur inundare. Pareant igitur Edicto wormatiensi, nisi pœnam subire velint, & actionem omnem Religionis differant, dum & summi Pontificis, & suo etiam iussu Concilium habeatur, qui sint ipsorum supremi Magistratus.] Quoniam etiam in iisdem Noribergicis comitiis Cæsari respondistis, parituros vos Edicto vormatiensi, *quantũ omnino facere poßitis*, rursumq; anno 1526. in Spirensibus comitiis Decreto sanxistis, *ita se gerat quisq; in sua Prouincia, vt facti sui rationem Deo & Cæsari reddere queat*: quo quidem Decreto deinceps Protestantes semper vsi sunt ad tuendam causam suam, quippe quo wormatiense Edictum fuerit antiquatum. Certè vos potestatem non habere faciendi, quod iustum est legibusq; consentaneum, adeoq; nec liberos esse, satis apertè fertis. Itaque si faciat Cęsar, vt possitis omnino parere Edicto wormatiensi, neque impediamini, quo minùs Ecclesiæ & Pontifici debitum honorem exhibeatis, eiusque hostem Lutherũ ac libros eius de medio tollatis, hoc est, si vestro viras compescat, su-

Principes Germani fatentur se non esse liberos.

Rectè ergo Carolus facit, si eos in libertatem asserat.

as

as verò augeat, vosq; plusculum in ordinem redigat, cum optimè libertati vestræ consulet, tum adiumento ad tuendam fidem Catholicam, & Ecclesiæ auctoritatem vtilissimo, imò prorsus necessario videtur. Poterat etiam ab iisdem Cæsarianis defendi, quòd conceptis verbis iurarit Cæsari, *se velle Imperium restaurare*, hoc est, in pristinū statum reducere. Itaque necesse esse, vt publica Imperii vectigalia ambitu Caroli IV. aliorumq; Impp. probrosis largitionibus alienata, vindicet, ac Principibus velut male fidei possessoribus eripiat. Hoc autē, & multa alia consimilia ad instaurandum Imperium pertinentia præstari ab Imperatore nequaquam posse, nisi totum Imperium suæ ac posterorum ex familia sua ditioni subiiciat. Poterant in eandem sententiam alia multa, vt Principum assentatoribus plausibiles id genus rationes quantacumque cùm iniustitia coniunctæ, nunquam deesse solēt, ab ijsdē disputari: quę alio loco accuratius excutiam, mihique Patriæ nostræ libertate nihil charius & antiquius esse planissimum omnibus, Deo iuuante, faciam. nunc ad propositum me refero, & ad ordinem disputationis reuertor.

Alia Caroli Cæsaris excusatio.

CAPVT CXVII.

GLADIUS ergò Spiritus, siue petita ex scripturis argumenta rationesque quamuis solidissimæ & inuictæ, nihil apud eos promouent ac proficiunt, qui non ratione ducuntur, sed vel auctoritatem parentum, amicorum ac Magistrorum sequuntur, à quibus eis plurima manifestè impia odioque digna de nostra fide nostrisque moribus falsò persuasa sunt, vel affectibus suis, vt cupiditati, voluptati, timori, odio, iræ ac similibus seruiunt. Huiuscemodi enim vincula (velut *Capite CVII.* dicebam) aliter quàm gladio sæcularis potestatis scindi soluique haudquaquam possunt. quod tamen non sic accipi velim, quasi Catholicis auctor sim, vt arma sumant, & ancipiti ac periculoso bello cum Protestantibus collidantur. Cùm enim maiores maiores nostri Hæreticos delere quando poterant, noluerint, & *ore Domini non consulto* fœdus cum eis, quos ad officium reductos, vel de medio sublatos oportebat, fecerint: meritò nempe nobis nunc vsu uenit, quod Israelitis comminatur DEUS Num. 33. & Ios. 23. *Si nolueritis interficere habitatores terræ erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduersabuntur vobis in terra habitationis vestræ, eruntque vobis in* foueant

Gladius Spiritus siue Theologorum argumēta, nō reducunt ad officium eos, qui ratione non ducuntur.

Si absit gladius sæcularis.
Is tamen hodie in Protestantes non est stringendus.
Quia fœdus cū eis factum.
Quod fieri non debuit.

foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro. Plectimur ergò ob culpam auorum nostrorum, neque magis nobis tutum est, Ecclesiæ rebelles armis ad officium redigere velle, quàm Roboamo in decem tribus, quæ ab ipsius ditione recesserant, bellum moliri, qua de re 3. Regum 12. scriptum sic legimus: *Congregauit Roboam centum octoginta millia electorum virorum & bellatorum, vt pugnarent contra domum Israel, & reducerent regnum filio Salomonis. Præcepit autem Deus Semeiæ Prophetæ dicens: loquere ad Roboam & omnẽ populum: Hæc dicit Dominus: Non ascendetis neq; bellabitis contra fratres vestros filios Israel. A me enim factum est verbum hoc. Audiuerunt ergò sermonem Domini, & reuersi sunt in domum suam, sicut præceperat eis Dominus.* Quòd si quis autem Zelo Catholicæ fidei inflammatus pacem Religionis, tanquam non probante Deo, nec sine grandi peccato Lutheranis datam, ac sæpius firmatam, nunc tantò post violandam, pœnasque Hæreticis diuino humanoq; iure debitas, ab eis expetendas putet, ei vel exemplum Saulis, quod 2. Reg. 21. commemoratur aliam sententiam persuadere debet. Nam & Saul Zelo quasi pro filiis Israel commotus Gabaonitas interficere cæperat, propterea quod ij forent reliquiæ Amorrhæorum, quos Deus omnes ad internecionem percuti, nec vlli animæ viuenti parci iusserat. Sed maiores eorum de terra longinqua venisse se mentiti, Iosuæ ac Principibus Israelitarum imposuerant, vt in fœdus ab ijs reciperentur, quemadmodum Ios. 9. legimus: *Fecit Iosue cum Gabaonitis pacem, & inito fœdere pollicitus est, vt non occiderentur: Principes quoque multitudinis iurauerunt eis. Os enim Domini non interrogauerunt. Post dies autem tres initi fœderis, audiuerunt, quòd in vicino habitarent, & inter eos futuri essent. Murmurauit itaque omne vulgus contra principes: qui responderunt eis: Iurauimus eis in nomine Domini, & idcirco non possumus eos contingere. Sed hac faciemus eis: Reseruentur quidem, & viuant ne contra nos ira Domini concitetur, si peierauerimus: sed sic uiuant, vt in vsus vniuersæ mutitudinis ligna cædant, aquasque comportent*] Non est dubium, quin Gabaonitæ occidi potuerint, neque iusiurandum eos tueri debuerit, quandoquidem cum hac exceptione, *si vicini non forent*, ipsis iuratum fuerat. Nihilominus postquam ipsi Principes ratum habuerũt, quod iurarant, Deo, quemadmodum verosimile est, assentiente, non potuit certè sine maxima iniquitate, Gabaonitarum posteris, prætexto quamuis diuino de interficiendis Chamanæis mandato, negotium exhiberi. Itaque nec Sauli, nec populo cæcus suus Zelus, quo ad cædem Cabaonitarum accensi fuerant pro-

Nunc quoniam factum, violari non debet.

Alioquin male nobis vertet.

Saul ex zelo eos, quibus incolumitas facta erat occidit.

Ac propterea ipse & populus à Deo punitus fuit.

ꝓſperè ꝓceſſit *Facta eſt.n.fames, trib⁹ annis iugiter, conſultusq; Deus ex oraculo reſpondit, ꝑter Saul & Domũ ſanguinũ,* id eſt ꝓpter crudelitatẽ, qua domus Saul occiderat Gabaonitas, id euenire, *neq; prius terræ reꝓpitiari voluit, quàm Gabaonitis ſatis factũ eſſet ſeptẽ viris de domo Saul in crucem actis.*

Pax Religionis ſeruanda.

Itaq; nequaquam vobis Catholicis Regibus ac Principibus committendum puto, vt quam diu proteſtantes pactis conuentis ſtare volũt, vos quantiſcunq; virib⁹ veſtris freti decantatam illam *Religionis pacẽ*, quamuis ore Domini non conſulto & contra quàm decuit, eis datam ſæpius tamen renouatam ac tantùm non ſacramenti religione firmatam rumpatis, ſed auctor potiùs ſum, atq; imprimis opto vt alias ſaluti proteſtantiũ conſulendi, ac præclarè Dei Eccleſiæ Deiq; gloriæ promerendi vias, quas hoc tempore optatiſſimas Deus oſtendere videtur, inſiſtere velitis. Vt enim cùm ſenſus communis dictat, tùm ego ex ſcripturis ſupra Cap. CIII. docui, non eſt, quòd populos ad Caholicæ fidei veritatẽ conuerſum iri ſperemus, quamdiu Principũ ſuorum laqueis captiui tenentur ipſi etiam Principes ab emendationis ſpe nnnquam propiùs abſunt quàm cùm impedimenta, quæ illos ne veritatem percipiant, remorantur & in errore detinent, quàm minimò negotio tolli poſſunt: quod quidem ego, niſi omnia me fallunt, magis hoc tẽpore, quàm vnq̃ aliàs, nobis polliceri poſſe videor. Nam quibus aliena imponit *Auctoritas*, eis non, magno negotio noſtri, ſi velint Principes demonſtrare poſſunt, multis modis cùm ipſos, tum eorum parentes fraude ac dolo Prædicantium ſuorum deceptos turpiſſimeque circumuentos eſſe. In *Conſultatione* quidem mea *de Germaniæ ſtatu* tam illuſtria eius rei ſpecimina exhibeo, vt iis cognitis nulla ratione videantur de hinc facturi Proteſtantes, quin ceterarum rerum fidem Impoſtoribus iſtiusmodi nullam adiungant, atque vt quicquid ab ipſis profectum conſtiterit, id fraudis, mendacii ac doli continuò ſuſpectum habeant: parentum verò tam improbè deceptorum potiùs miſereri, quàm auctoritatem quicquam morari velint. *Affectus* autem, quibus animos eorum teneri *Capite* CV. dixi, tanto faciliùs eis euellentur, quod plerique etiam ex opulentioribus verum eſſe exemplo ſuo declararent illud poëtæ: *Ingenuas didiciſſe fideliter artes Emollit mores, nec ſinit eſſe feros*, quodque alios res anguſta domi, alios egeſtatis inſtantis metus ſolertiores reddit, & intelligentiam eorum exacuit: quibus ſi quis ea præditus auctoritate, quam ſupra *Capite* XCVII. & quinque conſequentibus capitibus deſcripſi, vel ſaltem is, quem illi candidè ſecum agere, & vtilitatis

Et aliis potiùs rationibus, quàm bello, Proteſtantes ad Eccleſiam reducendi.

Hoc tempore Proteſtantes maximè apti ad conuerſionem.

Auctoritas enim, qua tenentur, facilè minui poteſt.

Affectus etiam non difficulter ex animis eorũ euelli.

ratis ipsorũ ex animo curam gerere persuasum habeant, rationẽ ostẽdat, qua saluo Christiani hominis officio atq; integra conscientia, amplectenda Catholica fide cùm rei, tum honori suo consulere, pristinumq; familiarum suarũ splendorẽ recuperare possint (sicut eius rei rationes nequaquã nobis deesse copiosè in eadẽ *Consultatione* mea demonstraui) nemini dubium esse debet, quin illi propediem suo ad pristinam maiorum suorũ fidẽ reditu & diutini erroris pœnitentia gaudium Deo, angelis & hominibus pariant. Quamuis autẽ cnr eam nobis spẽ facere debeamus, nemini paulùm modò intelligenti ex iis, quæ *Capite* CIII. in medium attuli, non facillimum sit iudicare (docui namq; ex scripturis, *Principes, qui recesserunt, qui dominantur super populum, qui laqueus facti sunt, & populũ vastant, diripiunt & captiuũ tenent, qui Nazaræis propinant vinũ* siue, iis, qui Deo quid vouerunt, fidei violandæ auctores sunt, *q; pphetis* seu legitimè missis *præcipiũt ne doceant, aut certè vt loquantur, quæ ipsis placeant, auferantq; viam tritã & semitã antiquam, qui assumũt, transferuntq; terminũ potestatis secularis à Deo fixũ, diripiuntq; ac pascũt greges, & custodes Religionis* seu doctores *ponũt sibimetipsis*. huiusmodi ergò Principes docui *sola vexatione* intellectũ adipisci ac nomẽ Domini quærere, siue veritatis indagandæ cogitationẽ suscipere, cùm scilicet *non tantum in circuitu combusti* seu leui damno rei familiaris affecti, sed etiam ita *consummati & abbreuiati* fuerint, vt *stratum ipsis nimis sit angustũ ac palliũ nimis breue*, cũq; *ignominia* siue egestatis pudor *facies eorũ impleuerit*) nihilominùs vt res tantò fiat euidentior, meq; nihil suadere pareat, ꝙ carnis ac sæculi potiùs, quàm spiritus prudentia dignũ sit, adducã hoc loco verba, quæ *Oseæ* 2. legũtur, quib. de Synagogæ Iudaicæ *Adulterio* ab *Recõciliatione*, & vtriusq; rei causis, modis atq; instrumentis agitur: *Fornicata est* (inquit) *mater eorũ* (Iudæorũ) *itaq; ipsa vxor non mea, & ego nõ vir eius mei obliuiscebatur, & ibat post amatores suos. Nesciuit enim qa ego dedi ei frumentũ & vinũ & oleũ & argentũ multiplicaui ei & aurum, quæ fecerunt* siue obtulerunt *Baal* (siue, quib⁹ vsa est ad honoranda Idola) *Et dixit: Vadã post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanã meã & linum meum, oleum meũ & potum meũ*] Atq; ista pertinẽt ad descriptionẽ Apostasię Iudæorũ à Deo ad Baalim siue à vera religione ad falsam. *Amatores* sunt falsi doctores, aut vicini Iudeæ populi, qui pudicitiæ Synagogæ insidias struebant, eamq; munusculis labefactabant atq; etiam expugnabant, vt fidẽ Deo, viro suo, datam violaret, velut 2. Paral. 28 Regis Achaz exemplũ legimus: *Immolauit Diis Damasci victimas, percusserimus suis, & dixit. Dij regũ Syriæ auxiliantur*

Causa eius spei.

Synagogæ adulterium siue apostasia à vera religione.

Amatores cum quib Synagoga fecit adulteriũ.

xiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi: cùm è contrario ipsi fuerint ruinæ ei & vniuerso Israel. Non intellexit scilicet, se eadem ipsa emolumenta atque etiam longè maiora à Deo, quàm ab amatoribus suis accipere. Amatores quippe offerrebant eis panem aquam, lanam linum, oleum, Deus, vir eorum, præter frumentum, vinum, oleum, ficus, lanam, & linum, etiam aurum & argentum eis multiplicabat. Sed Synagoga, inprimisque *Protectores*, aut Principes *eius* (Oseæ 5. 18) qui sibi sapientissimi videbantur, quod omnes vtilitatis comparandæ rationes callere se putarent, nequaquam intellexerunt, *Pietatem* seu veram religionem *ad omnia vtilem esse, promissionem habere vitæ, quæ nunc est & futuræ* (1Tim. 4.) adeoque non Deo, sed Idololatriæ magistris omnia sua bona accepta retulerunt. Sequitur iam de Synagogæ eiusdem reconciliatione: *Ecce ego sæpiam viam eius spinis, & sæpiam eam maceria, & semitas suas non inueniet: & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet.* id est, faciam vt se deceptam & spe sua frustratam sentiat, neque lucrum illud, quod ex falsa religione sperabat, faciat. quomodo? *Corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit: Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei* (Ierem. 44. Dixerunt Iudæi ad Ieremiam: Quia sacrificauimus Reginæ cœli, *siue Soli,* saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumq; non vidimus) *Ponā vineam eorū in saltum, & comedet eam bestia agri.* id est bona illa externa, quæ occasione Idololatriæ seu falsæ religionis acquisierunt, malè ipsis vertēt, & ipsi in paupertatem incident. *Summā frumentū meum & vinum meum in tempore suo* (siue, tum, quando maximè iis opus habebunt) *& liberabo lanam meā & linum meū, quæ operiebant ignominiā eius* (quamdiu enim adhuc opibus locupletes erant, nondum retect erat eorum stultitia, vulgoq; iudicabantur prudēter fecisse, qui tam lucrosam religionē amplexi fuissent: sed postquam dilapidatis bonis iis, quę per falsam religionem lucrati sunt, egere cæperint, omnes stultè eos fecisse censebunt) *Et nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius, & cessare faciam omne gaudium eius &c.* Nimirum qnonaim Affectibus ducuntur, pudore ac dolore animiq; ægritudine, quā ipsis egestas parit, animos eorū ad capiendam veritatis disciplinam imbuere ac præparare oportet. Affectus enim nisi aliis affectibus expelli nequeunt. Iam sequitur de spe, qua sanè vtiliter ad reconciliationem alliciuntur. *Ecce ego lactabo eam* (siue vt habent 70. Interpp. *decipiam eam*, id est spe maioris emolumenti eos alliciam, hamo id escæ genus indam, quod pisci-

Nunuscula Amatorum.

Synagogæ reconciliatio.

Prudenter facere videntur, qui falsam religionem sibi lucrosam sequuntur.

Affectibus laborantes affectibus excitatis sanantur.

Spe reducuntur errantes.

pisciculos appetituros scio) *& ducam eam in solitudinem* (vt minùs erubescat, cùm vtilitatis spem sibi fieri audiuerit, quia non volet videri, se veritatem lucri causa amplecti, quod id humilis animi rectè videatur, adeoque alios habere conscios reformidabit) *& loquar ad cor illius,* siue, consolabor eam, ostendam ipsi, si ad me redeat, non solùm nihil damni eam facturam, sed etiam multò plura, quàm retinenda falsa religione lucraturam esse. Cuiusmodi verò hominum opera eam ad rem vtar? *Dabo Vinitores eis ex eodem loco, & dabo vallem Achor ad aperiendam spem,* siue vt est apud 70. *ad aperiendam intelligentiam eius.* id est, curabo eis diligenter in memoriam reuocari eorum exempla, quibus res sanctas polluisse & Deo consecratas rapuisse male verterit, sicut sacrilego illi Achan in valle Achor *Iof.7.* euenit, qui propterea quod tulisset de anathemate, seu de spolijs vrbis Iericho Deo consecratis atque in thesauris eius reponi iussis, lapidatus fuit à populo, & vna cum liberis, iumentis, tabernaculo suo & cuncta suppellectile igne consumptus. Solitos autem Iudaici populi Reges ac Principes in res Deo sacratas inuadere, vel Achaz Regis exemplo docemur, de quo scriptum est 2. Paral. 28. *Spoliata domo Domini dedit Regi Assyriorum munera direptis omnibus vasis domus Dei atque confractis, clausit ianuas templi.* Id autem ab eo factum esse approbantibus Pseudoprophetis & improbis Sacerdotibus, ex Ezech, 22. colligi potest: *Prophetæ animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt. Sacerdotes eius contempserunt legem meam, inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam* (sicut Protestantium Doctores inter Calices sacros & profanos nihil interesse docent) *& coinquinabar in medio eorum. Principes eius quasi lupi rapientes prædam, ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra* Et Sophon. 3. *Prophetæ eius vesani, viri infideles: Sacerdotes eius polluerunt sanctum,* docentes nihilo alijs rebus sanctiores esse res Deo consecratas. *Principes eius, quasi leones rugientes, & quasi lupi vespere, non relinquentes in mane,* His igitur cùm raptas opes Synagoga pesti & exitio esse viderit, aperietur intelligentia eius, id est, timorem concipiet, qui est intellectus porta & initium sapientiæ (*qui* enim *timet, nihil negligit, sed quærit & animaduertit omnia, qui autem quærit, inuenit,* velut ex scripturis supra capite CVII. disputaui) Cùm vero *Vinitores ex eodem loco,* hoc est, homines familiariter ipsis noti, grati & accepti, quibusque tutò se credere censent, vno verbo, *Auctoritate præditi,* eos ceu Vineam diu desertam foderint ac putauerint, vepresque ac spinas (*Isai 5.* exciderint aut combusserint, hoc est, cùm cognoscendæ amplectendæque Veritatis impedimenta, nempe Af-

Quorum operæ Deus vtatur ad conuertendos errantes.

Reges ac Principes Synagogæ occupabant bona Ecclesiastica

Auctoribus & applausoribus Pseudoprophetis & Sacerdotibus improbis.

Sed rap'a illa bona male eis vertebant.

Hmoinibus auctoritate præditis Deus vtitur ad conuertendos errantes.

Conuersio Synagogæ. fectus, remouerint, animosq; culturę aptos reddiderint, tum faciet Synagoga, quod sequitur : *Et dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem quia bene erat mihi tunc magis, quam nunc. Et vocabit me. Vir meus* (siue, mihi posthac Amatoribus valere iussis adherebit) *& auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum, & non vocabit me vltra Baalim. Et canet* (70. *humiliabitur*, Aquilæ versio : *obediet*) *iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies adscensionis suæ de terra Ægypti*, hoc est, humilis erit obediens Sacerdotibus, ipsos à falsa religione ad Deum reducentibus, sicut Moysi olim & Aaroni Ægypto deserenda obedijt.

CAPVT CXVIII.

Vinitores impedimenta tantum remouent. CETERùM quoniam Vinitores nihil aliud quàm fodiunt ac putant Vineam, vepresque ac spinas euellunt, hoc est, non nisi cognoscendę & recipiendæ Veritatis impedimenta remouent, adhuc *Nubium* beneficium, vt super eam pluant, desideratur, quemadmodũ Isai. 5, Deus docet, cùm eadem imagine ad declarandam populi sui Apostasiam eiusque pœnam vtitur: *Vinea Domini est domus Israel* (inquit) *& domus Iuda. Exspectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas, hoc est, exspectaui, vt faceret iudicium & iustitiam, & ecce clamor & iniquitas.* Cuiusmodi verò Labruscæ, siue iniquitates in cœlum clamantes illæ fuerint, eodem capite toto exsequitur. Primùm enim *abijciebant Legem Domini, & eloquium sancti Israel blasphemabant, sapientes in oculis suis & corã semetipsis prudentes*· non quod verba Legis contemnerent, sed quod nollent veram eorum sententiam à Prophetis & à Sacerdotibus ex posteris Sadoc discere, quos quidem, *cùm ceteri Sacerdotes & Leuitæ longè recessissent à Deo in errore filiorum Israel*, *factique eis essent in offendiculum iniquitatis, cerimonias Sanctuarij custodisse*, Ezech. 44. discimus. Igitur ad textum quidem Legis prouocabunt Iudæi, sed eundem calumniabantur, seu perperam intelligebant. Isai. 30. *Reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia.* Ierem. 8. *Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus & lex Domini nobiscum est?* Siue, vt Lutherus interpretatur: *nos habemus Sacram scripturam pro nobis.* Ceterùm videntibus, siue Sacerdotibus, quorum labia custodiebant scientiam, vt ex ore eorum ceteri Legem requirerent (Malac. 2.) silentium imperabant. Isai. 30. *Filij mẽdaces* (mendaciter profitẽtes, se paratos esse audire Legẽ meam) *filij*

Peccata Synagogæ.

1. prouocabant ad textum scripturæ.

Sed malè intellectum.

Sacerdotibus silentium aut docendi modum præscribebant.

filij nolentes audire Legẽ Dei à Sacerdote declaratam : *qui dicunt videntibus: Nolite videre.* Atque hoc omnis quidem populus faciebat, sed maximè tamen Principes & optimates, qui etiam populo causam erroris ac peccati dederunt. Ierem. 5. *Circuite vias Ierusalem, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum quærentem Fidem, & propitius ero ei,* (id est, cùm secundum numerum viarum Ierusalem positæ sint aræ confusionis, in quibus alius alijs Dijs libat (Ierem. XI.) siue, cùm tot tamque multiplices sint religiones eorum, qui soli Deo in templo suo sacrificare desierunt, nullus tamen est, qui fideliter agat ac sincere Legi meæ credat, quamuis omnes promittant, se cessuros si Lege conuincantur, dicantque Prophetis: *Vbi est verbum Domini? age veniat,* Ierem. 17.) *quod si etiam, viuit Dominus dixerint, & hoc falsò iurabunt,* id est, etiamsi iurent, se paratissimos esse ad credendum verbo Dei, tamen id non faciunt. *Renuerunt enim accipere disciplinam, & noluerunt reuerti* (id est, noluerunt à legitimè missis Doctoribus, quomodo verbum DEI intelligendum esset, discere, neque errorem deserere.) *Ego autem dixi: Forsan pauperes sunt & stulti* (viri isti in vijs & plateis inuenti, siue plebij) *ignorantes viam Domini, iudicium DEI sui. Ibo igitur ad Optimates & loquar eis. Et ecce MAGIS hi confregerunt iugum, ruperunt vincula.* id est, voluerunt libertatem obtinere intellectus ac volunratis, vt ad præceptum alienum neque sapere in rebus diuinis, neque viuere cogerentur. *Alterum Synagogæ peccatum.*

Deinde autem *malum dicebant bonum, & bonum malum, ponebant tenebras lucem, & tenebras, amarum in dulce, & dulce in amarum,* siue, faciebant populum imbui falsa doctrina, veram autem dedoceri. Isai. 30. *Dicunt adspicientibus, Nolite nobis adspicere ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Ezech. 44. *Non seruastis præcepta sanctuarij mei & posuistis custodes obseruationum mearum vobismetipsis, filios nempe alienos, incircumcisos corde & carne, vel etiam Leuitas, qui longè recesserunt à me in errore filiorum Israel.*

Præterea *iustificabant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferebant ab eo,* id est, omnia iura & leges contemnebant. *Tertium.* Tum *coniungebant domũ ad domum, & agrum agro copulabant vsq; ad terminum loci,* id est, quamdiu superesset, quod occupare possent, siue, alios opprimebant eisq; sua per vim eripiebant. *Quartum.* Adhęc *potentes erant ad bibendum vinum & viri fortes ad miscendam ebrietatem perpotabant totos dies, citharaq; & lyra, tympano ac tibia in conuiuiis vtebantur, neq; quicquã de opere Dei* *Quintum.*

Sextum.

re Dei cogitabant. Tandem peccata sua cumulabant, irridendo Prophetas qui mala, quę illis ex falsa religione & occupatione alienorum bonorum euentura essent, prædicebant.

Quibus pœnis Deus synagogã emẽdarit & ad recipiendã disciplinam præparit.

Atque huiusmodi erant *Labruscæ*, quas linea Domini, populus Iudaicus, faciebet: propter quas iratus Dominus sic se facturum ibidem comminatur: *Auferam sæpem eius* (deponam populũ protegere) *& erit in direptionem* (diripietur certatim à bestijs agri, *Ose. 2.* à vulpibus vineam demolientibus, *Cantic. 2.* hoc est, in varios errores à diuersis mendaciorum magistris induci eos permittam, de quibus *Ierem. 12.* scriptum: Pastores multi demoliti sunt vineam meam) *Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur* (non habebit magistratus seculares, qui peccata supplicijs recidant) *& adscendent vepres & spinæ* (corda eorum affectibus opplebuntur, vt nullus apud eos rationi locus sit: nemo erit, qui orationis efficacia affectus eorum aliis affectibus expellat, ac velut igne accenso, seu maiorum bonorum tam spiritualium, quàm secularium desiderio in animis eorum excitato, fruteta, rubos ac sentes comburat, sicut *Ierem. 11.* legimus: A voce loquelę grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius) *& Nubibus mandabo non pluant super eam imbrem* id est, Sacerdotibus ac Doctoribus vetabo eis stillare doctrinam salutis. Deut. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Amos 7. *Non prophetabis super Israel, & non stillabis super domum Idoli.* Vbi stillare est prædicare. Nubibus ergò mandat Deus, ne pluant, siue, ne Sacerdotes doceant, neu veritatis argumenta ibi proferant, vbi omnia vepribus ac spinis plena sunt: quod ipsum alia parabola Christi verbis aliàs exposui, ne scilicet seminent Dei verbum in eo agro, qui sit spinis obsitus, hoc est, in animo voluptatibus vitæ, curis seculi & fallacia diuitiarum occupato. nisi enim prius nouale nouatum, agerque sentibus ac dumis seu frutetis expurgatus fuerit, inutiliter semen proijcitur. Ierem. 4. *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Oseæ 4 *Non est veritas, nec scientia Dei in terra. Verumtamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir* (id est, ne propterea quis eos reprehendere ac veram religionem docere velit) *Populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti* (nolunt à Sacerdotibus verum Legis sensum discere, quia animos varijs vitijs occupatos habent) *Maledicentia, mendacium, homicidium, furtum,* rerum maxime sacrarum inuitis Sacerdotibus factum *& adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quæ verò Deus adhunc modum generatim vineę suæ, siue Synagogæ

Deus non vult ijs argumenta vera fidei proponi, qui affectibus labbrant.

Principum ac procerum Iudæorum pœna.

nagogæ minatur, eadem distinctiùs sic ibidem declarat: *Multæ domus grandes & pulchræ* eorum, qui possessionum terminos per fas ac nefas proferre studuerunt, *erunt desertæ absque habitatore, & decem iugera vinearum, facient laguunculam vnam, & triginta mody sementis facient modios tres. Nobiles etiam & sublimes gloriosique in populo*, qui conuiuia sumptuosa facere ac perpotare vsque consueuerant, *fame interibunt & siti exarescent.* Verumtamen non in æternum irascetur Dominus, nec extendet iram suam à generatione in generationem (*Psal. 84.*) neque vineam suam faciet in consummationem, sed castigabit in iudicio populum suum, vt non videatur sibi innoxius (*Ierem. 30.*) hoc est, pœnas eo tantùm consilio infliget, vt liberetur populus ab intellectus sui impedimentis, quæ faciunt, vt Veritatem intelligere nequeat. *Virga enim & correptio tribuunt Sapientiam.* Prouer. 29. Et hoc est, quod apud Oseam ait, *daturum se vallem Achor*, siue facturum, vt res malè vertat illis, qui perinde atque Achan bona Deo consecrata sacrilegè rapiunt, *ad aperiendam intelligentiam eius.* qua quidem sic aperta, id est, calamitatibus eorum, qui ad falsam religionem vtilitatis suæ causa desciuerunt, commonito populo, metuque similium aut grauiorum malorum ei incusso, & attentione eius excitata, dantur ei *Vinitores ex eodem loco*, id est, homines eiusdem loci atq; ordinis, qui quoniam apud illos, qui sunt in errore, habēt opinionem virtutis & amicitiæ, siue, quoniam existimantur viri boni, candidi & optimè erga ipsos affecti, vepres & spinas excidunt, *ad vocem loquelæ grandis igne accenso* fruteta comburunt, tum vineam fodiunt & putant, hoc est, affectus illos, quibus adhuc impediūtur, ne veram religionem siue cognoscere, siue amplecti velint, magna verborum grauitate & efficacia ex animis eorum euellunt. Tandem *mandat* Deus *Nubibus, vt pluant super eam*, siue Sacerdotes eis mittit, à quibus veritatem, seu verum verbi diuini intellectum, doceantur.

Sed pœna illa erant præparatio ad recipiendam doctrinā.

Siue ad aperiendam eorum intelligentiam.

Hęc qui accuratè considerauerit, nequaq̄ mirabitur, cur de Protestantium reconciliatione & ad Ecclesiam reditu optima spe tenear, modò Catholici Principes Vinitorum operam Deo locare, & ipsius loco Protestantes lactare, in solitudinem ducere, ad cor illorū loqui, ac voce loquelæ grandis ignem, quo fruteta, spinæ ac vepres comburantur, accēdere velint. Faxit Deus, vt eam curam patrię tam non modò salutarem, sed omnino necessariam se dignam iudicent. Propediē, faxo, fiat ꝙ Synagogam Deus, quemadmodū supra audiuimus, facturam prędixit: *Et dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorē, quia bene*

De Protestantium conuersione bene sperandum.

Si sint Vinitores ex eodem loco, qui eos excolant.

Causa & effectus conuersionis Synagogæ.

erat mihi tunc magis, quam nunc. Et auferam (addit Deus) *nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum, & nō vocabit me vltrà Baalim.* Nunc quidem nihil magis in ore habent, quàm sanctissimum Eucharistia sacramentum, hoc est, Deum ipsum, esse *Idolum Baal*, Missam sacrificium *Baal*, Sacerdotes seu Presbyteros, Sacerdotes *Baal*: quę nomina vt de ore eorum auferantur, ipsisque ad dies adolescentiæ suæ & ad virum priorem reuersis meliùs, quàm nunc est, esse incipiat, quotidiè Deum veneror, vtque id tanto fiat citiùs, nulli labori ac molestiæ parco, neque etiam stimulandis ijs, ad quorum minus ea cura pręcipuè pertinet, eorum attentione à priuata sua suorumque vtilitate, aut à friuolis negotijs ad tanti rem momenti conuertendo offensam quantamcumq; excipere reformido. *Memento mei Deus meus in bonum secundum omnia, quæ facio patriæ meæ*, Amen.

Protestantes Christum vocant Baal.

CAPVT CXIX.

ATQUE hæc de *Gladio Fortium* dictæ sint, quo grauis armaturæ milites in deuincenda Hæresi & expugnanda pertinacia, Ecclesię aduersaria vtuntur: reliquum est, vt quibus armis *Velites*, seu *Rorarij*, siue *expediti milites* rem gerant, consideremus. Id ex locis illis Scripturæ, quę supra *Capite* CVII. protuli, facile est colligere. Ieremiæ namque cap. 49. Scriptum est, *Edomitas*, qui figura sunt Hæreticorum fratrum rebellium & infidelium (faciunt enim, quod Edomitas facturos prædictum fuerat Genes. 27. *Fratri tuo seruies, in pinguedine terræ erit benedictio tua, viues in gladio, tempusque veniet cùm excutias & soluas fratris de ceruicibus tuis.* nam & Hæretici priùs seruierunt Catholicis, & quia benedictionem suam in pinguedine terræ, siue, summum bonum in opibus terrenis ponunt, viuunt gladio, eiusque opera iugum Catholicę Ecclesię à se abijciunt. Lutheri quidem secundus Tomus Lat. witt. aliquot *Vlrici Hutteni* epistolas habet, quibus Germanos ab Ecclesię obedientia recedere, ac Lutherum Ducem sequi hortatur, quam ad rem verbis illis vti nequaquam dubitauit: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis Iugum ipsorum.* Sed etiam supra extremo *Capite* XVI. verba Lutheri retuli, quibus Principes, vt *Ferro & igne Catholicos adoriantur, & in sanguine ipsorum manus suas lauare velint*, exstimulat. Huiusmodi ergò Edomitas prædicit Deus) *à paruulis gregis*, siue à Pastorum pueris *deiectum*, siue humi prostratum, *& tabernaculum eorum simul cum ipsis dißipatum iri.* Zachariæ vero

Vide supra cap. 107.

Hæretici præfigurati per Edomitas siue Esauitas

Lutherani Sacerdotum iugū excusserunt.

Hæretici à pueris Pastorum superandi.

nono capite, prænunciatur fore, vt Ecclesia *Lapidibus fundæ filios Græciæ subijciat*, siue, prosternat superbiam Hæreticorum, qui Græcos imitati (1. Cor. 1. & 2.) *Sapientiam quærunt & in humanæ sapientiæ doctis verbis gloriantur*, ac ferè politiori literatura inflati Episcopis tamquam indoctioribus parere indignum putant. Quo loco non debet cuiquam esse dubium, quin nobis ad Dauidis cum Philistæo congressum mysticè interpretandum digitus intendatur. Hæretici nempe sunt *Philistæi*, auribus & cordibus *incircumcisi*, *exprobrantes exercitui Israel* & gloriosè quemuis Catholicum ad certamen prouocantes. Hos Ecclesiæ *Lapidibus fundæ* prosternit, pueri nempe inermis & militiæ insueti manu rotatis & contortis. nam id longè Deo & Ecclesiæ est gloriosius, quàm si quis eos vincat, qui fuerit bellator ab adolescentia sua, & in armis ætatem exegerit: id quod etiam Psalm. 8. Sic significatur. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Infantes eiusmodi sunt, qui adhuc sugunt vbera matris Ecclesiæ, quibus lacte opus est, non solido cibo, qui sunt imperfecti & imbecilles ad audiendum sermonem iustitiæ, neque discendis profundis Dei, siue, Theologiæ mysterijs idonei, de quo genere Apostolus loquitur Hebr. 5. *Imbecilles facti estis ad audiendũ grandem sermonem, & indigetis vt doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. paruulus enim est. Perfectorum autẽ est solidus cibus, qui consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* Longè igitur ad Dei & Ecclesiæ laudẽ amplius est ab his Hæreticos superari, quàm *Perfectorũ*, siue, Theologorum Gladio obtruncari: quemadmodum populo Israelitico longè fuit etiam inter Philistæos gloriosius, Goliathum à Dauide, quàm à Saule Rege cæsum fuisse. Psalmus LXIII. idem Parabola non multùm dissimili significauit. Cùm enim ingenium & consilium *Inimici* Ecclesiæ, siue *conuentus malignantium & multitudinis operantium iniquitatem*, hoc est, Hæreticorum exposuisset, statim addit: *Exultabitur Deus*, siue gloria Dei illustrabitur quomodo? *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, hoc est: Paruuli suis sagittis eos vulnerarunt, vt nihil firmi eis respondere, neque se tueri possent, quid autẽ fecerũt Auditores seu pugnæ illius Spectatores? *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo. Et annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt*, siue, Luthero interprete, deridebit, quicumq; viderit: & omnes

Hæretici per Philistæos figurati.

Prosternuntur à paruulis Catholicorum, siue à Laicis Theologiam ignorãtibus.

Nam id Ecclesiæ est gloriosius, quam si Theologi eos superarent.

& omnes qui viderint, dicent: Hoc Dei est opus, & intelligent istud à Domino factum esse. Porrò *Sagittæ paruulorum*, idem significant, quod *Lapides limpidi*, de quibus mox dicam. Est autem operæpretium animaduertere, quo animo, quoque habitu, quibusque armis Dauid cum Gigante congressus victoriam retulerit, vt eius exemplum nostri paruuli gregis rectè imitari sciant.

Laici Catholici cum Hæreticis pugnantes quid obseruare debeant.

Primùm cùm Rex vestimentis suis eum induisset, galeamque æream super caput eius imposuisset, ac lorica vestitum gladio suo accinxisset, dixit Regi: *Non possum sic incedere, quia non vsum habeo: & deposuit ea, & tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus.* Similiter Laici cum Hæreticis congredientes, id quod res est, apertè ferre ac fateri debent, se non esse Theologos, nec vsum armorum habere, aut solidis ex penitiori Theologia depromptis argumentis instructos esse. Ea enim re gloria Ecclesiæ magis illustratur, quod quando paruulos eius tanto inimicis superiores esse constiterit, quantum ipsorum Theologorum robur esse oporteat, statim omnes conijciant.

Primùm fateri debent se Theologica nescire.

Deinde *elegit sibi Dauid quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, & Fundam manu tulit, cumque hostis contra eum appropinquaret*, magno animo *festinauit & cucurrit ad pugnam ex aduerso eius, & misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, percussitque Philistæum in fronte, qui cecidit in faciem suam super terram.* Similiter Laici ex Torrente DEI, siue ex Sacra scriptura (de qua Psalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis nos.* Et Ezech. 47. de eodem torrente verba faciens, ait *aquas eius ex templo egressas*, hoc est. Scripturas ab Ecclesia nobis traditas & commendatas, primùm minimè profundas esse, seque per eas *vsque ad talos traductum fuisse, mox verò vsque ad genua, post vsque ad renes, tandem verò vsque eò intumuisse illas, vt transuadari Torrens ob profunditatē non posset*, quibus significatur, Scripturæ sensus alibi faciles ad intelligendum satisq; perspicuos, alibi difficiliores & obscuriores, alibi deniq; inexplicabiles esse) ex hoc igitur Torrēte Dauides nostri, vbi minima est aquæ profunditas, siue minima Scripturę obscuritas, eligunt sibi lapides aliquot limpidissimos, hoc est, loca Scripturę maximè perspicua, cuiusmodi sunt illa, quæ de Ecclesiæ ac Pastorū eius auctoritate, deq; Ouium Christi erga Pastores legitimè vocatos, & erga alienos, fures ac latrones, non per ostium in ouile ingressos, officio loquuntur, quorū Deus tantam esse perspicuitatē voluit, vt etiam Infideles, pagani & Turcæ, modò linguam Scripturę didicerint, ea planè intelligant. Huiusmodi loca peram suam, vbi alioquin ientaculū aut meren-

Deinde Funda lapides limpidos in Hæreticis iaculari.

Lapides illi sunt clarissima Scripturæ loca.

merēdam seruant, recondunt, hoc est, pari diligētia memoriæ mandant, ac reliqua loca, quib⁹ spē alunt, fidemq; suam nutriunt. Et quando hostem insolenter in se inuehi vident, statim Locum eiusmodi Fronti eius impingunt, eumque prosternunt, vt in faciem cadat hoc est, Impudentiam eius expugnant, vt os suum Auditoribus ostendere vereatur. Pudor enim in fronte atque in oculis habitare dicitur, & quem non pudet, ei duram, ferream, aut nullam prorsus Frontem esse aiunt. Pudet ergò Hæreticos scientiæ ac literarum opinione inflatos, cùm sibi etiam ab iis, qui sunt Catholicorum minimi, & Sacerdotum Theologorum infimæ classis discipuli, tam illustribus ac perspicuis Scripturæ verbis os occludi sentiunt. Itaque nihil magis cauent, quàm ne Catholici de Ecclesiæ eiusque Antistitum auctoritate & ouium Christi erga eos officio diputandi occasionem habeant. Sicut.n. ipsa Ecclesia, ita & disputatio de Ecclesię auctoritate *in monte sita* est, cū qua cōparatæ de cæteris fidei capitib. disputationes, velut in plano & in campestrib. institutæ vidētur, quare quiddam facere ac dicere Hæreticos putes, ꝙ de Syris, cùm ab Israëlitarū parua manu ingētes copiæ eorū victæ fuissent, 3. Reg. 20. legimus. *Dixerunt enim Regi suo, Dij montium, dij eorum, ideò superauerunt nos. Sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & videbis, quod obtinebimus eos.*

Hæretici subterfugiunt disputationem de auctoritate Ecclesiæ.

Porrò ad descendendum de Montanis præliumque secum in campestribus conferendum dupliciter Hæretici Catholicos alliciunt. Nam aut quærunt vbi hoc aut illud scriptum sit: aut locum aliquem scripturæ ipsi in medium afferunt, quo Catholicos erroris conuincant.

Et conantur Catholicos ab ea & materia abducere

Iam vero rebus maxime necessariis suprà docui, neutro modo Catholicum ad pugnam descendere debere, cum id neque quicquam prosit, & plurimum quoque obesse possit. Cur nihil prosit, hoc loco ex parabola Campestris pugnæ satis intelligitur. Habet quippe Hæreticus in planitie copias suas dilatandi, ex quacumque parte velit impressionem faciendi, & quandocumque liceat, recedendi occasionem, quarum rerum omnium non eadem ipsi in montanis datur copia, hoc est: cùm de Ecclesiæ auctoritate, quantamque omnes Episcopis, in primis S. Petri successori, obedientiam debeamus, disputatio instituitur, tum Hæreticus vno pedatu seu congressu euidenter ex toto, facileque vinci potest. Vbi enim planum factum fuerit Spiritum sanctum, siue donum, gratiam, aut charisma spiritus sancti ad interpretandas scripturas necessarium in Ecclesia perpetuo manere, neque ab ore Pontificis & Episcoporum recedere, ac pro

Sed id Catholici committere non debent.

Nā ex ea materia Victoriā facilem, euidētem & perfectam Catholicè reportare possunt.

ethnicis & publ canis habendos esse, qui spiritum illum per os Ecclesiæ loquentem audire nolunt, aliasque scripturæ interpretationes vel ipsi cōminiscuntur, vel ab aliis inuentas probant. nempe omnia Hæretici argumenta de quibuscumque Fidei articulis simul & semel sunt profligata. Quod id autem *Euidenter* à Catholico præstari queat hoc est, ita perspicuè, vt quiuis Auditor, etiam Hebræus, Turca, aut paganus, qui sensu saltem communi sit præditus, Hæreticum efficaciter reuictū agnoscat, ex iis, quæ passim hoc libro, præsertimq; capitib. 58. 59. 77. & 90. disserui nemini obscurum esse potest. Quod enim sententia quæquam scripturæ testimoniis rectè probetur, siue quod scripturæ verba rectè intelligantur, id (velut cap. 58. pag. 193. docui) exploratū habere nemo potest, pręter ecclesiam, cuius capiti Spiritum veritatis à Deo datum esse, vt in eius ore perpetuò maneat ac loquatur, disertum in sacris literis perscriptum extat, & opere Dei siue, *verbis signorum Dei* palam confirmatur. Digitus enim Dei hic sit oportet, qui tot sæculis Ecclesiam à Tyrannnorum vi atq; ab Hæreticorum fraude saluam & incolumem conseruarit alioquin eam sic perennare omnino impossibile fuisset, cum præsertim ipsi nonnunquam Pastores ac Sacerdotes partim Ecclesiæ salute suis cupiditatibus aut propinquorum charitati posthabita, *ædificantes sion in sanguinibus & Ierusalem in iniquitate*, partim impuritate vitæ morumque turpitudine infames, nisi maior vis ab alto intercessisset, omnes mortales à fidei suæ communione absterrere, & Ecclesiam vsque à fundamentis euertere debuerinr. Rectè ergo Psalmi 75. verbis Euidentiam victoriæ, quam Montes illi Catholico propugnatori præstant, sic descripsero. *Mirabiliter Deus illuminat à Montibus æternis. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum.* Cur autem ex hoc capite de Ecclesia *facilius* confici victoria queat, hęc est causa: quia Parabolis multis ipse Spiritus sanctus ad explicandam eam rem nobis præiuit, quibus si quis rectè vti nouerit, statim Hæreticus ita conuincetur, vt cuiusuis auditoris, sententia inferior sit discessurus. Sunt enim Parabolæ & Apologi ac Fabulæ sicut inuentu faciles, ita ad concionem seu populum mouendum aptissimæ velut in secundo Rhetoricorum auctor est Aristoteles. Et Seneca, *Illi, qui simpliciter* (inquit) *& demonstrandæ rei causa eloquebantur, Parabolis referti sunt: quas existimo necessarias vt imbecillitatis nostræ adminicula sint, & vt discentem & audientem in rem præsentem adducat.* Atq; ista parabolarum perspicuitas & efficacia causa est cur iis Deus toties ad peccatores cùm docendos, tùm conuincendos

I Victoria perfectio.
II. Euidentia.
III. Facilitas.
Parabolæ sunt perspicua & ad conuincendum efficaces.

cendos in Scripturis vti voluerit. Exemplum illustre est *Isai. 5.* Vbi cum domum Israel vineæ magno labore suo inutiliter & nequicquā cultę comparasset, vt Iudæos impietatis ingratiq; animi conuinceret, (frequenter enim in ore habebant, Deum pacti cum patribus fœderis oblitum esse, ac patrum se delicta luere & iniuria plecti, *Ierem. 2. Ezech. 18.*) Parabolæ euidentia fretus, ipsos in sua quamuis causa iudices constituit: *Vineam feci, & sæpiui eam, & lapides ieci ex illa, & plantaui eam electam*, siue, optimæ notę vitibus eam conseui, *& ædificaui turrim in medio eius, & torcular exstruxi in ea, & expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Nunc ergo viri Iuda iudicate inter me & vineam meam*, id est, inter me & vos ipsos. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* Atque eadem ipsa Parabola Christus Matth. 21. Principes Sacerdotum & Pharisęos eò adigit, vt ipsi sua sententia se condemnēt: quo exemplo Nathan quoque proposita diuitis suam vicino pauperi ouiculam rapientis Parabola, Dauidi sententiam aduersus se ipsum extorquet, 2. *Reg.* 12. sed longum omnino sit, omnia Christi & Apostolorum ac Prophetarum docendi conuincendique gratia Parabolis vtentium exempla recensere: quarum nonnullas maximè illustres in eo libro, quem *Fundam Dauidicam* inscripsi, oportuniùs reddidero.

CAPVT CXX.

SIc igitur paret, quàm facilè, quàm euidenter, ac perspicuè quamq; ex toto vinci Hęreticus queat, si de Ecclesię pastorūq; auctoritate agatur, quò etiam vocatio legitma Ministrorum Dei & officium Christianorum erga illos, qui Ecclesiæ aduersantur, pertinet. Sed si de quocumq; alio Fdei capite disputetur, vincet quidem Catholicus, sed neque facilis & expedita erit victoria, cum difficile sit vel Theologo tot scripturarum testimonia in memoria habere, quibus Heretico vndelibet bellum mouenti occurrat, & pro Ecclesiæ sententia propugnet: neque vter vicerit recteque scripturis opinionem suam tutatus fuerit, siue auditori, siue ipsi etiā collocutori Hæretico euidenter constabit cū vel difficiliora sint scripturæ verba, de quib. ambigitur, vel ij, qui iudiciū faciunt, aut ingenio minùs valeant, aut non satis in rē intenti sint, aut Dialecticen, hoc est, veri à falso discernendi artificium non æquè didicerint. *Sicut aliis in rebus omnibus* (ait Aristoteles 2. Sophistic. Elench. 1.) *celeritas & tarditas omnis pendet ab exercitatione, ita planè in disputationibus vsuuenit: vt tametsi res nobis cognita sit, sæpe tamen* ἀμελέτητοι quia meditatio & exercitatio desit, *expedire nos in tempore, & vt decet non possimus. Sæpè accidit, vt*

Disputationes de ceteris articulis sunt Catholicis iniquiores. Vincunt enim, sed neque Facilè.

Neque euidenter.

Neque perfectè, sed tantum ex parte.

quod scimus, mutatis & traiectis verbis ignoremus. Postremò quamuis Catholicus disputator & facilè de quouis Fidei capite rationem reddere ex scripturis possit, & Hæreticum euidenter vincat, nempe vnum modo Fidei caput defenderit, in cæteris Hæreticus sibi, ac forsan etiam auditori, adhuc inuictus videbitur. quod perinde est, ac si vna tantùm hostilis cohors concisa foret, ceteræ verò integræ adhuc saluæque sub signis habeantur. Itaque non committendum est Catholico, vt ex Montanis in campestria hostis astu pertrahatur, sed ipse potiùs hostem ad sese adscendere, eoque loco, quo neque omnes copias suas explicare possit, neque recipiendi se pedemque referendi cum ei libuerit, copiam habeat, secum confligere, hoc est, non de quo ipse velit articulo, sed de auctoritate Ecclesiæ, velit, nolit, disputare coget. Id verò quibus modis facere queat, aliàs accuratè docebo: nunc breuiter atque in genere monuisse sat sit, Hæreticum, qui Catholico negotium exhibet, aut verba Scripturæ exigere, hoc est, vbi hæc aut alia sententia in sacris literis inueniatur, quærere: aut vltro locum aliquem, quo erroris crimen Catholicis impingat, è scripturis promere. Vtrouis modo rem gerat, non difficulter ad illam, quam tantopere deuitat, de Ecclesia controuersiam, quantumuis renitens pertrahi potest. Disputare namque gestienti quærentique verbi graria, *Vbi scriptum est, quod sit Purgatorium, quod sancti sint inuocandi, quod sub vna specie communicandum?* neqnaquam scripturæ locum etiam si multa impromptu habeam, recitabo (hoc enim esset de Montanis in campestria, vbi omnia hostis magis secunda & ex vsu suo habeat, descendere, & oportunitates rerum ad perfectam, facilem ac perspicuam victoriam idonearum de manibus amittere) sed dicam, id quod ipse quærat, *scriptum esse non atramento, sed Spiritus Dei* calamo, siue lingua ministrorum eius (*Psalm.* 44. Lingua mea calamo scribæ velociter scribentis. Quis autem ille sit scriba 2. *Reg.* 23. sic declarat: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam) *non in tabulis lapideis*, neque in charta aut membrana, *sed in tabulis cordis carnalibus* Ecclesiæ, quæ est viua *Dei epistola* (quemadmodum Paulus loquitur 2. Cor. 3. qui etiam Rom. 1. Legem Dei ait esse *scriptam in cordibus Gentilium*, & quod huc propriè facit, homines ea ea lege, quam Deus in cordibus scripsit, non minus teneri, quàm ea, quæ sit literis consignata, cùm vtriusque transgressores pariter à Deo puniantur) siue, Legem aut præceptum ita credendi faciendiue in Ecclesia inueniri, & inde peti oportere. *De Sion enim exibit, Lex & verbum*

Catholicus Hæreticum cogere debet, vt secū de Ecclesiæ auctoritate disputet.

Quomodo id facere possit.

Si Hæreticus quærat, vbi scriptum? quid ei respondendum

Scriptum nēpe esse in corde Ecclesiæ, quæ est Christi Epistola.

verbum Domini de Ierusalem, Isai. 2. Itaque *ciuitas veritatis dicitur in monte sanctificato*, Zach. 8. & *columna ac firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. quippe cui promiserit Christus *Spiritum veritatis, vt doceat eam omnem veritatem*, siue verbum aut sermonem Dei. Nam *Sermo tuus veritas est*, ait Christus Iohan. 16. & 17. Itaque quod de B. virgine Luc 2. legitur, *eam conseruasse omnia Christi verba in CORDE suo*, rectissimè de Ecclesia dicitur cui se Deus iam olim Spiritum suum in corde eius daturum, & legem siue verbum suum in corde eius scripturũ promisit, Isai. 51. *Audite me qui scitis iustum, populus meus: Lex mea in corde eorum.* Non in cordibus, sed in corde. Nam *multitudinis credentium est cor vnũ, & anima vna*, Act. 4. Ezech. 36. *Effundã super vos aquã mundam, & dabo vobis cor nouũ & Spiritum nouum ponã in medio vestri*, siue in corde vestro Ier. 31. *Hoc errit pactũ, quod cum eis faciam: Dabo legem meã in visceribus eorũ, & in CORDE eorum SCRIBAM eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Isai. 8. *Signa legem in discipulis meis.* id est, intellectum Legis quasi sigillum in cera, discipulorum meorum, siue Ecclesiæ cordi imprime vt planè legi possit, sicut etiam *Cant. 8.* Christus Ecclesiæ sponsæ suæ dicit: *Pone me sicut signaculum super cor tuum, vt signaculum super brahium tuum.* quibus verbis significat, se legis ac voluntatis suæ cognitionem Ecclesiæ dare, vt cum corde rectè intelligat, tum brachia rectè operetur. De simili sigillo Ecclesiæ cordi impresso loquitur Psalmus 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* id est gratia luminis siue intellectus impressa est nobis.

Et quoniam os Ecclesiæ nihil à corde discrepat (*Corde enim creditur ad iustitiam, ore fit confesio ad salutem*, Rom. 10) propterea Deus alias in corde alias in ore Ecclesiæ spiritum ac verbum suum daturum se promittit, Isa: 29. *Hoc est fœdus meum cum Sion*, siue Ecclesia: *Spiritus meus qui est in te, & VERBA mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo neque ab ore seminis seminis tui amodò vsque in sempiternum.* Itaque non est quod quis speret se verbum, Dei inuenturum, nisi ab ore Christi & seminis siue filiorum, eius id requirat, Isai 8 *Ecce ego* (ait Christus, teste Apostolo ad Hebr. 2) *& filij mei, quos dedit mihi Dominus in signum & inportentum Israel à Domino, qui habitat in monte Sion* id est, Ego & mei discipuli, quos eis pastores dedi, in quibus Hæretici ab ecclesia, velut Israelitæ à domo Iuda separati scandalizabuntur, neq; ab illis verbum Dei petere volent, sed ad fabulas conuertentur. *Et cum dixerint ad nos* Cathlolicos. *Quærite à Pythonibus & à diuinis qui strident in incantationib. suis.* vos respondebitis: *Numquid non populus à Deo suo requiret? pro viuis*

Quicquid est in corde Ecclesiæ idem est in ore eius.

Ita Verbum Dei ex ore Ecclesiæ peti debet.

Non à prædicantibus Hæreticorum, qui sunt arioli & incantatores.

viuis à mortuis? Ad legē magis & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux: & transibit per eam, & corruet, & esuriet] Hæc verba Lutherus ita reddidit. Si autem dixerint vobis: Oportet vos diuinos, & ariolos consulere, qui multum garriunt & disputant, sibiq; prudētes videntur, & Ratione sua scripturam moderari volunt: tum respondete: Numquid non populus Deum suum consulet? Vtrum mortuos loco viuorum consulere oportet? Imo iuxta legem & testimonium. Si hoc non dixerint, non habebunt auroram, sed in terra circumibunt contriti & famelici. *Sensus est:* Si Hæreticorum discipuli in Ministris meis scandalizati dixerint vobis, vt discatis ab ipsorum doctoribus, quod sit Dei verbum (illis enim credunt, quod eorum disputationibus fascinati scripturas rectè ab illis intelligi persuasum habeant) tum vos respondete: Catholici hominis officium esse consulere Deum ipsum per os Sacerdotum loquentem, non Pythonas siue prædicantes, qui *segregarunt semetipsos, animales, Spiritum* Christi *non habentes, ac bis mortuos* (quemadmodum in Iudæ epistola describuntur) per quos Diabolus, tamquam per ventriloquos loquitur, & *est spiritus mendax in ore eorum, 3.* Reg. 22. Faciendum esse, quod Lex præcipiat, vt lex scilicet, iudicii veritas & scientia à Sacerdote legitimo requiratur, velut *Deut.* 17 & *Malach.* 2 scriptum est. Sin autem isti Hæreticorum discipuli, vobis, in eo contradixerint, & mortuos potius Doctores suos, quam Ecclesiæ præpositos spiritum Dei viui in ipsis habentes consulendos & audiendos putarint, manebunt in tenebris errorum, neque vel tantillū lucis assequentur, quale in crepusculo matutino esse solet, nedum ad perfectam diem & & meridianam lucē perueniant *Via impiorū, tenebrosa nesciūt vbi coorrūāt. Iustorū autē semita, quasi lux splendens, pcedit & crescit vsq; ad perfectā diem* Pro. 4. Sed nihil opus est hic omnia scripturæ loca, quæ hac de re passim toto libro exposui, denuò in mediū afferri cùm præsertim iam satis planū fecerim, quo pacto Hæreticus de articulis obscurioribus litigare quærens (nam *qui male agit odit lucem,* Ioh. 3. & *Oculus adulteri obseruat caliginem*, in qua latere & veritatem adulterare, seu verbum Dei intellectu difficilius deprauare possit, quemadmodum Apostoli 2. *Cor* 4. & 2. *Pet* 3. loquuntur) ad hanc de Ecclesia quæstionem, omnium illam clarissimam & apertissimam perduci possit.

Sūt enim mortui nec habent Spiritum.

Sed inde peti debet vnde lex iubet, id est à Sacerdotibus.

Aliter facientes nunquam ad lucē veritatū perueniunt

Quare hæretici de Ecclesia auctorita e tā inuiti disputent.

Sin autem ipse scripturæ locum quempiam proferat verbi gratia: scriptū est, *Bibite ex hoc omnes:* ex eoq; cogere conetur, peccare Catholicos, qui sub vna tantū specie cōmunicent, ei dicam, queadmodum Chri-

Hæretico scriptura verba citanti quod respondendum.

Christus Saducæis. *Erratis nescientes scripturas*, Matth.22. siue tu verba scripturæ perperam intelligis. Hoc autem duplici modo vincam, quorũ vterq; ad pugnã in Montanis mecũ conferendã siue ad dispu-tandũ de Ecclesia eum adigat. Prior modus sic institui potest: Tu in verborum istorum intellectu eos sequeris Magistros, qui nõ fuerunt Pastores, sed lupi, siue fures ac latrones. *Vel*: Sensus iste, quem tu probas, est vox Alieni, non Pastoris. Itaq; veræ oues Christi eum sensum fugere debẽt, cum haud possit nõ esse falsus. Nã Pastores à Deo dati *pascũt oues sciẽtia ac doctrina*, Ier.3. à quibus qui dissentiunt, nec acquie-scunt eorum doctrinę sed aliter docẽt, illi pascunt oues Insipientia & mendacio. Isa.32. *Insipiens nõ vocabitur vltra Princeps. nã fatua loquetur, vt vacuam faciat animã esuriẽtis & potũ sitiẽti auferat. Cogitauit cogitationes ad perdẽdos mites in sermone mẽdacij*, 1. Tim.6. *Hæc loquere*, tu Pastor. *Si quis aliter docet, & non acquiescit, superbus est, nihil sciens.* Esse autẽ Magistros tuos, Lupos, alienos, fures ac latrones, probo auctoritate Pastorum siue Episcoporũ in Concilio Tridentino congregatorum, cuius iudi-cium est iudicium ipsius spiritus sancti. ꝙ probari potest iisdẽ omni-bus scripturæ locis, quorum modò mentionẽ feci. nam illa disertim clarissimeq; dicunt, *Spiritũ veritatis, qui omnẽ veritatẽ docet, ab ore Pasto-rũ in æternũ non recedere*, omnesq; Episcopos *gratiã Spiritus sancti* ad pascendum gregẽ & ad cognoscendos ac pellendos lupos necessariã *per impositionem manum presbyterij accepisse*. Potest idem aliter probari, si nempè dicam: Qui non intrat per ostium in ouile, siue, qui sine legi-tima vocatione, & potestate non accepta oues pascere audet, is alie-nus est, fur, latro lupus, *Ioh*.10. Tui magistri à nemine legitime voca-ti, neq; potestate aliunde accepta pascere oues, siue hoc modo doce-re audent. Nam aut manus eius ab Episcopis non fuerunt impo-sitæ, quoquidẽ modo gratia siue donum spiritus ad Pascendum cõ-fertur (1.*Tim*.4.& 2.*Tim*.1.) aut qui manus eis imposuit, nullum eis hoc modo pascendi oues, siue, hoc modo interpretandi scripturas mandatum dedit. Docuerunt igitur à nemine ad id missi, suntque adeò Alieni, fures, latrones ac lupi. Possent multæ aliæ rationes ad conficiendam euidentissimè victoriam idoneæ in medium afferri, sed peculiaris id erit operæ ac libri, velut iam dixi.

Prior respondendi modus.

Alter modus est iste, Tu verba hæc, *Bibite ex hoc omnes*, aliter acci-pis ac doceat spiritus sanctus per os Ecclesiæ, seu Pastorum loquens, Igitur ea perperam intelligis. Prius omnibus illis scripturæ lo-cis doceri potest, quæ, velut dixi, Ecclesiæ ac Pastorum auctoritatem

Alter respondendi modus.

tam euidenter sanciunt, vt id nemini neque Turcæ aut pagano obscurum aut dubium esse possit. Atque isti sunt *limpidi* illi *Lapides ex Torrente electi*, quibus incircumcisorum Philistæorum frons oppugnari, ipsique à paruulis gregis seu pastorum pueris percelli prosternique debent, dum tamen *Fundam* habeant, eaque lapides iaculari sciant. *Funda* verò est eloquentia, siue verborum copia, aut dicendi facultas, etsi non magna cum scientia rerum coniuncta. Exemplo est Appello ille Alexandrinus, *vir eloquens* quidem *& feruens Spiritu*, sed qui parum admodũ de Christo sciret. *Itaq. aquila &* vxor eius *Priscilla assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini*, ac velut lapides limpidos ex torrente exceptos ei præbuerunt, quibus acceptis *contulit multum Ecclesiæ. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per scripturas, Iesum esse Christum*, Act. 18. Nunc videamus, quid Gigante prostrato, Dauid porrò fecerit.

Funda, cuius in iaculandis lapidibus vsus est.

Tertium quod Laici cum Hæreticis pugnantes facere debẽt suo scilicet eos gladio iugulare.

Veritus ne viribus recollectis hostis mox humo consurgeret, *repentè cucurrit, & stetit super eum. Et eduxit gladium de vagina ipsius & interfecit eum.* Similiter Dauides nostri Hæretic s euidenter conuictis, ne mox frontem perfricent ac pudorem missum faciant, instare, ac suo sibi gladio iugulare eos debent. Id faciet exempli gratia, qui cum illustrissima scripturæ verba, quibus Ecclesiæ commendatur & sancitur auctoritas, protulerit, ijsq; aduersarium apertè conuicerit, statim ipsius quoque Lutheri aut Caluini verba eandem sententiam, probantia referat: cuiusmodi est locus hic in *Lutheri Postilla VVitteb. in concione de Natali Domini Luc.* 2. Ecclesia Christi omnia Dei verba in corde suo conseruat, & cum inter se, tum collatione scripturarũ expendit. Itaq; Christum inuenturus, Ecclesiam prius inueniat necesse est. quo enim pacto scietur, vbi sit Christus & fides eius, nisi sciatur vbi sunt fideles eius? Et de Christo scire aliquid cupiens, nequaq̃ ipse sibi confidere, neq; rationis suæ opera peculiarẽ sibi pontẽ, quo in cœlum ascendat, fabricari, sed ad Ecclesiam adire, eamq; visitare & consulere debet] *Et tom. 7. Ger. VVitt. de veteri Ecclesia fol.* 561. Fateri coguntur, Ecclesiam esse Petram, cui portæ inferorũ non præualeant (*Matth. 16.* siue vt Paulus interpretatur, columnam & firmamentum veritatis. Pręterea in Symbolo quoq; dicitur Ecclesia esse sancta, & Paulus 1 *Cor.* 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Itaq; Ecclesia mendicium falsamque doctrinam ferre nec vult, nec potest] *Et mox* Ecclesia non debet, neque potest mentiri aut falsum docere, ne in vnico quidẽ cap. Si vnum modo menda-

Lutheri confessio de auctoritate Ecclesiæ.

mendacium doceat, iam ex toto falsum est, quod docet. quomodo verò res aliter habere se posset? cùm Dei os sit os Ecclesiæ. Deus certè mētiri nō potest. Ergò nec Ecclesia] *Et hæc Caluini verba Institut. lib. 4. cap. 1. sect. 5.* Vnde sequitur, dignos esse, qui fame & inedia pereant, quicumque spiritualem animæ cibum per manus Ecclesiæ (*id est, per os Pastorum*) porrectum respuunt. *Et mox:* Sicut autem populum Iudaicum Deus non ablegauit ad Angelos. sed Doctores excitauit è terra, qui verè præstarent munus Angelicum (*Labia sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini est*, id est, *Legatus siue Nuncius*, Malach. 2.) ita & nos hodie humanitùs vult docere. Ac sicut olim non contentus fuit sola Lege, *siue*, *sola Scriptura*, sed Sacerdotes addidit interpretes, ex quorum labijs populus requireret verum illius sensum: ita hodie non tantùm vult nos esse lectioni attentos, sed Magistros etiam præficit, quorum opera adiuuemur. Cuius rei duplex est vtilitas. nam ab vna parte optimo examine obedientiam nostram probat, vbi eius Ministros non secùs atque ipsum loquentes audimus: ex opposito, etiam nostræ infirmitati consulit, dum per interpretes humano more nos mauult alloqui, vt ad se alliciat, quàm tonando à se abigere.] *Et Commentar. in illud Act. 15.* Visum est Spiritui sancto & nobis: Hoc, *inquit*, refellitur eorum improbitas, qui Fidem plenis buccis iactantes, Ecclesiæ Ministerium impiè non minùs, quàm superbè contemnunt. Nam vt sacrilega esset partitio, si Fides vel in minimo articulo separatim ab homine penderet: sic ludibrio Deum palàm habent, qui præteritis Ministris, per quos loquitur, illum se Magistrum recipere simulant.] *Similiter in Commentario Isai. 59. explanans verba illa:* Spiritus meus, qui est in te & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & seminis tui vsque in sempiternum, *sic scribit:* Ostendit Deum sic nos alloqui, vt hominum ministerio & opera vti velit. Posset quidem è cœlo ipse loqui, aut angelos mittere: sed in eo magis nostri rationem habuit, quod per homines nostri similes nos conuenit, vt eorum voce & sermone omnia faciliùs intelligamus. Hunc ergò ordinem in Ecclesia statuit, vt frustra iactent, se Deo parere velle, qui eius Ministros reijciunt. Est autem eiusmodi hæc promissio: Dominum sic affuturum Ecclesiæ, sicque eius curam habiturum, vt eam priuari doctrina numquam sinat, *id est, vt numquam desint Doctores in Ecclesia, in quorum ore sit Spiritus & verbum Dei:* Cum quibus conferri possunt hęc eiusdem Caluini verba *in Comment. Ezech. 13.* Hodie videmus, vt Papistæ sibi Ecclesię nomen arrogent, quia

Et Caluini.

Caluinus hic fatetur Ecclesiam numquā esse sine pura doctrina.

quia ab illis obtenditur perpetua successio. Et certè COGIMVR fateri, penes illos esse ordinarium Ministerium.] Consequens igitur est, vt fateamini Spiritum & verbum Dei esse in ore horum Dei ministrorum, & Deum ipsum per os Episcoporum loqui, vt verè possint dicere: *Visum est Spiritui sancto & nobis*, vt Deum ipsum rideat, qui ministros eius ridet.

CAPVT CXXI.

Caluini Confessio de legitima Pastorum Ecclesiæ vocatione.

SIMILI ratione cùm illustrissima illa Scripturę loca Catholicus Hęretico impegerit, quæ Legitimos Pastores ac Doctores per impositionem manuum Presbyterij constitui, neque cuiquam gratiam Spiritus sancti ad munus illud necessarium aliter impertiri testantur, cui consequens est, vt Hæreticorum Magistri non sint Pastores, sed Lupi, fures ac latrones: statim ipsorummet Hæreticorum confessione aduersarium iugulabit. Cuiusmodi est hæc *Caluini Institut. libr. 4. cap. 3. sect. 10.* Cùm ordine omnia & decenter in sacro cœtu gerenda sint, nihil est, in quo id seruari diligentiùs oporteat, quàm in constituenda Gubernatione: quia nusquam maius periculum est, si quid inordinatè geritur. Itaque ne homines inquieti ac turbulenti (quod aliàs futurum erat) temerè se ad docendum vel regendum ingererent, nominatim cautum est, ne quis sine vocatione publicum in Ecclesia munus sibi sumat *Hebr. 5. Nemo sibi ipse sumit honorem, sed qui vocatus est, vt Aaron.* Ergò vt quis censeatur verus Ecclesiæ Minister, primò RITE vocatus sit oportet: deinde, vt suę vocationi respondeat, id est, INIVNCTAS sibi partes suscipiat & exsequatur] *hoc est*, permaneat in ijs, quę didicit & quę credita sunt ipsi, neq; conuertatur in vaniloquium, sed formam habeat sanorum verborum, quę ab eo audiuit, à quo vocatus fuit, & custodiat depositum, deuitans profanas vocum nouitates & oppositiones *Hæresios siue* falsi nominis *aut apparentis* scientiæ, 1. Tim. 1. & 6. & 2. Tim. 1. & 3. Quid autem sit RITE vocari, sic *ibidem Sect. 16.* Caluinus declarat: Licet nullum exstet certum præceptum de Manuum impositione, quia tamen fuisse in perpetuo vsu Apostolis videmus, illa tam accurata eorum obseruatio præcepti vice nobis esse debet. *Et infra*: Hoc postremò habendum est, non vniuersam multitudinem manus imposuisse suis Ministris, sed solos Pastores, *siue Presbyteros, hoc est, Episcopos.* 1. Tim. 4. *Noli negligere Gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per imposi-*

Quem Caluinus putet esse Verum Ecclesiæ Ministrum.

Cui scilicet manus sunt imposita.

Ab alijs Ministris similiter vocatis.

impositionem manuum Presbyterij. Gratiam intellige Gubernandi seu regendi Ecclesiam (1.Cor.12,28.& Actor:20,28.) & alios Episcopos, Presbyteros ac Diaconos per impositionem manuum suarum constituend. 1 Tim.5.22.Tit.1,5 Actor.14,22. *Cùm* χειροτονήσαντες, id est, *impositis manibus constituissent Illis per singulas Ecclesias Presbyteros* & 1. Cor. 16.*Ne quis Timotheum spernat. Opus enim Domini operatur, sicut & ego.* id est, tam est Episcopus, quàm ego. nam *Episcopatus est opus bonum,* 1.Timot 3. cui qui præest, *honore dignus* est, etiamsi minùs laudabiliter præsit, neque sperni debet: sed *si benè præsit, duplici honore dignus est,* 1. Tim.5.17 Causa, cur Episcopus sperni non debeat, etiamsi minùs benè præsit, hęc est, quia est in illo Gratia Spiritus sancti, dàta ei per impositionem manuum: quę quamuis ipsi nihil prosit ad salutem, prodest tamen alijs, quos regit. Itaq; sperni non potest, sine contemptu Spiritus sancti, cuius gratia propter gregis vtilitatem data in ipso habitat 2.Tim.1.*Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis* 1.Thess.4. *Qui præceqta mea spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spisitum suum sanctum in nobis,* nempe per impositionem manuum Presbyterij. quamuis enim Paulum Christus de cœlo ad Apostolatum priùs vocasset, voluit nihilominus vt ab Episcopis Antiochiæ consecratus per impositionem manuum *ad opus suum,* pascendi uempe oues Christi, Gratiam Spiritus sancti potestatemq; acciperet, *Act.13* idq; nullam aliam ob causam Caluinus factũ ait. *quàm vt ordinaria Ecclesiæ Missio commendaretur:* qui Caluinus in illud *Matth 28.* Ecce ego vobiscum sum (*cùm docentibus & baptizantibus, siue, cùm ordinarijs Pastoribus*) omnibus diebus vsq; ad cõsummationẽ sęculi, *ita scribit:* Notandum est, non solis Apostolis hoc esse dictum, quia non in vnam modò ętatem, sed vsq; ad finem mundi Dominus auxilium suum promittit.] Negari ergò nequit, iam inde ab Apostolis nũquam vlla die Pastores rectè docentes ac baptizantes defuisse, adeoq; Pastores non sunt, qui ab alijs Pastoribus Gratiam Spiritus per impositionem manuum non acceperunt. *Beza Tomo 1. tractat. Theolog. in Confessione fidei bap.5.de Ecclesia § 28. fol. 44.* Seriò admonemus pios omnes, vt diligenter inquirant in eos, qui prætérita legitima & ordinaria vocatione, quoties aliquis est ei locus (*sicut semper esse iam demonstratum est*) vltrò ad Ministerij functionem accedunt. Certum enim est, eiusmodi homines cùm non nisi à malo Spiritu impellantur, etiamsi ad tempus simulent Pastorum vocem, tamen Lupinũ ingenium tandem prodere, cum sera plerumq; miserarũ ouium pœnitentia

Paulus per impositionem manuum factus Episcopus.

Beza confessio de necessitate legitima Vocationis.

tentia. *Idem Tomo 3. tract. Theol. epist. 5 fol. 202.* Nisi te à Pastoribus legitimis doceri sustines, quo tandem iure potes inter oues Christi censeri? *Et epist. 24. fol. 235.* Ecclesia Christi est cœtus hominum Euangelium Christi profitentiũ, in quo per Ministros ad hoc vocatos, Euangelij doctrina purè traditur & Sacramenta ex verbo Dei administrantur.] *Lutheri* verba, quibus eadem confitetur, nimis longum sit adducere. Petet ea, qui volet, ex libro meo Germanico, quem *Humiliationem Protestantium* inscripti, à folio 41. vsque ad folium 48. & inueniet, vel in illis solis ad iugulandos Protestantes, eosque tam Caluinianos, quàm Lutheranos plus satis momenti inesse. Neque enim quicquam refert, quod multos Prophetarum suorum Lutheri, Caluini, ac similium vsque eò pudet, vt sibi cum ijs quicquam negotij esse negent, seque vnius Scripturæ ductum sequi dicant, cui si quid sit analogon seu conueniens, nihil se morari, à quo tandem id priùs prolatum fuerit. Sed perfacile est, eiusmodi perditam friuolamque defensionem eis extorquere. *Fides enim ex auditu est* (ait Apostolus Rom. 10.) *quomodo namque credent, de quo non audierunt?* Itaque Isaias: *Domine*, inquit, *quis credit auditui nostro?* Et Paulus 1. Thess. 2. Verbum Dei appellat *verbum auditus Dei.* Ergò sententiam illam, quam veram credis, ex alio audiuisti. quis autem ille est, nisi vel pater, vel magister, vel quis alius notus aut amicus? Is porrò vnde audiuit? nempe ad Lutherum tandem referaris necesse est. Itaque qui sunt candidioris animi & à callidis id genus dissimulationibus remoti, quemadmodum etiam illi, qui frontem bene ac nauiter perfricuere, Lutheri se discipulos esse ingenue confitentur. Exemplo sunt Germaniæ Electores, Principes, Reguli, Ciuitates, cum suis Prædicantibus, qui sua *Concordiæ libro* nomina subscripsere, quorum verba, simulque Caluini Lutherum pro Magistro ac Viç Duce agnoscentis Confessionem supra *cap. 102. pag. 239.* posui. quomodo verò non id fateantur, quod sine summæ siue stoliditatis, siue impudentiæ nota negare nequeunt? Verbum namque Dei rectè intellectum est *Lumen*, quod homines ex vmbra mortis & caligine ad Lucem perpetuam educit, Psal. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat. Lucerna pedibus meis verbum tuum*, rectè nempe declaratum. nam idem perperam intellectum est *Mons caliginosus ad quem pedes offendant* oportet, Ierem. 13. 16 Plurimum ergò cuiusque refert, quo Duce in tenebris vtatur, siue, cuius Doctoris interpretationem Scripturarum *in rebus ad salutem necessarijs* pro vera habeat. nam qui Scripturæ verba deprauat, est Dux cœcus, qui simul cum eo, quem ducit, cuique suam inter-pre-

Ecclesiæ definitio auctore Beza.

Hæreticis, qui dicunt se nihil curare Lutherum aut Caluinum quid respondendum.

Omnes Protestantes sunt Lutheri discipuli.

Interpretatio vera Scripturæ est Lumen in tenebris.

Falsa interpretatio perdit interpretẽ & eũ qui eam amplectitur.

terpretationem perſuadet, in foueam cadit. 2. Petri 3. *In Pauli epiſtolis ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Hæc ergò præſcientes, vos cuſtodite, ne inſipientium errore* (ſiue falſo Scripturæ intellectu) *traducti excidatis à propria firmitate, creſcite verò in gratia & cognitione Chriſti.* Ergò qui non cauent, neque ſe cuſtodiunt ab eo, qui perperam Scripturas interpretatur, ij excidunt gratia & cognitione Chriſti, ac ſimul cum Doctore ſuo perduntur. Hoc ipſum ex alia Parabola, qua Verbi Adminiſtratio cum Oeconomia confertur, planum fieri docerique poteſt. Verbum enim Dei rectè diſpenſatum, eſt Panis vitę. Matth. 4. *Non de ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Non autem rectè diſpenſatur verbum niſi in domo Dei, ſiue in Eccleſia, à Paſtoribus & Doctoribus, qui ſunt *Diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1. Cor. 4. *rectè tractantes* ſeu partientes *verbum veritatis*, 2. Tim. 2. Sed idem Dei verbum extra Eccleſiam, aut ab eo diſpenſatum, qui vel munus & officium Diſpenſatoris non accepit, vel ab Oeconomo illo, *quem conſtituit, Dominus ſuper omne famulitium* (ſiue, ſuper ceteros famulos ac diſpenſatores, *vt det illis in tempore tritici menſurã*, ſiue, vt metiatur vnicuiq; quo ſe ac ſuę curę cõmiſſos paſcat, Luc. 12.) diſpenſatione abactus & ex domo eiectus fuit, eſt *Panis mendacij*: quia qui eum comedit, verbum Dei comedere ſe putat, ſed reuera non magis comedit, quàm qui dormiens comedere ſe ſomniat. Pro. 23. *Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt Panis mendacij* Iſai. 32. *Fraudulenti vaſa peſſima ſunt. Ipſe enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites* ſiue credulos, *in ſermone mendacij, vt vacuam faciat animam eſurientium.* Iſai. 29. *ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: Sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion*, ſiue Hæreticorum Eccleſiæ rebellium. Oſeæ 9. *Scitote Iſrael ſtultum Prophetam, inſanum virum ſpiritualom. Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius* (populũ falſa Scripturæ interpretatione irreteuit & decepit, de quo vide ſupra cap. 22.) *Area igitur & torcular non paſcet eos, & vinum mentietur eis. Panis eorum non intrabit in domum Domini* Oſeæ 10. *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij, quia confiſus es in viis tuis.* Igitur palàm nugas agunt, qui ſua nihil intereſſe d cunt, cuiuſmodi Lutherus, Caluinus, alijque, quorum ipſi ſententiam aduerſus Eccleſiam tuentur, fuerint. Si enim non fuerunt fideles diſpenſatores Domini in domo eius, certè doctrina eorum eſt Panis mendacij: quam qui probant, ijs non eſt pars, neque ſors in

Verbum Dei rectè intellectum eſt Panis vitæ.

Malè intellectũ eſt Panis mendacij.

Quem qui comedunt, fame pereunt.

Falſi interprete ſunt præſtigiatore, qui faſcinant homines.

ſermone Domini, & quamuis à præſtigiatoribus faſcinati (quemadmodum Paulus loquitur Galat. 3. *Quis vos faſcinauit, non obedire veritati?*) comedere ſe ſomnient ac verbo Domini paſci ſibi videantur, reuera tamen fame contabeſcunt.

CAPVT. CXXII.

Alia ratio conuincẽdi eos, qui negant ſe curare auctoritatem Doctorum ſuorum.

DENIQVE vt compendio quodam ingentem eorum ſtoliditatem declarẽ, qui cùm in pręcipuis Fidei capitibus eam tueantur ac veram credant ſententiam, quam Lutherus, Caluinus & ſimiles, ipſorum auis, parentibus, propinquis, cõcionatoribus aut Magiſtris ab Eccleſię cõmunione alienatis perſuaſerunt, eorũ tamen diſcipulos ſe videri nolunt: perinde faciunt ac ſi ſe dicant eſſe *ciues* in ciuitate Dei, ſed nulli Magiſtratui Iudiciq; ſubditos: *oues* gregis Chriſti, ſed nulli Paſtori creditas: *diſcipulos* in ſchola Chriſti, ſed à nullo Præceptore diſcentes: *milites* in caſtris Chriſti, ſed nullius Imperatoris, Tribuni, aut Centurionis dicto audientes: *Viatores* ad Chriſtum proficiſcentes, ſed ſine Duce, qui viam teneat, & commonſtret: *membra* corporis Chriſti, ſed oculata, nec lumine oculi, qui eſt in capite, vtentia: *filios* matris Eccleſiæ, ſed ſine patre (qui per Euangelium eos Chriſto genuerit: *nautas*, ſiue *vectores* potiùs, in naui Chriſti, ſed ſine nauclero aut Gubernatore: *conuiuas* ad cenam magnam itantes, ſed à nemine inuitatos: *arbores* frugiferas in Chriſti pomario, ſed nullo hortulano rigante aut plantante. *lapides* in templo Chriſti, qui ſuper fundamẽtum ædificentur, ſed ſine architecto: *piſces* in ſagena Chriſti, ſed à nullo piſcatore concluſos: *manipulos* frumenti, qui in area Chriſti triturentur, ſed ſine boue: *iumenta* clitellaria, iugum aut onus Chriſti ferentia, ſed ſine ſagmario vel agaſone aut mulione. Quæ omnia cùm palàm ſint abſurdiſſima, non poſſunt certè, quin ſe Lutheri, Caluini aut ſimilium diſcipulos eſſe fateantur. Itaque horum verba pro Catholica ſententia aduerſus diſcipulos proferre, nihil eſt aliud, quàm ipſos gladio ſuo iugulare & caput eis abſcidere. Si enim in hoc Doctores eorum mentiti fuerunt, quod Catholicis largiuntur, non fuit Spiritus Veritatis per os eorum locutus, ſed vel ipſi ex ſe id dixerunt, vel Satan fuit Spiritus mendax in ore eorum, vt eos vtrouis modo Pſeudoprophetas & Impoſtores fuiſſe oporteat. Si enim ſuum Spiritum ſecuti fuerunt, dixeruntq; quod eis libuit, nihil eos in rebus diuinis vidiſſe çertum eſt. Ezech. 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritũ ſuum, & nihil*

Hæreticorũ verbis diſcipulos eorum conuincere eſt ipſos gladio ſuo iugulare.

Ex ſuo Spiritu loquentes nihil vident neq; intelligunt in rebus diuinis.

& nihil vident, cùm Dominus non miserit eos. Visionem cassam vident, & loquuntur mendacium. Deut. 18. *Quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit.* 2. Pet. 1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit* (id est, nemo Scripturam proprium Spiritum sequens interpretari potest, sed dono Spiritus sancti ad id opus est) *nec enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* 1. Corint. 2. *Quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Animalis homo,* qui Spiritus sancti peculiarem gratiam ad interpretandum sermones necessariam non accepit, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, & non potest intelligere.* Sin autem Satana inspirante ijdem Doctores eorum locuti fuere, cuiusmodi totam eorum doctrinam esse oporteat, facilè quiuis collegerit. nam quod alternis vicibus Satan & Spiritus sanctus per os eorum docuerint, hic Veritatem, ille Mendacium, sine multò maxima & compertissima impietate stultitiaq; credi nequit. Si enim mendacium Satana inspirante locuti sunt, nempe membra corporis Christi non fuerunt, Ezech. 13. *Prophetæ, qui vident vana, in concilio populi mei non erunt, & in Scriptura domus Israel non scribentur.* Ezech. 14. *Propheta cùm errauerit, delebo eum de medio populi mei,* siue, non erit membrum populi, adeoque nec eodem Spiritu præditus. Nam *vnum corpus est, & vnus Spiritus.* Ephes. 4. Itaque suo sibi gladio amputatum est caput Hęretico, cùm eius verba, cuius ipse doctrinam sequitur, cuiusque velut Capitis sui oculo videt, pro causa nostra aduersus ipsum adhibentur.

Ex Spiritu Satanæ loquentes mentiuntur.

Qui non manet in Ecclesia, non habet Spiritum Dei.

CAPVT CXXIIII.

NEQVE tamen is solus est modus, quo suo Hæreticos gladio Dauides nostri iugulare queat. Si enim pleraque omnia eorum adhibeant, quibus Hæretici alioquin ad conficiendam Victoriæ opinionem vtuntur, idem nempe operæp retiũ fecerint. Nam vt Aristoteles 2. Sophist. Elench. 2 scribit, *sicut probabiles nonnunquã rationes ad rem probandam potiùs adhibendæ sunt, quàm veræ* (si scilicet is, cui persuasum cupimus, veras perspicere nequeat, probabilibus autem faciliùs cedat) *ita in respondendo interdum ad opinionem potiùs, quàm ad Veritatem conferendæ nobis sunt argumentorum dissolutiones. Cùm hominibus enim contentiosis,* qui quoquo modo vincere volunt, siue id glorię solius causa faciant, quos ἐριστικοὺς ἢ φιλέριδας Litigiosos & cõtẽtionis cupidos vocant, siue

Alij modi Hæreticos suo gladio iugulandi.

Argumentis & responsionibus personalibus siue ad hominem sæpe vtendum.

ſiue gloriam & ſcientiæ opinionem ſui quæſtus cauſa aucupentur, quod Sophiſtarum eſt (ἡ γὰρ σοφιστική ἐστι χρηματιστική τις ἀπὸ σοφίας φαινομένης, Eſt enim Sophiſtica ratio quæſtus faciendi ex ea, quæ tantùm videatur, ſapientia) Cùm vtriſque ergò planè *ſic nobis pugnandum eſt, quaſi cum iis, qui videantur tantùm conuincere , ſed reuera non conuincant. nec enim eos dicimus Syllogiſmo concludere, ac propterea curandum nobis eſt , vt neque videantur Syllogiſmo concluſiſſe.* hoc eſt , quia reuera ſolidis argumentis non vtuntur, ſed iis tantùm , quæ ſolida videantur , nobis eodem modo laborandum eſt , vt videantur ſolidis argumentis vſi non eſſe, etiamſi nos minimè ſolidis rationibus id doceamus , dum modo probare videamur. *Exempli gratia.* In Colloquio poſtremo Ratisbonenſi Seſſione XII, diu altercatum fuit , vtrum eſſet aliquid ſaluari cupientibus neceſſariò credendum, quod nec in Scriptura expreſsè ſiue diſertim dilucidè, verbiſque perſpicuis , exſtaret, nec ſine auctoritate Eccleſiæ euidenter ex ſacris literis deduci poſſet. Noſtrorum hoc fuit argumentum:

Exemplum ex Colloquio Ratisbonenſi.

Paruulos eſſe baptizandos, neceſſariò tenendum eſt à fidelibus.

Atqui hic articulus nec in Scriptura expreſsè exſtat, nec ex ea euidenter deducitur, ſepoſita auctoritate Eccleſiæ.

Ergò aliqui articuli, qui nec in Scriptura expreſsè exſtant, nec ex ea euidenter deducuntur, neceſſariò ab omnibus obſeruandi ſunt.

Hic Hęretici Aſſumptionem ſeu Minorem propoſitionem negarunt, callideq; noſtrorum permiſſu (quę non vulgaris eius diſputationis menda videri debet) partibus commutatis ex contradicentibus ſiue opponentibus Reſpondentes facti, operosè id egerunt , vt Paruulos baptizandos eſſe, etiam ſine auctoritate Eccleſiæ , ex Scripturis probari poſſe vincerent, vel potiùs, vincere viderentur. Eam ad rem argumentis vſi ſunt friuolis quidem illis ac falſis, ſed quorum nonnulla auditori minùs acriter intelligēti, neq; magnum Scripturarū ac Theologiæ vſum habenti valdè veriſimilia videri multiſq; verborū ambagibus maiorē probabilitatis ſpeciem accipere poſſent. Nimirū Theologi noſtri inuicto Veritatis robore confiſi, neq; quicq̄ à perſona ſua alienum facere volentes. hoc eſt, Veritatem argumentis probabilibus potiùs, quàm veris tueri indignum ducentes, Euidentem Victoriam de manibus amiſerunt, hoc eſt, non ita vicerunt, vt ipſi auditores , etiam Lutherani , perſpicere ac tantùm non manu palpare poſſent, eos Victoriam obtinere. Atq; hoc eſt, quod iam olim docere conor, *Eriſticas* ſcilicet ſiue Contentioſas Diſputationes, quibus id vtriq; parti propoſitum

Hæreticorū argumenta falſa, ſed non euidenter.

Catholicorum Theologorum in in Colloquio conſilium.

Eriſticæ Diſputationes Theologis fugiendæ.

positūm est, vt ne aduersarius vincere videatur (quales sunt omnes cum Hæreticis disputationes, cùm illi non modo contentiosi, sed etiam sophistæ sint, hoc est, quæstui suo consulant, eiusque causa scientiæ ac victotiæ opinionem aucupentur. Nam nisi vincere, ac plus quam Catholici, in religionis nogotio sapere videantur, actum iam de ipsis est, possuntque cum vxoribus ac liberis stipem vicatim & ostiatim corrogare ac mendicare) eiusmodi ergo Eristicas disputationes nequaquam Theologis ac Pastoribus conuenire. *Seruum enim Domini*, vt ex Paulo supra docui, *non oportet litigare, sed διδακτικὸν Docibilem esse.* hoc est, Pastorem ac Doctorem non decet Disputatione vti Eristica, sed *Didascalica*, id est ad docundum apta. Ea enim & finem habet propositum, & Mediis vtitur, quæ vtraque Theologi persona ac grauitate digna sint. *Finis* enim proprius ac proximus est, vt alter doceatur, siue vt animus eius scientia veritatis imbuatur. *Media* sunt propria scientiæ cuiusque principia, quæ nequaquam ab eo vim habent quod alteri concedere & assentiri visum fuerit: cuiusmodi sunt in Theologia, sacrorum Bibliorum codices, Concilia à Pontificibus confirmata, Pontificum Decretales Epistolæ ac sanctorum Patrum consensus. *Sicut Turris Dauid collum tuum* (ait Ecclesiæ Salomo Eccle 14.) *quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, Theologia nempe est collum Eccesiæ, de qua & Psalm. 149. *Exaltationes Dei iu guture eorum.* In hac Theologia est *omnis armatura fortium* solida nempe doctrina omnia Hæreticorum cōmenta neruosissime elidens & iugulans: qua tamen non nisi apud eos, qui digni sunt, vtendum esse supra docui, ne margaritæ ante porcos mittantur, aut sanctum canibus detur. Sed Eristicarum seu contentiosarum Disputationum *finis* proximus est opinio scientiæ seu victoriæ. Vtraque enim pars propositum hebet, vt plus scire, seu verius sentire seu vincere videatur, efficere. quod quidem minimè videtur viro graui conuenire, tametsi ad alium finem, probabilem illum ac honestum victoriæ ac scientiæ opinionem collineet. *Media* vero, quorum in eiusmodi Disputationibus ad assequendum finem vsus esse solet, multo etiam magis grauitatem Sacerdotis ac Theologi dedecent. Ac propterea noluerunt nostri in Ratisbonensi colloquio, quo maximè poterant, eo genete argumentorum vti, quod victoriam ipsis quamuis Euidentem, nequaquam tamen solidam conficeret. si enim Minorem illam suam propositionem argumento κατὰ

Hæretici omnes contentiosi & sophistæ.

Theologis conueniunt disputationes Didascalicæ.

Earum disputationum Finis.

Media.

Eristicarum disputationum Finis,

Media.

Hæretici Ratisbonæ argumẽto ad hominem potuiſſent euidenter conuinci.

προσώπȣ, ſeu *perſonali*, ſiue, *ad hominem & ab eo*, quod aduerſarius aſſentiretur, vires habente probauiſſent omnium etiam ſutorum ſartorumque Lutheranorum, ſi minus confeſſione tacita certè exiſtimatione victores diſceſſiſſent. Eſt autem argumentum eiuſmodi:

Quem Fidei articulum ex ſcripturis ſepoſita Ecclſiæ auctoritate probare nequit is qui ad articulos fidei rectè ex ſcriptrris docendos inſtar Eliæ ac Iohannis Baptiſtæ, ſingularia & excellentiſſima Spiritus ſancti dona accepit, is articulis ex Scripturis ſepoſita Eccleſiæ auctoritate probari nequit.

Sed hunc articulum, Paruulos eſſe baptizandos, *Lutherus ſepoſita Eccleſiæ auctoritate ex ſcripturis probare non potuit, qui tamen ad articulos fidei rectè docendos & ex Scripturis probandos, Eliæ ac Iohanni Baptiſtæ ſimilis factus, excellentiſſimisque ac ſingularibus Spiritus ſancti donis illuminatus fuit.*

Ergò articulus hic, Paruulos eſſe Baptizandos, *non poteſt ex Scripturis probari ſepoſita Eccleſiæ auctoritate.*

Lutherus ex ſcripturis Pædobaptiſmum probare non potuit.

Minor eſt bimembris. Prius membrum, quod articulum illum ex ſcripturis probare Lutherus non potuerit, ſtatim illis eius verbis quæ ſupra extremo *Capite* LXXVII. *pag.* 254. retuli planum feciſſent, rogatis ipſis Lutheranis Principibus, vt aliquem ex medio Lutheranorum ſiue Sermocinatorum, ſiue Auditorum lectorem excitarent. Id enim ad *Euidentiam* victoriæ non minimum attuliſſet momenti. Sic nempè ſecum Lutherani cogitaſſent: Hem tibi Lutheri verba ex ipſius libro à noſtræ fidei ſocio optima fide palàm recitata, quibus Luthetus cùm ex profeſſo Baptiſmum paruulorum aduerſus Anabaptiſtas tueri contenderet, apertè tamen fatetur ex ſcripturis articulum illum ſatis firmiter probari non poſſe vicerunt ergò Ieſuitæ, noſtroſque Prædicantes inſignitè impudentes eſſe oportet, qui ſic apertè ac pertinaciter non tam Ieſuitis, quam Luthero contradicere audeant. Poſterius membrum, quòd Lutherus tam inſignis Propheta, tertius Elias & Spiritu ſancto præ omnibus conſortibus ſuis vnctus fuerit, teſtimoniis omnium Imperij Principum atque Ordinum Concordiæ libro ſubſcriptorum, itemque Caluini Bezæ, Ambſdorfiii, quæ ſupra *pag* 43. & 339. protuli, docuiſſent, Sed enim indignum factu viſum illis fuit, argumento vti minime vero, quamuis ad victoriam facile atque euidenter conſequendam, & excludenda omnia Aduerſariorum argumenta accommodatiſ-

Lutherus habetur à ſuis tertius Elias &c.

Catholici Theologi eiusmodi argumento vti noluerunt.

ſimo & efficaciſſimo. Neque vero iudicium eorum reprehendo, meritoque adeo Theologis Eriſtica d ſputatione ſuperſedendum, & quoties Hæreticorum inſolentius ſe iactantium proteruiam minui, ipſoſque in ordinem redigi res poſtulat) quod alioquin periculum ſit, ne nos qua Lutherani, qua infirmiores Catholici cauſæ noſtræ diffidere exiſtiment) paruulos gregis & Funditores, limpidiſſimis lapidibus ex torrente exceptis inſtructos, cum eis committendos puto. Nam Theologos, velut duplicatorios, & grauis armaturæ milites, ſine gladio in hoſtem prodire nequaquam decet, vt autem gladium Spiritus, *armaturam Fortium*, hoc eſt, diſputationem Didaſcalicam ſtringant, hoſtis non permittit indignitas, cuius vili ſanguine gladium illum imbui non oportet. Reliquum ergo eſt vt ſuo ſibi gladio hoſtis ab ipſis iuguletur, quod quàm à perſona Theologi, Fortisque bellaotris alienum ſit, iam oſtenſum eſt. Sed *paruuli gregis*, ſiue homines Laici, multa dicere ac facere, & quibus modis Hæretici ſcientiæ ac victoriæ opinionem conficere ſolent, eiſdem cum venia aduerſus ipſos vti poſſunt, cuius generis etiam hæc ſunt, quæ Ariſtoteles commemorat. I. Multum loqui ſiue, longa oratione vti. multa enim ſimul prouidere aduerſario difficile eſt. II Celeritatem in loquendo adhibere, vt alter, præſertim tardior, feſtinantem conſequi nequeat, nec quid dicat facilè prouidere. III. Aduerſarium ad iram & contentionem prouocare, aut palàm ſe iniquum ipſi profitendo, aut maximam impudentiam præſeferendo. IV. Perturbatè ſeu confuſè argumena ſua collocare. V. Id quod intendat quodque argumentatione concludere velit, occultare. VI. Occaſionem aduerſario præbere vt aliquid dicat repugnans, aut iis, quæ ipſe dixit, aut eorum ſententiæ, quorũ orationẽ & actiones maximè probet ac ſequatur. ὡς ὁμολογεῖ καλῶς λέγειν ἢ πράττειν. Atq; hoc imprimis ſpectare omnes Sophiſtæ ſolẽt, vt aduerſariũ faciant videri ſibimetipſi cõtradicere: quo conſilio Lutherani SS. Patrum teſtimoniis nonnunq̃ in cauſa vtũtur. VII. Operam dare vt aliquid, dicat aduerſarius, quod aduerſetur opinioni eorum, qui vel reuera ſapientes ſunt, vel tales videntur, aut quod vel omnibus hominibus vel maximæ parti contradicat. VIII. aduerſario vel nimis vrgente, vel acriter ſe defendente diſtinctionẽ aliquam cõminiſci, ac ſi quid vno modo verum ſit, altero nõ item illo, non hoc modo ſeſe accepiſſe dicere. Cuius artificii in in Ratisbonenſi colloqo non obliti fuere Lutherani IX. ſupuacua in medium afferre

Idque rectè.

Nõ enim Theologorũ grauitatem ſatis decuit.

Sed Laicum qui non ſit Theologus, minimè dedecet.

Variæ Hæreticorum artes. bus efficiunt vt victores videantur.

afferre, & quod controuersiam non habet ac patet, operosè probare, aut ea, quæ ab aduersario dici confinxerit, magno conatu refellere. id quod in Augustana confessione eiusque Apologia passim ac pœnè perpetuo factum videmus. X. aduersarii argumenta contemnere ac iocosè eleuare, tamquam indigna, quibus refellendis vel minimum opere tribuatur. XI. ipsum homiem siue, personam aduersarii in contemptum, odium aut inuidiam adducere. XII. disputationem ad alia traducere, & vel posterius oportuniore loco de re proposita dicturum se promittere, vel iam supra satis tesponsum esse dicere, Et in aduersarii oportunitatem eaedm sępius iterare tempusque calumniis inutiliter terere contendentis inuehi. Istorum pleraque Philosophi grauitate aliena sunt, ac plerumque cum officio viri boni non satis conueniunt: quibus tamen aduersns Hæreticos iisdem armis veritatem oppugnantes laudabiliter vtendi copia est. nam vt ait poëra:

Iisdem artibus aduersus ipsos ipsos vti fas est ne victores videntur.

Ποτὶ πονηρὸν οὐκ ἄχρηστον ὅπλον ἡ πονηρία.

Improbum in virum improbitas telum haud sanè est inutile.

Loquor de illo Improbitatis genere, quod ἀδικομαχίαν ἐριστικὴν, *quãdam in concertando iniquitatem* Aristoteles vocat, qualis est in lucta, pugillatu, aliisque gymnasticis certaminibus, vbi velut ait Pindarus,

Χρὴ πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.

Facere omnia oportet, vt cadat aduersarius.

Sunt enim natura sua indifferentes.

Sunt enim pleraque istorum natura sua indifferentia, quibus bene ac male pariter vti licet. Si quis gloriæ aut quæstus causa vtatur, mala sunt: bona vero, si quis iisdem, ne veritati Sophistæ fraus officiat, & in errorem alios inducat, effecerit. Sic enim Hæresi, Babylonis typo figuratæ, faciendum esse, ex Ierem. 51. discimus: *Reddite ei secundum opus suum: Omnia quæ fecit, facite illi, quia contra Dominum erecta est, aduer- aduersus sanctum israel. Ideo omnes viri bellatores eius conticescent*, siue obmutescere cogentur. *Omnes qui intenditis arcum* (quasi dicat, omnes Laici eloquentiæ studiis exculti) *debellate eam, non parcatis iaculis, quia Domino peccauit. Clamate aduersus eam* (quasi dicat, ne illa quidem vana & inania belli, quæ non minimum ad victoriam faciunt, vobis indigna ducite. Cuiusmodi vero sint ea, supra *Cap. 85. pag.* 284. dixi) *Vbique dedit manum suam*, id est euidenter victa est: *ceciderunt fundamenta eius* (*denudata ac reuelata sunt.* Habac. 3. & Ezech. 13. vt omnes iam perspiciant, quam falso locis scripturæ pro fundamento sententiæ sua vsa

Hæresi faciendum est, quicquid ipsa fecit.

Vt euidentes vincantur.

fuerit

fuerit) *destructi sunt muri eius quoniam vltro Domini est.* Posthæc *à facie gladij columbæ vnusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient,* quasi dicat: postquam sic euidêter à sagittariis siue funditoribus Babylon siue Hæresis conuicta fuerit, tum populi, qui in errore captiui fuerant, Gladio columbæ siue Spiritus sancti, hoc est verbo Dei per Sacerdotes prædicato, singuli ad Diæcesin suam atque ad obedientiam Episcopi sui redigentur.

Quo facto locus est Disputationi Didascalica.

CAPVT CXXV.

Atque hinc illud simul discere possumus, ei qui *Arcum non intendit* aut *Funda iacularri nescit,* hoc est, homini neque facundo, neque illustrioribus scripturæ locis ad Ecclesiæ Pastorumque auctoritatem pertinentibus, instructo, committendum non esse, vt Heresin debellare aut cum Hæteticis congredi ac disputare velit. *Non tali auxilio, nec defensoribus istis Tempus eget* omninoque præclare se munere suo functum, qui talis est, existimare debet, si quotiescumque ei religionis causa negotium exhibetur, eam fidei suæ rationem reddat, quæ & cum modestia sit coniuncta, neque in ambiguum ac periculosum cum callido aduersario certamen eum demitttat: quod quidem Apostolus monet 1. Pet. 3. *Parati estote semper, ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe & fide, sed cum modestia & Timore.* Talis autem ratio, neque idiotis & illiteratis difficilis, vel ex Apostolorum Symbolo disci potest. *Credimus* namque *Sanctam Ecclesiam Catholicam & sanctorum communionem.* Si Ecclesia est *Sancta*, oportet vt fides eius sancta sit, siue, vt Ecclesia sanctificetur per verbum Dei prædicatum, ex cuius auditu fides nascitur, & per Sacramenta, quemadmodum Paulus Ephes. 5. de Christo dicit, quod *Sanctificarit Ecclesiam mundans eam Lauacro aquæ in verbo vitæ, vt non habeat maculam, neque rugam.* Et Christus ipse Iohan. 17. *Sanctifica eos* inquit, *in veritate. Verbum tuum veritas est.* Si *Catholica* est, siue, Vniuersalis (Germanicè, *Allgemain*, non, *Christlich*, quemadmodum Lutherus callidè reddidit non potest multis sæculis sine prædicatione verbi diuini fuisse neque finibus vnius tantum Regni seu prouinciæ contineri, sed oppottet, vt vniuersis temporibus durarit & orbem vniuersum peruaserit Matth. 28. *Euntes docete omnes*

Indoctiores Catholici non debent congredi cum Hæreticis

Quomodo suæ fidei rationem rectè reddant

Ecclesia sancta.

Recta doctrina & recta sacramentorum administratio durat omnibus diebus.

Gentes & baptizate eas: & ecce ego sum vobiscum(hoc est, cum iis, qui docent & baptizant) *omnibus diebus vsque ad consumationem seculi* Psal. 86. qui loquitur de Ecclesia Christi Hierosolymis inchoanda & per vniuersum orbem in omnibus linguis propaganda (sic namqne est in summario eius Psalmi, quod *Vitus Theodoricus* Noribergensium Pseudapostolus & Lutheri cooperator composuit, velut in Lutheri Bibliis Francofurti anno 1606. editis legitur) eo igitur Psalmo hæc leguntur: *Fundamenta eius in montibus sanctis. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Memor ero Raab & Babylonis scientium me. Ecce aligenæ, & Tyrus, & popul⁹ Aetiopũ, hi fuerunt illic. Nunqqd Sion dicet, Homo, & homonatus est in ea: & ipse fundauit eã Altissim⁹. Domin⁹ narrabit in scripturis populorũ horũ q fuerunt in ea.* Lutherus hoc sensu in Germanicũ ea cõuertit: Firmiter fundata est (Ecclesia in montib⁹ sanctis. Gloriosa in te prædicantur, ò Ciuitas Dei. Faciam prædicari Aegypto & Babyloni, vt me sciant. Ecce Philistæi, Tyriiatq; Aethiopes in ea nascẽtur. Dicetur Sioni, ꝙ omniũ gnerũ homines in ea nascantur, ꝙq; Altissim⁹ ipse eam ædificet. Dominus prædicari faciet in omnib⁹ linguis, vt illorũ (qui nempe omnibus ex linguis sua quisque loquuntur) aliqui in ea nascantur. *Psalmo* 71. quem Lutherus de regno Christi siue de Ecclesia loqui testatur *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei: sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius: omnes gentes magnificabunt eum.* siue, Luthero interprete: Nomen eius perpetuò manebit: donec sol durabit, nomen eius ad posteros propagabitur: Glossæ loco addit Lutherus: Semper & sine intermissione nomen eius prædicabitur, & quamuis seniores moriantur id tamen facient posteri. Qualis verò sit illa nominis Christi prędicatio, perperpetuo durans, his eiusdem Psalmi verbis significatur: *Et erit frumentum* (Hieron ex Hebræo: Et erit memorabile triticum) *in terra in summis montium, superextolletur super Libanon fructus eius: & florebunt de ciuitate sicut fænum terræ*: quę verba sic interpretatur Lutherus: In terra in summitate montium spississimæ segetis erit frumentum, cuius fructus instar Libani motitabitur, & virescet in ciuitatibus, sicut gramen in terra. Et in glossa: sicut mons Libanus creber est arboribus & motitatur cum vento collisæ arbores sonant: tam crebra etiam erit seges Euangelii, id est, Euangelium & Christianismus vberrimè crescent & augebuntur. *Psal.* 101. quem idem Vitus ait Christi orationem esse: *Filii seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur.* Serui sunt Episcopi seu Pastores, qui Christo per Euangeliũ gignunt filios (1. Cor. 4.) de quibus eodem Psalmo: *Placuerunt ser-*

Vera religio omnibus populis & in omnibus linguis prædicanda.

uis tuis lapides eius, nempe Ecclesiæ, quam ædificant Pastores (Ephes. 4. cum Gentiles conuertunt, ac velut lapides superædificant 1. Pet. 2. & 1. Cor. 3. Horum seruorum filii in æternum habitant & diriguntur. id est, Ecclesia nunquam deficit, semper dirigitur verbo Episcoporum, & semper à gentilibus videri cognoscique potest. Isai. 61. *Scietur in Gentibus semen Sacerdotũ, & germen eorũ in medio populorũ: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen: cui benedixit Dominus.* qua ergo fronte quis semen Episcoporum siue Ecclesiam defecisse aut videri nequiisse affirmet? *Psalmi* 92. hoc in ijsdẽ Lutheri Bibliis argumentum Legitur. *Prophetia de regno Dei in orbe vniuerso per Euangelium propagando*: verba Psalmi latina sunt: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se. Etenim firmauit orbem terræ qui non commouebitur. Parata sedes tua ex tunc: à sæculo tu es. Domum tuam decet Sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Horum verborum Luthero interp̃te hic est sensus: Dominus Rex est, & magnificè decoratus: decoratus est & Regnum inchoauit, q̃ latè orbis patet, itaq; instituit, vt perpetuò duret: Ab eo tempore sedes tua (quæ est *Sedes Sancta*, Psal. 46. adeoque veritatis, non pestilentiæ) permanet stabilis, æternus tu es. Sanctitas exornat domum tuam in perpetuum. Sic *Psal.* 95. qui similiter Prophetiam de regno Christi continere in summario dicitur: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur iudicabit populos in æquitate.* quæ verba sic reddidit Lutherus: Dicite inter gentes, Dominum esse Regem, qui Regnum suum, quà orbis patet, pararit, vt sit durabile, quique populos iustè iudicet] Sic igitur patet, cur Ecclesia dicatur Sancta & Catholica, quia nimirũ fructificans Dei verbũ in ea sine errore prædicatur, sancta est: Catholica verò, quia Sanctitas illa in p̃petuũ siue, vniuersis tẽporib. eam exornat, & per vniuersum orbẽ omniũ gentiũ linguis publicatur, ita vt omniũ generũ & linguarũ homines sanctificẽtur, & p̃ verbũ à Dei ministris p̃dicatũ perq; Baptismũ in Ecclesia renascantur, qua de re insignis locus est Ezech. 37. *Scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. Saluos eos faciam & emundabo eos, neque polluentur vltrà in idolis suis, & abominationibus suis: in iudiciis meis ambulabunt & mandata mea custodient & facient ea.* Cum Paulus Ephe. 5. disertim doceat. Ecclesiam à Deo sanctificari seu mundari *lauacro aquæ in verbo vitæ*, siue ministerio verbi & sacramẽtorum, hoc autem loco promittat Deus, suam sanctificationem in medio Ecclesiæ futuram in perpetuum vt

Ecclesia perpetuo manet sancta.

Protestantes nõ sunt Ecclesia sancta Catholica.

munda sit ab Idolis & abominationibus, siue à falsa religione & impietate, ac iudicia & mandata Dei non modo custodiat, sed etiam faciat: cumque simul doceat, Gentiles hinc intellecturos, quod Ecclesia sit Dei populus, quia sanctificatio Dei in perpetuũ apud eam fuerit, hoc est quia constanter ac ꝑpetuo sine interruptione eadẽ Doctrina ideq; Sacramẽtorũ vsus tot sæculis ꝑdurarit, ꝙ sine vi quadam diuina fieri haud quaquam posse rectè iudicant: profectò aut stipes aut improbus ac nihilo quouis infideli melior, sit oportet, qui se Ecclesiam sanctam & Catholicam credere profiteatur, simul tamen veram doctrinam & legitimam sacramentorum administrationem vllo tempore defecisse credat. Protestantium Synagogam alterutra saltem laude destitui ita palàm est, vt ipsi velint, nolint, id fateri necesse habeant. si enim *sancta* est, siue, si per rectam verbi ac sacramentorum administrationem sanctificata, nondum tamen est Catholica: siquidem ante exortum Lutherum nullus vmquam in vniuerso orbe, saltem post Apostolorum ætatem, locus fuit, in quo verbum Dei sic doceretur & crederetur, quemadmodum apud Protestantes solet: & hodie quoque extra Septentrionales Europæ prouincias (in quibus ipsis tamen maxima est religionum turba ac varietas) nullus est populus, cuius eadem sit, quæ Protestantium, fides ac religio. Sin autem Ecclesiam suam dicant esse *Catholcam*, hoc est omnibus sæculis fuisse homines, hodie quoque passim per vniuersum orbem inueniri, qui eandem, qnam ipsi, de Fidei fundamento sententiam habeant ac habuerint (sic enim iactare ipsis libet, tametsi neque minimum eius rei dicere argumentum possunt) certè sanctitatis laudem ei tribui non posse fateantur oportet. Quomodo enim sit sancta, in qua Verbum & Sacramenta, sine quibus sanctificari non potest, nequaquam administrantur? Nam ante Lutherum in vniuerso Christiano orbe nusquam rectè prædicatum fuisse Euangelium, & omnes Ecclesiæ Doctores, qui ab anno Christi centesimo vsque ad ducentesimum, multo autem magis, qui ætatem illam exceperunt in tenebris & erroribus magnis fuisse, ac de Fundamento fidei Papisticè, non Lutheranè Ecclesias docuisse, neminemque in vniuerso Papatu fuisse, qui de Fide ceterisque capitibus ad salutem cognitu necessariis vel minimum sciret, supra *Capite sexto*, ipsorumet Lutheranorum testimoniis luculente probaui. An ergo fuisse sanctos dicent, qui cùm in Chrstum rectè crederent (quod tamen Lutherus negat

Si Sancta, non Catholica

Si Catholica, nõ Sancta.

Ante Lutherũ fides Lutherana non fuit prædicata, ergo nec credita.

negat

neque id malè, si Lutherana Fides vera est. *Fides enim ex auditu est.* nullus autem Doctor, qui ante Lutherum eam doceret, auditus fuit, velut ipsi quoque fatentur) Christi tamen fidem confessi non sunt, (quo solo nomine Sanctę Ecclesię appellationem ac simul ius regni cœlorum perdiderunt *Ore enim fit Confeßio ad salutem*, Rom. 10. *& qui Christum ac verba eius non confitetur in generatione adultera & peccatrice, eum Christus quoque negabit coram patre suo*, Matth. 10. & Marc. 8.) non solum autem huius vitæ desiderio Fidem veram confessi non sunt, sed etiam Papę ac Conciliorum vocem pro Christi ipsius voce habuerunt? quod quidem eos fecisse sic affirmat Lutherus in Postilla witteb. Domin octaua post Trinit. fol. 114 b §. 3. *Errarunt*, inquit, *Gregorius, Augustinus & multi alij sancti Patres, cum potestatem de Doctoribus iudicandi nobis ademerunt (hæc enim calamitas & miseria maturè cœpit) nosque Papæ & Concilijs credere iusserunt.* Igitur à mille trecentis annis vox Papæ & Conciliorum pro Christi voce in Ecclesia audita fuit. Eam verò plurimum à sua doctrina differre, idem Lutherus fatetur, qui etiam Papam propterea Antichristum esse contendit, quôd suam vocem pro Christi voce haberi, neque à quoquam homine iudicari velit. Fuerunt igitur omnes, qui ante Lutherum in Papatu vixerunt, *Adoratores, Antichristi*, de quibus scriptum est Apocal. 13. *nomina eorum non esse scripta in libro vitæ.* quis ergò iam Ecclesiæ Lutheranorum locus est relictus? Si enim in Papatu Antichristus tantùm fuit auditus & adoratus, quo tandem docente Ecclesia, quam Protestantes veram & sanctam fuisse dicunt, Verbum Dei audire & credere, quo mysteria Dei dispē-sante corpore Christi pasci potuit ? Vtrum è Sede Antichristi seu Papæ Fidem & panem vitę petijt ? Atqui *Psalmo 93.* quem in Lutheri Biblijs lego esse *orationem pro Ecclesia Christi aduersus inimicos*, scriptum est: *Numquid adheret tibi sedes iniquitatis, qui fingit laborem in precepto?* hoc est, interprete Luthero: Tu certè numquam participas neque quicquam commune habes cum Sede pestilentiæ, quæ Legem perperam interpretatur.] nam Verba Legis siue Scripturæ proponere, eademque perperam interpretari, nihil est aliud, quàm verum panem furari & occultare, eiusque loco panem mendacij porrigere, quem qui comedit, nihilo plus manducat, quàm qui se comedere somniat, velut paulò priùs dixi. Perspicuum igitur est, Protestantium Ecclesiam, quę tot sęculis nō habuerit vnde veram Fidem audiret & crederet, ac sanctificaretur, neque Sanctam, neque Catholicam vllo modo dici posse, & quoniam *Sanctorum communionem* in Ecclesia credere nos profitemur,

Fuit antē prædicata & credita Fides Papæ & Conciliorum,

Si Papa Antichristus, nullus in Papatu saluari potuit.

Nam Panis Vitæ à Papa accipi non potuit.

Protestantium Ecclesia non est Sancta.

Itaque cum ea non est communicandum.

meritò nos ab ipſorum communione abſtinere. Atq; in iſtis ſi probè exerceatur homoCatholicus, velut nullo negotio fieri poteſt, atq; rebus relictis debet, etiamſi literarum nihil admodum teneat, cur à cõmunione Proteſtantium abſtineat, idoneam, probabilem ac denique prorsùs inuictam rationem cuicumq; aderſario edere ſciet.

CAPVT CXXV.

Doctiores Catholici cum quibus & quomodo de Religione agere debeant.

DOCTIORIBUS verò Catholicis priuata admonitione amicos officij ſubinde admonere, quos in errore nõ alia res magis, quam conſuetudo tenet, nulla eſt Lex, quę prohibeat: modò is caueat, ne vel ſibi ignominiam officio ſuo pariat, vel ipſe ſalutem ſuam in periculum adducat, Vt enim multis ſupra docui, ab imprudentiæ reprehenſione abeſſe non poterit, ſi quis homines *Illuſores*, hoc eſt, qui ſibi ſapiunt, ſuoque emolumento & honore omnia poſteriora ducunt, rationibus ad verum conuertere conatur. Prouerb. 9. *Qui erudit Deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ſibi Maculam generat, noli arguere deriſorem, ne oderit te*, Prouerb. 26. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens.* id eſt, melius de illo ſperes licet, qui cùm indoctus ſit, nullam ſibi doctrinam arrogat, quàm qui ſibi ſapere videtur, idemque alijs perſuaſum cupit. nam vt ait Menander:

Non cum Illuſoribus, qui ſibi multum ſapere videntur.

Οὐκ ἔς' ἀνοίας ὐδὲν τολμηρώτερον.
Inſcitia non quicquam eſt audacius.

Prouerb. 13. *Qui Illuſor eſt, non audit cùm arguitur.* Tales porrò eſſe Auaros & Ambitioſos hinc ſupra demonſtraui. Luc. 16. *Audiebant hæc omnia Phariſæi, qui erant Auari, & deridebant Ieſum.* Iohan. 5. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis.* Etiam illis, qui iraſcuntnr & in fermento ſunt, imprudenter quis ſalutaria præcepta & argumenta propoſuerit. Remedia namque in remiſſionibus morbi proſunt, non in acceſſionibus, poſtquam ſcilicer relaxati fuerint, qui furebant, & mitigati obſequio, aut beneficio conciliati ad audiendum verum accommodatiores euaſerint.

Neque cum Auaris aut Ambitioſis.

Neq; cum iratis & cõmotis.

Ἔξω γὰ ὀργῆς πᾶς ἀνὴρ σοφώτερος.
Vir namque quiuis extra iram eſt ſapientior.

——τὸν κλύοντα γὰ λαβὼν
Ὁ μῦθος εὖνουν, ὐ μάτην λεχθήσεται.

nam

——*nam haud frustrà erit illa oratio,*
Propitius cui forte Auditor obtigit, ait Moschion.

Inquam sententiam etiam Eccles. 7. scriptum legimus: *Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas.* quia scilicet ratio affectibus perturbata veritatem liquidò perspicere nequit. Quòd si autem is, cuius emendationi studetur, ingenio facundiaque polleat & Hæreticorum sophismata percalleat, magni res periculi est, ne non modò ex errore extrahi nequeat, sed vltrò etiam auxiliarias sibi manus porrigentem trahat. Tametsi enim Hæresis reuera nihil est aliud, quàm Aranearum telę siue casses, ex ipsis earum visceribus textæ, quibus muscæ quidem capiuntur, Vespæ verò, multò autem magis hominum digiti nullo negotio eas perrumpunt ac demoliuntur. (Isai. 59, *Telas araneæ texuerunt: opera eorum opera inutilia.* Oseę 8. *In aranearum telas erit vitulus Samariæ*, siue Hæresis. *Artifex fecit illum, & non est Deus.*) nisi tamen Deus homines etiam doctissimos inque vera Fide confirmatos custodiat (quod nequaquam præstat illis, qui satis sibi confidunt parumque se humiliant) non aliter quàm Muscæ ad improbam & insidiosam illam Hæreticarum aranearum texturam adherescunt. *Prouerb.* 7. vbi Hæresis sub imagine Adulteræ iuuenem væcordem ac parùm cautum illaqueans describitur: *Irretiuit eum multis sermonibus & blanditijs labiorum protraxit illum* (Fauus enim stillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, *Prouerb.* 5. *hoc est interprete Paulo Roman.* 16. per dulces sermones & benedictiones seducit corda) *statim eam sequitur, velut auis ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur. Multos vulneratos deiecit* (ex alto scilicet, quia altum sapiebant, & quemadmodum Psalm. 130. legimus, *in magnis ambulabant, elatique erant oculi, & exaltatum cor eorum*, nec se submittebant) *& Fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Similiter Prouerb 9. *Ignorauit væcors, quod apud eam pereant Gigantes, & in profundis inferni conuiuæ illius.* qui nimirum ita se ipsis ac viribus ingeniorum suorum confisi sunt, vt nihil ab Hæresi commoueri se posse crederent, parùm eius memores, quod est in Psal. 23. *Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Ecce oculi Domini super me tuentes eum, vt eruat à morte*, seu periculo *animas eorum.* Quanti autem periculi sit, nihil metuere, sed altum saper ac periculo superiorem sibi videri, discimus ex Psal. 29. *Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum.* Et ecce Domine, *auertisti faciem tuam à me & factus sum conturba-*

Neque enim ingeniosis, facundis & Sophistis.

Etiamsi doctissimi, nimium se ipsis consisi, in Hæresin incidunt.

Nimium securi ac superbi facile à Deo deserũtur, vt errorem incidant.

conturbatus. quaſi dicat: nihil propiùs factum eſt, quàm vt me ſic ſecurum & in abundantia ingenij ac doctrinę confidentem, moueret manus peccatoris, ſiue, *ſtilus mendax ſcribarum*, Ierem. 8. *qui vigilabant ſuper iniquitatem* (id eſt, vt falſam doctrinam inducerent, ait, Lutherus) *quique peccare faciebant homines in verbo*, ſiue, per conciones ſuas, velut idem Lutherus interpretatur Iſai. 29. quos propterea Dauid *peccatores terræ & operarios iniquitatis* vocat, Pſal. 100. quia nempe ſcribendis libris ac lege perperam interpretanda homines terræ peccare faciebant, *vt obliuiſcerentur nominis Dei ſui propter ſomnia eorum*, Ierem. 23. Fuiſſe autem non paucos eiuſmodi ſcribas ſtilo mendaci vti ſolitos, hæc etiam Eccleſiaſtæ 12. verba ſignificant: *Faciendi plures libros nullus eſt finis*. Porrò manum huiuſmodi Peccatorum, ſiue ſtilum mendacem ſcribarum, & ſecuritatem ſeu ſuperbiam viriumque ſuarum fiduciam, cur plerique in Hæreſin incidant & ex Eccleſia expellantur. Pſalmo 35. diſcimus: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ* (ſiue, ſuperbus inceſſus) *& manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare*. Itaque S. Petrus quamuis eos, *qui Scripturas deprauant, indoctos & inſipientes* eſſe dicat, nos nihilominus, vt diligenter ab ijs *nos cuſtodiamus*, monet, *ne inſipientium* illorum *errore traducti excidamus à propria firmitate*, 2. Pet. 3. eandemque ob cauſam ſatisfactionem, ſiue, rationem fidei noſtræ poſcentibus eam reddi iubet cum modeſtia & Timore. *Modeſtia* quidem, vt illos nobis conciliemus, & ad fidem noſtram amplectendam alliciamus, quemadmodum & Mulieribus ibidem præcipit, *vt viros, qui Verbo non credunt, per ſuam conuerſationem ſine verbo lucrifacient, vbi conſiderauerint viri in timore, quàm ſancta ſit earum conuerſatio*. Timore autem, ne ab illis in erroris ſocietatem multis illis, quas habent illecebris, abducamur: quod quidem ijs vſuuenit, qui parùm timent & ſecurè ambulant, quaſi doctiores ſint, quàm qui ab illa Hęreſi decipi queant.

Duæ cauſæ, quæ faciũt homines in Hæreſin labi.

Ab Hæreticis quamuis indoctis cauendum.

Etſi autem hæc de hominis Catholici erga amicum in Hæreticorum caſtris herentem officio ſatis dicta videri poſſunt, operam tamen nequaquam luſurus videor, ſi Senecæ verba in re non multum abſimili, corollarij loco ac velut παροψώνημα adiecero. Sic igitur ad Lucillium ille ſcribit epiſt. XXIX.

De Marcellino noſtro quęris, & vis ſcire, quid agat. Raro ad nos venit, nulla alia ex cauſa, quàm quia audire verum timet: à quo periculo iam abeſt. nulli enim niſi audituro dicendum eſt. Ideò de Diogene, nec minùs de alijs Cynicis, qui libertate promiſcua vſi ſunt, & obuios

Non promiſcue cum omnibus de religione agendum.

uios quosq; monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. quid
enim si quis surdos obiurget, aut natura morboue mutos? *Quare*, in-
quis, *verbis parcam? Gratuita sunt. Non possum scire, an ei profuturus sim,*
quem admoneo. Illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. Spargen-
da est manus. non potest fieri, vt non aliquando succedat, multa tentanti. Hoc,
mi Lucilli, non existimo faciendum magno viro. Diluitur eius au-
ctoritas, nec habet apud eos satis ponderis, quos posset minùs obso-
lefacta corrigere. Sagittarius non aliquando ferire debet, sed ali-
quando deerrare. nõ est ars, quæ ad effectum casu venit. Sapientia ars
est: certum petat, eligat profecturos: ab his, quos desperauit, recedat.
non tamen citò relinquat, sed in ipsa desperatione extrema remedia
tentet. Marcellinum nostrum ego nondum despero. Etiamnum ser-
uari potest: sed si citò illi manus porrigitur. Est quidem periculum, ne
porrigentem trahat. magna ingenij in illo vis est, sed iam tendentis in
prauũ. Nihilominus adibo hoc periculũ, & audebo illi mala sua ostē-
dere. Faciet, quod solet. aduocabit illas facetias, quę risum euocare lu-
gentibus possunt: & in se primùm, deinde in nos iocabitur. omnia, quę
dicturus sum, occupabit. Scrutabitur scholas nostras, & obijciet Phi-
losophis congiaria *siue opes*, amicas, gulam. Ostendet mihi alium in a-
dulterio, alium in popina, alium in aula. Hos mihi circulatores, qui
Philosophiam honestiùs neglexissent, quàm vendunt, in faciem in-
geret. Constitui tamen contumelias perpeti. Moueat ille mihi risum:
ego fortasse illi lacrimas mouebo: aut, si ridere perseuerabit, gaudebo
tamquam in malis, quòd illi genus insaniæ hilare contigerit. Proposi-
tum est aggredi illum, & ostendere, quanto pluris fuerit, cùm multis
minoris videretur. Vitia eius etiamsi non excidero, inhibebo. non
desinent, sed intermittentur: Fortasse autem & desinent, si intermit-
tendi consuetudinem fecerint. nõ est hoc ipsum fastidiendum. quo-
niam quidem grauiter affectis sanitatis loco est bona remissio.]
Hæc Seneca.

Etiamsi verba nihilo nobis constent.

Minuitur enim auctoritas admonitionis.

Cum quibusdã agere periculosum est.

Quidam facetiis iocisq; monitores sunt excipiunt.

Quorundam Voluntas prius emendanda quàm intelligentia.

CAPVT. CXXVI. .

VT autem quæ adhuc de ingenio moribusq; Hęreticorũ, deq; ve-
ris eorundem ad officium redigendorum modis disputaui, tanto
maiorem apud omnes Fidẽ & assensum inueniant (cur enim Hæreses
auorũ memoria primùm exortæ, tanto mox incremẽto auctæ integra
regna prouinciasq; depopulatæ, innumeras pęnè animarũ myriadas ac

Hæreticorũ ingenia non satis pernouisse & vera remedia nescire quantũ reipub. noceat.

milliones in perpetuum perdiderint ac deinceps quoq; perditurę videantur, vera demũ, & si minùs vnica, potissima quidẽ certe causa est, ꝙ Diuum Carolum Cæsarem & Catholicos Imperij Principes, multò autẽ magis eiusdem Cæsaris Consiliarios ratio fugit, & cuiusmodi Hæresios ac Pertinaciæ esset ingeniũ, & q̃ vtraq; res medicinam postularet, plurimũ fefellit) propterea nonnulla hic *Nicephori Callisti* loca subijciam, quibus illustria quędam continentur exempla, quę disputationi meæ pondus non pœnitendum allatura confido. Ac primum quidem omnium referam verba, quibus *Alexander* Catholicę cõfessionis Episcopos Alexandrinus Arianorũ mores in epistola ad Episcopum Constantinopolitanũ describit, q̃ Nicephorus li. 8. ca. 7. recitat:

Hæretici odio Catholicorum ethnicis & Iudæis gratificantur.

Impiam, *inquit*, Græcorum & Iudæorũ de Christo opinionem corroborantes, laudẽ ab illis, quàm maximè possunt, venantur omnia ea, quibus illis ludibrio sumus, subornantes atq; procurantes, seditionesq; & persecutiones quotidie contra nos excitantes: & cùm iudicia aduersus nos, impudicis mulierculis, quas ipsi dolosè seduxerunt, interuenientibus instituentes, tum Christianismum ad obtrectationem traducentes, ex eo, ꝙ per plateas & vicos omnes, nouę eorũ adulterata pietate res temerè vulgantur. Ex veteribus nullos esse dignos putant, qui cum eis conferantur: neq; eis æquari se patiũtur, quibus nos à puero præceptoribus vsi sumus: sed ex omnibus quidẽ, qui passim sunt, collegis & presbyteris, quemq̃ ipsis comparari volunt, solos se sapientes, possessionum contemptores, & dogmatum repertores esse iactantes: vt quibus vnis reuelatum sit, quod nemini omnium, qui sub sole sunt, hominum in mentem uenerit.

Veteres patres atq; ac recentes omnes præ se contemnunt.

Hæretici ad vulgi iudiciũ prouocant & sic plures sibi conciliant.

De eadem Arianorum Hęresi libro 8. cap. 11. ita Callistus idem scribit: Hæresi hac per Ægyptum & alibi passim in Ecclesiis vulgata, dissidium vbiq; implacabile excitatum est. Et vulgus iudiciũ earum rerum sibi sumebat. (*Arianis nempe ad populi iudicium prouocantibus, quod eum nouitatis lenocinio illectum iri conijcerent, velut supra pag. 289. confitentem Lutherum audiuimus*) Agebatur de his publicè in foro, aliis ad hanc, aliis ad illam partem animi affectione inclinantibus.

Hæretici dissimulantes Hæresin in muliercularum, aulicorum & Principum gratiam irrepunt.

Quo artificio impietatem suam propagarint Ariani, eodem libro octauo cap. 47. hoc modo exponitur: Presbyter quidam, Arianus occultus, Constantię Constantini Magni sorori, familiaris & amicus, ab ipsa iam animam agente fratri commendatus velut eximiè pius & orthodoxus, postquam sibi fidẽ haberi sensit, Imperatori Arium velut cum Nicæna Synodo sentientem commendauit, vtq; ab exilio reuocaretu

uocaretu

uocaretur & Alexandriam remitteretur, ibiq; ab Athanasio in communionem recipi iuberetur perfecit. Huic Presbytero animam agens Constantinus (*velut Nicephorus lib. 9. cap. 2. scribit*) Testamentum suum credidit Constantio reddendum, qui Orientis Imperium, velut dudum optauerat, eo testamento nactus, Presbyterũ illum in magno honore habuit, & libertatem ei multam, simulque apertum ad Imperialem aulam aditum dedit. quæ res notitiam ei apud omnes conciliarunt, & gratum vereque charum Imperatrici & Cubicularijs Imperatoris effecerunt, quorum Princeps tum fuit Eusebius, maximam quoque in tota Imperatoris domo potestatem obtinens. Hic ex Presbyteri illius institutione Arij rabie imbutus, acerrimus sectatorũ eius laudator fuit, pluresq; in Aula Imperiali celeriter in sententiam suam adduxit. quin ipsam quoq; Imperatricem per mulierculas Gynæcei & per Presbyterum ipsum in impiam opinionem pertraxit. Et malum hoc paulatim per omnem serpẽs Aulam, ad ipsum quoq; transijt Imperatorẽ. Et breui per aulæ interiora vagatũ, extra quoq; aulam apertè progressum, omnem vbiq; percurrit urbem. Ibi tum διαλεκτικός τις πόλεμος bellum quoddam disputatorium est exortum. Et in vicis, cõgregationibus, cauponis, conuentibusq; adeò omnibus mulieres quoque & pueri non aliud studio habuere, quàm de dogmatibus blaterare: his videlicet Arij opinioni velut honestæ & bonæ addictis, illis autem Decreta magis Nicęna complectentibus. Vnde rixæ, æmulationes & inimicitiæ excitatæ.

Hæretici per disputationes publicas errorem propagare student.

De Pertinaciæ causis, qua pleriq; in Arianismo perseuerabant, libro 9. cap. 13. ita disserit: Orientalium Episcoporum plerique sententiam Nicæni dogmatis comprobabant, contentionis verò cupiditate deuincti, aduersus verbũ, Homousios, impotentibus animis pu-
gnabant. Nonnulli quidem, ꝙ iam inde ab initio cõtra id verbũ stetis- 1.
sent, & quemadmodũ eiusmodi homines facere solent, ne victi esse, si cederent, viderentur, in sentẽtia propterea persistebant, & vocabulũ id abolere studebant, probro sibi fore, si opinionẽ mutarent, arbi-
trati. Nonnulli autem, ꝙ frequenter de his nugati essent, ita opinari ex 2.
animi sentẽtia malebant: & cùm semel ab eo, ꝙ dicebant, excidissent,
opinionẽ suam firmiter retinebant. Erant, qui indecorũ contendendi 3.
studiũ secũ ipsi perpendentes, ad gratiosiorẽ declinarent sententiam, vel propter gloriam aut timorẽ, vel propter vim & familiaritatẽ, plerumq; etiam propter amicitiam, & fortasse alias ob causas, quibus homines adducti, vt res tulit, etiam in his, quę parùm decẽt, gratificantes

Cur pleriq; in Hæresi permaneant.

4. alijs obſequuntur: denique quòd nonnulli liberè & palàm, quę ab aduerſarijs obijcerentur, redarguere & refellere non poſſent. Non pauci verò eius temporis homines, ineptias prorsùs & ſuperfluas nugas eſſe exiſtimantes de rebus eiuſmodi conflictari, ab illorum conſuetudine ſeiuncti, taciti ſecum Nicęna Decreta complectebantur & colebant.

Hæretici ex Epiſcoporum odio & vindictæ cupiditate.

Quomodo Vindictę cupiditas & Epiſcoporum odium Hæreſin pariat, gemino exemplo docet lib. 11. cap. 12. Vitalis Antiochen9 Presbyter (*inquit*) vir illuſtri vitæ & morum ſanctitate nemini cedens, & eorum, qui fidei eius commiſſi forent, curandorum perquam ſtudioſus, eaque cauſa à populo egregiè cultus, quòd ſe à Flauiano presbytero, poſt Epiſcopo Antiocheno deſpectũ, ac ne familiariter cum Epiſcopo eſſe poſſet impeditũ, eaq; re deminutam famam ſuam putaret, more hominũ dolore victus cùm à Meletij cõmunione diſceſſiſſet, ad Apollinarim Hęreticũ ſe contulit, & cum eo cõmunicauit, Sectatoribuſq; eius Antiochę pręfuit, vitę reuerentia nõ exiguam plebis partem ſibi addictam habens, qui etiam Vitaliani ſunt dicti &c. Georgius Laodicenſis Epiſcopus Apolinarim propterea excommunicarat, quod cum Athanaſio familiariter verſatus eſſet, & quamuis vt in communionem reciperetur deprecantem audire noluit. Ille ergo mœrore correptus Eccleſiam turbauit & Hæreſin nouam induxit: cõmpoſitis arte orationibus inimicum vlciſcens, & quòd ſe in ſacrarum literarum doctrina illo præſtantiorem exauctoraſſet, arguens. Ad hunc ſcilicet modum priuatæ Clericorum inimicitię maximo ſemper Eccleſiam detrimento affecere, & Religionem in ſectas multas diſſecuere. Id inde ſatis liquet. Si enim Georgius pœnitentem Apollinarim ſuſcepiſſet, Hęreſis, quæ ab eo nomen habet, vt ego quidem puto, non exſtaret. Ingenia namq; hominũ ſi deſpici ſe videant, arrogantem audaciam concipiunt, & contendendi ſtudio res nouas moliuntur. At ſi, quod ęquum eſt, conſequuntur, ad moderationem ſe dant, & ſorte ſua contenti ſunt.] Viderint ergò quàm prudenter faciant, qui officiis ad Eccleſiæ Cenſuram pertinentibus & conſeruandæ Fidei potiſſimùm integritati deſtinatis ferè non niſi eos rectè pficiи exiſtimant, qui vultus truculentia, atrocitate vocis, morũ deniq; ruſticitate eos, quos ſiue opinione non ſana ſuſpectiores inſpicere, ſiue ex errore in viam reducere debent, ſi humiliores ſint, terrore ſuo pauefacere, ſin autẽ paulò generoſioris Spiritus, in contumaciam atq; rabiẽ efferare poſſint. Sed videbor fortaſſe ἄγαν ἐλευθεροστομεῖν, hoc eſt,

Homines magnis ingeniis præditi contẽptus & iniuriæ impatientes.

Cenſuræ Fidei ac morũ in Eccleſia cuiuſmodi homines præficiendi.

ipſis, quos deſcribo, interpræ tibus, *os in cælum ponere*, ac tantùm non diuinam maieſtatem nefariè lædere, qui putem rectiùs eos facturos, ſi terrorem illum officii, quod gerunt, quodque reipub. Chriſtianæ cùm in primis ſalutare, tum omnino neceſſarium iudicantibus facilè aſſentior, humanitate & benignitate condiant, & hominibus, non bellius manum ſe admouere meminerint: tametſi etiam Equi generoſi atque nobiles meliùs facili freno reguntur. quos ſi crebris verberibus domandi magiſter exterreat, formidoloſi & contumaces fiunt. Itaque popyſmo ſeu tactu blandiente permulcentur. Idem facit Venator, qui inſtituit catulos veſtigia ſequi, quique iam exercitatis vtitur ad excitandas vel perſequendas feras. nec crebrò illis minatur (contunditur enim animus, & quicquid eſt indolis, comminuitur trepidatione degeneri) nec licentiam vagandi paſſimque errandi concedit. Adiiciantur his licet, tardiora agentes iumenta: quæ cùm ad contumelias & miſerias nata ſint, nimia ſæuitia coguntur iugum detrectare & onus excutere. Porrò nullum eſt animal moroſius, nullum maiore arte tractandum, quam Homo. remiſſiùs imperanti melius paret. natura contumax, & in contrarium atque arduum nitens, ſequitur faciliùs quàm ducitur, quemadmodum in libris de Ira Seneca diſputat. ſed hæc quamuis magnopere neceſſaria, hoc tamen loco aliena fortaſſe videantur. Itaque ad Nicephorum reuertor apud quem operepretium eſt, quibus artibus veteres Hæretici vti fierent ſoliti, conſiderare.

Beſtiæ deprauantur nimia auſteritate.

Multò igitur magis Homines.

Libro 11. cap. 14. Maſſaliani, ſiue Euchetæ, ſiue Entuſiaſtæ communicare cum cæteris diuerſam fidem ſequentibus pro Adiaphoro habebant, quòd S. Euchariſtiam nihil vel prodeſſe vel obeſſe crederent: ſuæ etiam ſectæ arcana diſſimulabant, & difficulter deprehendebantur.

Hæretici ſuam ſententiam in loco diſſimulant.

Libro 6. cap. 28. Poſtquam Epiſcopi Paulum Samoſathenum priores promiſſiones & pacta conuenta pertinaciter inficiari viderunt (nam iureiurando interpoſito errori ſuo renunciarat) & accuſatores eum conuicturi inſtiterunt, concilium eſt coactum. Hic Malchion quidam, qui priùs Antiochiæ Sophiſticæ ſcholæ Græcarum diſciplinarum præerat, & poſtea propter egregiam in Chriſtum fidem ſingularemque virtutem Præbyter factus fuerat, cum eo in publico colloquio congreſſus, celeribus notariis, qui verba omnia chartis exciperent, diſpoſitis illum conuicit, & tectum latentemque

Hæretici ſuam hæreſin inſidioſè occultantes publicis colloquiis rectè conuincuntur.

temque eius sensum fraudulenta seductione plenum, ita in lucem protulit, vt eum alii quoque manifestò deprehenderent. Itaque aliena opinari & docere conuictus, & vt Hæresios Dux atque auctor à Catholica Ecclesia proscriptus est,] Habemus exemplum Colloquii publici cum Hæretico habiti, nequaquam tamen de vllo Fidei articulo, sed de ipsius Hæretici opinione, qualis nam illa foret: vtrum, quod ipse falsò iactabat, Catholicorum sententiæ conueniens, an, velut re patuit, noua & ab ipso demum inuenta. Itaque cùm Augustana Confessio perinde atque hic Samosathenus Lutheranorum sententiam callidè dissimularet, eosque in nullo prorsus Fidei articulo ab Eccesia Romana dissentire mentiretur, vocandi ad Colloquium fuere Confessionis eius architecti, non vt de articulis ipsis disputaretur, sed vt in totius Imperii consessu, fraus, dolus, ac mendacium eorum dilucesceret, planumque fieret omnibus, totam Confessionem illam nihil aliud esse, quàm libellum famosum, ex perpetuis iisque apertissimis mendaciis concretum, ac flammis expiari dignissimum. quòd si quis hodiè Protestantium Ptincipum id non æquè facilè demonstrari posse existimat, inuenerit complures ex Catholicis, qui vel ipsorum Principum iudicio id dilucidè docere ac probare vel condignas atrocissimæ iniuriæ pœnas dare sint paratissimi. Ego denique longè quouis Theologorum nostrorum inferior, quandocumque vos Augusti Principes, iusseritis, hoc ipsum ita planum facturum me recipio, vt nisi Protestantes ipsi agnoscant ac fateantur, se maioresque suos indignissimè à Doctoribus suis delusos & circumuentos esse, ipsumque librum Augustanæ confessionis cum Apologia sua totum ingentibus & impudentissimis mendaciis contexi, causæ nihil sit, quin mihi fiat, quod Luthero, Philippo & confessioni eorum factum oportuit, vt scilicet rogo luculento impositus *Herculem Oeteum* agam, & in concione viuus exurar: quod tamen hac pacta lege recipio vt ipsi suam vobis fidem obligent, reuersuros se ad Ecclesiæ Romanæ complexum, vbi ego promissi mei fidem impleuero.

Id debebat fieri ad retegendas occultas Augustanæ confessionis fraudes.

Idem hodie fieri potest, ac si protestantes uelint, fiet.

Iam quo artificio auctoritatem sibi & pietatis probitatisq; opinionem conciliare Hæretici solerent, ita Nicephorus commemorat. Lib. 9. cap. 47. Macedonius & adstipulatores eius non minimam secum populi partem trahebant. Vita namque & moribus (quos potissimum multitudo spectare solet) probatis erant. In publicum cum grauitate quadam veneranda prodibant. Instituta eorum non multùm

Hæretici auctoritate alios in erroris societatem pelliciũt. Vide sup. cap. 86. pag. 286.

multum à monasticis aberant: & sermo affectata quadam sanctimonia mistus, vim ad persuadendum satis accomodatam præferebat: *Eodem libro cap. 16.* Bardesanes nominis sui Hæresin instituit, quam Harmonius filius eius amplexus, cùm Græcis literis satis eruditus esset, eandem legitimis numeris lyricisque modulis inclusit, & ordine circulari eosdem cani instituit: quibus multi ex Syris propter verborum venustatem & sonorum numeros demulsi, paulatim opinionibus talibus recipiendis sunt adsuefacti. Ceterum S. Ephræm ea re cognita, quamuis Græcarum literarum rudis, Harmonij numeros moderatus est, atque eiusdem modulis carmina, Catholicam sententiam continentia Syris canenda dedit. nam diuinos hymnos plurimos, quibus Deum in primis celebrat, & laudes præterea virorum, qui vitę instituto Deo placuere canit, ad Harmonii carminum leges composuit. *Et lib. 11. cap. 12.* Vitaliani præter receptas sacras cantilenas numerosa etiam carmina quædam ab Apolinari inuenta, decantare solebant. nam is præter eruditionem reliquam in poëtica quoque varii generis versibus cōponendis excelluit. qua ille oblectatione multis, vt sibi adhærerent, persuasit. Et viri in compotationibus manuūque laboribus, mulieres quoque, in lanificio suo carmina eius psallebant: Ad studii enim & laborum laxamentum, ad dies festos, & ad res alias, prout tempus fert, poëmata elaborauit, quæ ad laudem Dei pertinent omnia.

Catholici suis armis Hæreticos cædunt.

Hæretici suauibus cantilenis opinionem doctrina ac pietatis acquirunt.

Postremò quibus rationibus Hæretici coërceri & emēdari possint, non vno loco idem scriptor significat. Ac publicas quidem Disputationes de difficilioribus fidei articulis, quos à populo planè sciri nulla exigit necessitas, his Constantini Magni verbis improbat *lib. 8. cap. 13.* Inhibenda est in talib⁹ πολυλογία seu disputatio verbosior, ne quo modo, si vel naturæ nostræ imbecillitas, quod propositum sit, declarare non valeat, vel discentiū auditorum hebetius ingeniū id quod subtilius dictū est, assequi non possit, in alterius istorum, blasphemię scilicet aut schismatis atq; dissidii necessitatem populus incidat. *De eodē scribit mox cap. 18.* Capitis pœna sanxit Constantinus, si quis quicquam scriptorū Arii pressum occultasse, nec statim exussisse cōpertus esset. *Et eiusdem libri cap. 33. narrat, quæ res Gentilium errorem paulatim extinxerint & Christianismi propagationē iuuerint, quarū quin idem aduersus Hæreses vsus esse queat, nemo intelligens dubitauerit.* Imperator igitur Edictis ꝓpositis Idolorū templa statuasq; diruit, cōminuit conflauit, ꝓfanauit. Et populi metuentes, ne de rebus sibi charissimis in periculum

Publicè de reb. difficilibus cū Hæreticis disputari non debet.

Hæreticorum libri prohibēdi.

Quibus modis Gentium error deletus & Christianismus propagatus fuerit.

lum venirent, in officio fuere Templorum custodes & sacerdotes, cùm quod agerent, non haberent, res, quæ priùs apud eos in honore fuerant, despexere. Et qui templa sic corruere, iacere stipulaque & storea compleri videbant, ea contemnebant, maiorumque errorem reprehendebant. quidam nos sunt æmulati alii oportere se Principis mores & instituta colere existimabant, vt ab eo gratiam inirent, nonnulli ab Episcopis & Monachis edocti, satius esse Christianam suscipere religionem censuerunt. Nonnullas vrbes Cæsar ob susceptum Christianismum maximis priuilegiis affecit, easque nomine suo constantias vocauit. *Et infra capite 52. exemplis ostendit verum esse quod Epist. 94. scripsit Seneca:* Magna pars sanitatis est, hortatores insaniæ reliquisse, & ex isto cætu inuicem noxio procul abiisse. *Verba Nicephori sunt ista:* Arii dogma quamuis à multis magno studio in sermonibus & disputationibus frequentaretur, sine nomine tamen etiam tum fuit, neque in corpus proprium coaluerat. nam præter Nouatianos, Phryges, Valetinianos, Marcionitas & Paulianos, omnes alii simul communicabant, & in vna coueniebant Ecclesia: quippe contra quos lege lata Imperator Oratoria eorum aboleri, eosque in Catholicis Ecclesiis cum aliis congregari iusserat: alibi verò neque priuatim, neque publicè conuentus agere licere, sed in vno communiter omnes loco conuenire voluit. Per quam legem quantum ego colligo, multæ Hæreses, memoria earum sublata difluxere. Superioribus enim temporibus quicumque Christi appellatione censerentur, quamuis diuersarum essent, opinionum, eodem tamen apud gentiles loco erant, & cùm ab illis affligerentur, de discrimine, si quod inter eos esset, curiosè ipsi inquirere supersederũt, communibus quippe calamitatibus expositi. quapropter facillimè conuenientes, contiones habebant, frequentiorique consuetudine cùm pauci essent, in partes & factiones multas non discedebant. Constitutione autem ista promulgata, difficile eis fuit publicè seorsim conuenire, multò verò magis clandestinos cætus cogere, Episcopis loci cuiusque id obseruantibus. Proinde *metu* eo coerciti, Catholicæ Ecclesiæ sunt vniti. Quod si fortè aliqui in sua sententia perstitere, decedentes nullos reliquere successores, cùm neque conuentus eis agere permitteretur, neque liberè Hæresin docere possent. Ceterùm Hæreses aliæ vel propter auctorum improbitatem, vel propter dogmatum ineptias non ita multis sunt frequentatæ (*vbi enim homines cognouerunt improbitatem Magistrorum suorum & absurdas atque ineptas*

Hæreses intereunt, cum Hæreticis exercitia suæ religionis negantur.

Metus Hæreticos conuertit.

Et quos eos Magistrorum suorum pudeat.

ineptas multas eorum opiniones, puduit eos diutius illorum discipulos perhiberi) Nouatiani autem, vt qui eadem cũ Catholica Ecclesia de Christo patri Homousio sentirent, diutissimè statum suũ retinuere, neque illis constitutio ea obfuit. Videtur verò & Imperator ipse non illibenter aliquid de rigore & seueritate remisisse, & terrere potiùs, quàm perdere subditos maluisse. Et Acesius, qui tum Nouatianorum Episcopus fuit, maximè Eccesiæ suæ profuit, apud Imperatorem propter sanctiorem vitam gratiosus] Enimuerò hoc ipsum Constantino ac domui eius exitio fuit, quod in Dei gloria ab Hæreticorum iniuriis vindicanda parùm fuit efficax, & in animaduertendo non tàm clemens, quàm dissolutus. *Maledictus autem, qui facit opus Domini negligenter, & maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine*, Ierem. 48. At enim nihil (inquis) Principem magis decet quàm Misericordia. Fateor; sed non omnibus omne misericordiæ genus deberi scio, neque prudens Medicus eandem per diuersa ægrotantibus medicinam imperat. Quidam longius iam processerunt, quàm vt possint verbis sanari, neq; ignominia continentur. duriora remedia, iam solida nequitia desiderat. Insanabilis eis animus est & sceleribus scelera contexens: perbiberunt nequitiam, & ita visceribus immiscuerunt, vt nisi cum ipsis exire non possint. Olim miseri mori quærunt. Bene de illis mereamur, & auferamus eis istam, qua vexantur, insaniam, & per sua alienaque volutatis supplicia, id quod vnum bonum eis superest, repræsentemus, Mortem. Hic enim Misericordiæ genus est occidere, *Seneca 1. de ira cap, 16.*

Constantinus plus profecisset si seuerior fuisset in hæreticos.

Libro 11. cap. 14. quis disputationum de Fide ex scripturis coram populo institutarum euentus sperari queat, huiusmodi docet exemplo: Nouatus non admittebat ad misteria, qui post Baptismum mortale peccatum admisissent. Et aliis quidem acerba & immanis Canonis eiusmodi visa est sententia: alii autem quod iustum, & ad vitam moresque corrigendos accommodatum esse censerent decretum suscepere. Sed postea Cornelii Episcopi Romani superuenere literæ, gratiam delicti etiam illis annunciantes, qui post Baptismum peccassent. Ad hunc modum cnm vtrique contraria inter se per epistolas scriberent, & quæ dicebant. diuinarum literarum oraculis firmarent, pto moribus quisque suis eam comprobabat sententiam, ad quam antea etiam inclinatus magis fuerat. qui enim delinquere & peccare libenter soliti erant, eiusmodi veniæ concessione tum accepta, per reliquum deinde vitæ tempus ea in delictis

Disputationes ex scripturis pro captu auditoris iuuant ac nocent.

Quod cuiusque naturæ cõgruit id verisimilius ei videri solet

omnibus vtebantur. Phryges autem & Paphlagones velut aliis populis temperantiores ac moderatiores, quibus tamquam piaculum est Fornicatio, Nouati decretum, vt moribus suis conueniens recipere.

Hæretici partim auctoritate, partim metu ad verum conuertendi.

Eodem libro cap. 13. cur Apollinaristarum atque Eunomianorum Hæreses latius non serpserint, has recenset causas: Primùm quia Basilium & Gregorium Nazianzenum aduersarios inuenere viros sanctitate, doctrina & eloquentia admirabiles. Deinde, quia Theodosii Magni Imperium mox secutum conatus eorum repressit, Ducibus Hęreticorum in sola loca & in insulas deportatis. Postremò, quia Monachi mordicùs Nicęnam Synodum tuebantur. Vulgus autem Monachorum virtutem & opera admiratum cùm ipsos rectè sentire credidit, tum aliter opinantes propter suspicionem impuræ & adulterinæ doctrinæ auersatum est.] Hæc Nicephorus: ex quibus dilucescit, quod supra docui verissimum esse Hæreticorum scilicet discipulos partim metu, partim auctoritate & opinione, quam de hominum intelligentia & virtute habent, duci solere, maximumque illorum ad verum conuertendorum in eiusmodi rebus momentum esse.

CAPVT. CXXVII.

Qualem Gentiles in Hæreticis charitatẽ videre possint.

QVoniam igitur nullum diuinæ Charitatis Specimen in Hæreticis eorumque discipulis Gentiles videre posse demonstratum est (nam nec ad Gentiles accedere solent Hęrerici, vt apud eos Christianæ fidei sanguine suo testimoniũ perhibeant, & si quos Catholici morte afficiũt, eis voluptatẽ ptinaciæ causam esse apparet) Lutherus etiam loco Amoris diuini, Diabolicum odium in discipulis suis inueniri solere planissimè fatetur (Tomo 4. Ger. witteb. in comment. Iohan. 15. fol. 220. b. §. 6. & Tomo 7. Ger. Ien fol. 162. b. §. 3. *Tam Diabolica malitia & ODIVM in nullis vel Ethnicorum historiis inuenitur, qualis apud eos exoritur, quibus Christi Verbum prædicatur: neque verò non ipsi etiam Nobiles, Ciues & Agricolæ nostri tanta malitia affecti sunt, qui cum prius,* in Papatu scilicet *hominum multò modestiorum speciem gesissent, iam furore & væsania præcipites aguntur, non aliter quàm si toti Diabolis pleni forent.*] Reliquum est, vt apud vtros

Nempe diabolicam, teste Luthero.

iidem

iidem Gentiles maiorem Sapientiam inuenire queant consideremus. Nam supra *Cap.* LIX. Lumen, quo Ciuitas Dei in monte excelsissimo sita perpetuò collustratur, quodque in Gentilium quoque longè disiunctorum oculos incurrit, diuinam siue humana maiorem potestatem, diuinam charitatem, & diuinam Sapientiam esse dixi. Profligatis ergò duobus prioribus, restat vt tertium similiter explicemus. Est autem *Sapientia* Ecclesiæ non vniusmodi. Alia enim est *ab intus*, siue *in mysterio recondita, quam nemo Principum huius sæculi cognouit, neque potest intelligere* 1. Cor. 2. alia foris est, siue, exposita, ac velut vestis splendida Ecclesiæ circumiecta. Psal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis* (Ecclesiæ) *ab intus, in fimbrys aureis, circumdata varietatibus*, siue, quemadmodum paulò priùs dixerat, *Adstitit Regina in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Gloria Ecclesiæ, siue doctrina de fide Christi, aut vera Theologia, de qua sola gloriatur Ecclesia. sicut Ierem. 9. scriptum est: *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Domin⁹.* Ioh. 17. *Hæc est vita æterna*, siu e, Gloria, *vt cognoscant te veru Deum, & quē misisti Iesum Christum*, Hæc ergò *Gloria* Ecclesię est *ab intus*, id est, à nullo Gentili, Iudæo aut Hæretico, sed ab iis tantùm, qui intus sunt, videri potest. *Quæ sunt hominum nemo scit, nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei, quia omnia scrutatur etiam profunda Dei. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi* (si audiat gratia Spiritus sancti nondum accepta) *& non potest intelligere* 1. Cor. 2. Sed vestitus aureus Ecclesiæ, Polymathia, siue literarū scientiarūq; varietate distinctus & insignitus, etiam in Gentiliū, omniumq; eorū oculos, qui foris sunt, incurrit, eosque desiderio videndæ gloriæ, quæ intùs est, seu cognoscendæ & discendæ sapientiæ in mysterio reconditæ inflammat. Itaque ceteræ scientiæ omnes rectè Diuinæ seu Christianæ Sapientiæ pedissequæ atque ancillæ dicuntur. Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum* (Ecclesiam) *excidit columnas septem* (qui sunt sacri septem Ordines. eos enim dedit Christus in ædificationem corporis sui) *Immolauit victimas suas, miscuit vinum & proposuit vinum suum* (instituit legitimam Diuini verbi & Sacramentorum administrationem) *Misit Ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis.* id est, postquam Ecclesia iam fuit ædificata, cæpit etiam humanarum literarum ac scientiarum opera ad alliciendos siue conuertendos Infideles vti. Hæresis contra velut *mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omninò sciens, sedit in foribus domus*

Diuina sapientia, quam in Ecclesia Gentiles videre possunt.

Ecclesiæ sapientia quæ est ab intus

Sapientia quæ est foris.

Vera Ecclesiæ & falsa Hæreticorum Sapiētia quibus rebus differant,

I.

suæ super sellam, & in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes, per viam & per gentes itinere suo] Igitur in hoc primùm vera & falsa sapientia, siue, Catholica Religio, & Hæresis differunt, quòd illa cùm sapiens sit, non ipsa clamet, sed ancillarum, siue variarum scientiarum opera ad alliciendos homines vtatur: hæc autem cùm haud quicquam sciat, nisi Grammaticam & Rhetoricam, clamet ipsa, neque vlla sapientia aut disciplina Gentilibus, se commendare possit.

II. Alterum discrimen in eo situm est, quòd Hæresis in foribus domus suæ sedet super sellam, & non nisi eos vocat, qui haud longè prætergrediuntur, sed nequaquam tantum laboris aut molestiæ suscipere audet, vt passim per vias & ad ostia singula vocem mittat, hoc est, non nisi eos adiungere conatur, qui iam Christiani sunt, de Gentilibus autem, Turcis ac Iudæis conuertendis nihil ei curæ est. Sed *Sapientia* (ait Salomon Prouerb. 8.) *clamitat & dat vocem suam,* nempe per ancillas suas, quas mittit, *in summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans, iuxta portas ciuitatis,* siue in maxima frequentia, *in ipsis foribus singularum ædium loquitur.* Id est Catholicæ doctrinæ *sonus exit in omnem terram,* siue, *Romana fides annunciatur in vniuerso mundo.* Rom. 1. sicut Isai. 42 prædictum fuerat, *De vertice montium clamabunt & laudem meam in insulis nunciabunt.*

III. Tertia dissimilitudo hoc continetur, quod sapientia, siue Catholica Religio, suas, non alienas, victimas immolat, & suum panem suumque vinum inuitatis offert: *Venite comedite panem MEVM, & bibite VINVM, quod miscui vobis.* Hæresis contra non vinum, sed Aquam, nec suum, sed furtiuum panem præbet: *Vecordi enim* (ait Salomo) *locuta est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt & panis absconditus suauior.* Similiter de Pseudoprophetis affirmat Deus Ierem. 23. *Furantur vnusquisque verbum meum à proximo suo.* Si quid nempe veri aliquando dicunt, non id eis à Deo reuelatum est, sed ipsi aliunde mutuati sunt, quemadmodum supra capit. 6. pag. 21. confitentem induxi Lutherum, quicquid in sua religione boni sit, omne ex papatu ad se profluxisse.

Specimen sapientiæ, quam in Ecclesia Gētiles videre & admirari possunt.

Etsi autem omnes artes ac scientiæ vsque adeò ab Ecclesiæ Catholicæ hominibus excultæ & absolutæ fuerunt, vt summa gentiles admiratione obstupefacere potuerint, quemadmodum etiam vsuenisse nemo, qui *Bozium de signis Ecclesiæ* copiosè id demonstrantem & Noui orbis historiam legerit, ignorare potest: haud tamen scio an propter Moralem & Ciuilem siue Politicam Sapientiam Ecclesia vel maximam omnium admirationem excitare queat:

Ac de *Morali* quidem quamuis multis argumentis euidentissimè doceri posset, verum esse quod Psal. 18. legitur: *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Nam conuersio animarum, hoc est, admiranda morum in melius commutatio, in primisque Virginitas & Castitas, virtutes Gentilibus pænè ignotæ, sed in Ecclesię Catholicę membris passim conspicuæ perfectionem Legis moralis satis testatam faciunt. Deinde ipsum genus præceptorum ita macula quacumque vacat, vt etiam sapientissimos Gentilium, *Socratem Epictetum*, & omnium, Plutarcho iudice, in morali Philosophia longè principē *Senecam* sui meritò pœniteat, si sua Decreta & Præcepta cum ijs, quibus Catholici Doctores nos erudiunt, comparari sentiant. nam ne laudis huius palmam Protestantium Magistri controuersam faciant, nullum omnino est periculum, non modò quia ipsi vix decimum quemque, qui non perfidia ac dolo plenus sit, & in omnē lasciuiam solutissimè diffluat, in Ecclesiis suis inueniri fatentur (velut supra capite primo ex ipsorum verbis constitit) sed etiam quia fundamentū & totius Religionis eorū cardo eiusmodi est, vt eo honestatis ac virtutis scintillas omnes non modò sopiri, sed penitùs exstingui & ex animis deleri oporteat, qua de re quoniam supra *capp.* II. & III. Satis multa dixi, inane ac superfluum fuerit, hic plura verba fieri, tantùm addam Nicolai Ambsdorfij (eius, quem Lutherus velut collegam omnium fidissimum Naumburgensi Episcopatui præfecerat) hodie quoque librum exstare, cuius index siue titulus promittat: *Bona opera ad salutem perniciosa esse:* & Saxonicos Theologos in Altenburgensi Colloquio totidem verbis contentiosissimè docuisse: *Opera bona & nouam obedientiam non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinere.* Item: *ad Satanam spectare Christianos cum bonis operibus.* Item: *adeò non necessaria esse opera bona, vt etiam ad salutem incommodent, sintq; perniciosa.*

Moralis Ecclesiæ sapientia.

Protestantium Moralis sapientia.

Cuiusmodi Mores apud Protestantes doceantur.

CAPVT CXXVIII.

IAM vtrubi Ciuilis sapientiæ siue Politices, illustriora exstent specimina, primùm ex ipsius Lutheri Confessione disci potest, quæ in Colloquijs Isleb. de verbo Dei fol. 6. §. 2. legitur. *Nobiles nostri rebus gerendis præesse & rempub. administrare volunt, cum tamen neque id possint, neq; quicquam prorsus intelligant. Papa verò non tantum, quomodo regnandum sit, intelligit: sed facto ipso Regem & Gubernatorem præstat. Postremus quisque Papistarum solus aptior est, regimini & administrandæ reipub. quàm decem Nobiles*

Ciuilis seu Politica sapientia apud Protestantes documenta.

Nobiles Protestantium cuiusmodi Lutherus esse dicat.

biles in aula Principis nostri: quod ipsorum siue bona, siue mala cum gratia dictum volo. Et Tomo 6. lat. witt. in cōment. Genes. 27. fol. 627. vel Tomo XI. Ger. witt. fol. 275. *Nostri Nobiles & Centauri domi militiaeq; ad res gerendas inutiles sunt: dedunt se aut auaritiae inexhaustae, aut helluationibus, pericula vero & onera reipub. fugiunt, & in acie cauent sibi loco, dantq; operam, ne primi hostibus opponantur.* Et Tomo 2. Germ. Ienen. de scholis erigendis fol. 466. aut 476. *Deberent quidem Euangelici nostri Principes ac proceres Euangelicarum scholarum erigendarum, & educandae iuuentutis curam gerere. At enim ipsis non vacat, quippe quos traha siue Slitta per niues animi causa circumuectari, COMPOTARI, laruatosque concursare oporteat, suntque acerrimè occupati arduis & magni momenti negotijs ad culinae, apothecae vinariae & Lecti,* siue muliebris complexus *procurationem spectantibus.*

Cuiusmodi Principes Protestantium.

His addamus licet Andreae Musculi verba ex libro supra citato de die Nouissimo fol. 84. *Christus tamen semper in Regno suo fideles seruos habuit, qui acceptum talentum fideliter collocarent, sicut res ipsa ante oculos est & loquitur in amplissimis illis Collegiorum, Ecclesiarum & Hospitalium fundationibus, ita vt hodie dolenter dicere soleamus, in Papatu adhuc fidem, opem & auxilium reperiri potuisse, nunc autem de omni fide & ope actum esse. Nunc nequam, infidelis & postremus* (siue, Euangelicus) *seruus oeconomiam & familiae praefecturam solus omnem tenet. Nunc QVISQVE quod habet, retinet, ac praeterea res proximi corradere & in rem suam conuertere dies noctesque meditatur. Praeterijt tempus illud, in quo fideles Dei serui* (Papistae) *dabant & distribuebant. Iam nihil nostris cordi est, quàm RAPERE CAPERE. Proceres ac Magnates à bonis Ecclesiasticis inceperunt, ea sibi vindicarunt, neq; tamen bene collocant, sed in priuatā vtilitatem conuertunt. Nobilitas porrò reliquias, quae sunt, demetit. Ciues & Agricolae mutuò se deglubunt & deglutiunt. Cùm quid dandum est, nemo quisquam habet.* Sic ergò apparet, qualem esse Politiam apud eos oporteat, vbi nemo in commune consulit, sed suae quisque vtilitati studet, eiusq; causa neque à ceterorum ciuium bonis, neq; ab ijs, quę Deo consecrata sunt & ad cultum eius conseruandum pertinent, rapacissimas ac sacrilegas manus continere potest: vt nihil dubitem, quin si reuiuiscat Aristoteles, auditis eiusmodi Lutheri ac Musculi *de regno Christi,* seu Protestantium Synagoga testimonijs, (quorum tamen veritatem praestare nolim) Philippi Regis *Poneropolin*, in quam nemo nisi improbus recipi poterat, apud Protestantes agnoscat.

Regnum Christi quale sit inter Papistas.

Quale inter Protestantes: Viuitur nempe ex rapto.

Politia Protestantium.

1.

2. Deinde perspicuum est, non esse Protestantibus certas Leges, neque

que certos Præsides, velut mox euenturum iam eo ipso tempore, quo Augustana Confessio cudebatur, prænunciauit Melanchthon, cuius supra cap. 74. pag. 244. hæc verba recitaui: *Vt quod sentio dicam, vtinam possim Administrationem restituere Episcoporum. Video enim qualem habituri simus Ecclesiam, dissoluta Politia Ecclesiastica. Video postea multò intolerabiliorem fore Tyrannidem, quàm antea vnquam fuit, Lutherum quidam nulla de causa amant, nisi quia beneficio eius sentiunt se Episcopos excusisse, & adeptos Libertatem minimè vtilem ad posteritatem. qualis enim, cedo, futurus est status ad posteros in Ecclesiis, si omnes veteres mores sint aboliti, si nulli certi sint Præsides?* In his nihil mentitum esse Philippum, res ipsa ante oculos posita vociferatur. nam in Ecclesia Catholica nemini mortalium licet *mouere terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri*: Si qua verò noua incidat controuersia, conueniunt Episcopi videre de verbo illo, & quicquid *Spiritui sancto & ipsis visum fuerit*, hoc est, quicquid ipsi à Spiritu sancto inspirati decreuerint (nam Spiritum sanctum per os Episcoporum legitimè congregatorum loqui eadem fide credimus, qua Deum esse conditorem cœli ac terræ) id omnes pro Dei iussu atque oraculo sine vlla retractatione aut dubitatione accipimus, eique volentibus animis paremus. Sed apud Protestantes nullus nouandi ac mutandi finis est. Cùm quis enim nouam quampiam sententiam commentus est, & verbis Scripturę cum probabilitate aliqua ad instituti sui rationem contortis Principi sęculari persuasit, continuò commentum illud pro Lege Dei, siue, pto vera Fide omnes eius Principis subditos habere oportet. Eius rei bina tantùm exempla hoc loco commemorare lubet. Augustanam Confessionem à Melanchthone ac socijs *duodecies mutatam* fuisse in Herzbergensi Colloquio anno 1578. fassus fuit Andręas Musculus, velut in Colloquij illius Relatione fol. 91. & 92. legimus. Mutata verò in ea fuisse non modò verba & orationis formam, sed etiam res magni momenti ac fidei articulos, de quibus acerrimè disputatur, Selneccerus & Smidlinus ibidem, & Saxonici Theologi in Colloquio Altenburgensi fol. 521. fatentur, idq; *Marchio Badensis Ernestus Fridericus* in libro, quo causas reddit, cur Concordię libro subscribere religioni habuerit, similiterq; frater eius germanus *Marchio Iacobus*, sanctę memorię Princeps alio libro, quo quibus rationib⁹ impulsus relicto Lutheranismo Ecclesię Catholicę se reddiderit exsequitur. ingesta oculis veritate, planissimè demõstrant Porrò Electorales siue witt. Theologi in eodẽ ipso Altẽburgẽsi Colloquio fol. 425. & 463 nõ ignorante

Melanchthonis vaticinium de Principum Protestantium intolerabili Tyrannide.

In Ecclesia imperium magistratuum est in volentes & secundum Leges.

Contra fit apud Protestantes.

Veritas prophetia Philippi euentu comprobatur.

Norma fidei Protestantium est regula Lesbia.

Augustana Cõfessio falsata conscio Luthero.

Et conſciis Lutheranis Principibus.

ignorante aut inuito, ſed probante, immò hortante & mandante Luthero, viuentibus adhuc maxima ex parte Principibus, qui Confeſsionem Auguſtæ Carolo Cæſari obtulerant, mutatam ſiue corruptam ſæpiùs exijſſe: & fol. 498. *publico Principum conſilio* editionem anni 1531. nequaquam ad Archetypum Auguſtæ exhibitum congruentem, *quod ita fieri ad exiſtimationem quoque Principum pertineret*, adornatam fuiſſe affirmant: quemadmodum & fol. 530. *de nouo reuiſam & auctam Auguſtanam Confeſsionem, Auguſtæ tamen neque ſcriptam, neque exhibitam, neque à ſtatibus Proteſtantium vnquam approbatam* (velut non modò Saxonici fol. 402. b. ſed etiam ipſi fol. 494. apertè ferunt) *prò Electoris Auguſti mandato in Eccleſiis illarum regionum, velut ſanæ doctrinæ nucleum, retentam fuiſſe* gloriantur. Id porrò exemplar Smidlinus in Herzbergenſi Colloquio fol. 92. contendit *aſtu Philippi in Caluiniſtarum gratiam ita mutatam fuiſſe, vt etiam ipſi amplecti eam potuerint.* quod haud vanè ab illo dici hæc Caluini verba in vltima admonitione ad weſtfalum anno 1557. edita pag. 23. teſtantur: *De Confeſsione Auguſtana ſic reſpondeo, verbulum in ea (qualis Ratisbonæ edita fuit) non exſtare doctrinæ noſtræ contrarium. ſi qua in ſenſu ambiguitas incidat, nullum eſſe magis idoneum interpretem, quàm auctorem ipſum* (Philippum) *cui etiam id honoris pro ſuo merito facilè pij omnes & eruditi deferent &c.* Iam ergò dilucesſit, mandato Electoris Auguſti multis annis Caluiniſmum ſub Auguſtanæ Confeſsionis à Philippo adulteratę velo in Saxonicis Eccleſijs latuiſſe, & animis populorum inſtillatum fuiſſe.

Elector Saxo Eccleſiis ſuis adulteratam Cōfeſſ. obtrudit.

Caluinus Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcribit.

Si quis ſcire iam deſideret, ſciens ne an imprudens idem Elector deprauatam illam & Caluinizantem Confeſsionem probarit ac promulgandam curarit, audiat, quid Smidlinus in Herzbergenſi Colloquio fol. 92. hac de re denarret: *Naumburgi* (inquit) quò Euangelici Principes concordiæ in religione ſanciendę cauſa conuenerant, *nullum Confeſsionis exemplar cum altero concordauit, dixitque mihi Elector Auguſtus, Philippum Haſsiæ Landgrauium cùm Confeſsionis exemplar manu præferret, pectore ſuo percuſſo religioſè ſibi aſſeueraſſe, illud ipſum exemplar & nullum aliud eſſe, quod ipſe ſimul cum alijs Auguſtæ anno 1530. verè & indubitatè Cæſari obtulerit. Eius verbis fidem ſe habuiſſe ac deprauato illi exemplari ſubſcripſiſſe, quod alioquin profectò nullo modo facturus fuiſſet.* Hęc Smidlinus.

Elector Auguſtus ſuos ſubditos in errorem inducit.

Ipſe turpiter ab Haſſiæ Landgrauio deluſus.

Quis nunc eſt, qui ſatis pro rei indignitate miſerrimam Proteſtantium conditionem verbis deſcribere ac deplorare queat? quos quidem ſui Principes partim fraude ac dolo (niſi Haſſo iniuriam in eo Elector fecit) partim inſcientes ac ſimpliciter, ne dicam ſtolidè alijs fiſi, ad normam Fidei, impoſtorum aſtu contortam ac deprauatam adigunt, in

eamque

eamque prouinciarum suarũ Doctores, Ludimagistros & Concionatores iurare cogunt: eos autem, qui quod ex animo dissentiant, Normam eiusmodi nequaquam salua conscientia adhibere se posse intelligunt, pro hostibus habent, & non minùs, quàm Papistas in malam rem magnam facessere iubent. Sed id multo adhuc planius facit *Concordiæ liber*, anno 1580. Lipsię Latinè editus, in cuius Pręfatione tres Electores vna cum ceteris Lutheranis Principibus, ordinibus & Ciuitatibus Imperialibus magnoperè affirmant, se ab Augustana Confessione ne latum quidem vnguem discedere, sed summa concordia in ea perseuerare, & controuersias omnes ad illam veram normam examinare decreuisse: tum etiam persuasum omnibus volunt, eiusque rei causa suam, velut virorum Principum fidem interponunt, se Confessionis Augustanæ exemplar sincerum, germanum & incorruptum ac summa fide cum Prototypo, quod Carolo Cæsari oblatum Moguntiæ in archiuo Imperij seruetur, conferendum curasse, & sic collatum Concordiæ libro inseruisse. Sed hoc impudentissimum esse mendacium non Principum, sed Theologorum, qui credulitate Principum tam atrociter abuti non dubitarunt, ipse *Nicolaus Selneccerus*, vnus primarius libri Concordiæ architectus, ac velut credibile est, ipsius Latinæ præfationis scriptor, in secunda eiusdem libri Editione quæ Lipsiæ anno 1584. prodijt. fol. 745. totidem verbis fatetur:

Protestantes à Principibus suis ad errores fidei coguntur.

Principes Lutherani profitētur se libro Concordiæ inseruisse incorruptam Confess. Augustanam.

Antea publicatus est liber Christianæ Concordiæ Latinè, sed priuato & festinanti instituto. Opus profectò fuerat circumspectione & delectu, cùm præsertim ad manus non esset exemplar Latinę Confessionis Augustanæ, quod primum omnium anno 1531. in Quarto editum fuit: vbi necessitas coëgit pręcipitantiam, vt alterũ exemplar eiusdem Confessionis eodem anno in octauo non sine mutatione (fatendum enim est) publicatę prelo subijceretur, cùm hæc vna editio, & non prior, vt dictum est, in promptu esset. Etsi autem excusationem προπέτεια ista suam meretur, tamen nonnullis non tantùm Theologis, sed & alijs, politicis & prudentibus viris, Præfationem Electorum, Principum & statuum considerantibus, visum est, exemplar primò editum & non mutatum, in posteriore hac euulgatione & in omnibus alijs sequentibus editionibus, omninò & sanctè retinendum esse: id quod & hac ipsa iam fit publicatione, & deinceps per eos, qui fideliter Ecclesijs & scholis harum regionum seruiunt, diligenti & pio studio fieri curabitur. [*Hæc Selneccerus.*

Id falsissimum esse testatur Selneccerus.

Anno 1531. VVittebergæ Cōfessio adulterata exijt.

Nnn In his

IN his porrò Selnecceri verbis quatuor sunt, quę animaduersionem merentur: I. quod Augustanam Confessionem anno 1531. wittembergę in quarta folij forma, rursumque in octaua editam, sed hanc posteriorem mutatam siue deprauatam, neque bona fide ad archetypum expressam fuisse confitetur II. quod cùm anno 1580. Concordiæ liber Lipsiæ imprimeretur, nullum exemplar editionis illius in Quarto ad manus fuisse, eaque causa alterius editionis, id est, deprauatæ exemplar in librum Concordiæ insedisse dicit. III. quod secunda libri Concordię editione exemplar Confessionis in Quarto editę contineri affirmat. IV. quod crimen falsi ab ijs commissum, quos anno 1580. edendo Concordiæ libro Principes prefecerant, sic excusat, quod necessitas eos coëgerit, vt corruptum Confessionis exemplar pro incorrupto venditarent ac Principum nomine lectoribus obtruderent, hoc est, ipsos Principes in Prefatione de incorrupto exemplari gloriantes, mendacij manifestò reos facerent. Sed quid fuit tandem, quod eos sic facere cogeret? Vtrum iussus Principum? Id verò ipse Selneccerus negat, cùm priuato instituto priorem editionem ait exijsse. Fuit ergo ipsorum Theologorum malitia, qui ex natura Euangelij sui à mendacij patre Satana profecti, *non dormiunt, nisi malefecerint, & rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint*, Prouerb. 4. *Vigilant super iniquitate, & peccare faciunt homines in verbo*, Isai. 29. Itaque memores esse debebant Principes eius, quod de cauendis id genus hominibus, eodem loco Prouerb. 4. singulis pręcipitur: *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant. Fuge ab ea, nec transeas per illam: declina & desere eam. Comedunt enim panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Sed tantum abest, vt ab huiusmodi ductorum via recedant ipsi, vt insuper alios eandem tenere cogant. Quamuis enim wittembergenses Theologi in Altenburg. Colloquij fol. 494. disertissimè planissimeque fateantur, Confessionis editionem primam, quæ hodiè quoque, in Concordię libro, Selneccero teste, legitur, non minùs, quàm ceteras editiones, ab Archetypo Cæsari exhibito discrepare: quamuis etiam *Iacobus Marchio Badensis* eo, quem dixi, libro, ipsa αὐτοψίᾳ & allatis in medium locis in prima illa editione à Philippo corruptis luculentissimè demõstrarit, tamen vel illi Principes, qui se librum Marchionis Badensis noc semel legisse audientibus Catholicis gloriantur, adeoque ignorantiæ excusatio-

In Concordiæ libro deprauata continetur Confessio.

Malitia & improbitas Protestantium Theologorum.

Principes Protestantes ab ijs cauere sibi debebant.

Concordiæ liber hodie quoque corruptam Cõfessionem continet.

Et tamen quidam Principes Lutherani cùm id sciant, nihil mouentur.

cusationem non habent, vt eiusmodi fraudes ac dolos sibi displicere ostendant, animum inducere nequeunt, neque quid alij Principes de ipsis existiment, sua quicquam interesse censent. Eius mali causam sic reddit Apostolus 1. Iohan. 2. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat: quia tenebræ occæcauerunt oculos eius.* Oderunt nempe Catholicos, à quibus vehementissimę cupiditati, & quemadmodum de Principibus nominatim loquitur Lutherus, *Bulimiæ* suæ obsisti vident. *Irascuntur* (ait Aristoteles) *quicumque impedimentum habent*, siue, quibus quis obstat, *in ijs præsertim, quæ vehementer concupiscunt, vt si quis sitiens bibere vetetur.* Cuiusmodi autem sit Principum istorum fames ac sitis, Psalmo 82. Sic exprimitur: *Principes eorum dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, hoc est, Ecclesiarum Collegia & Monasteria nobis posterisque nostris hereditaria faciamus. Atque hoc est, quod Psalm. 28. legimus: *Famem patientur vt Canes: si verò non fuerint saturati, murmurabunt.* Et Isai. 8. *Transibit per viam Pythonum & ventriloquorum, in qua non est matutina lux* (siue, quemadmodum supra cap. 120. interpretabar, falsorum Scripturæ interpretum fallacem doctrinam sequetur, sed in ea via) *Corruet, & esuriet: & cùm esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo & Deo suo.* Quis est Principum eiusmodi Rex, nisi tu, Sacratissime Imperator? quis eorundem Deus, nisi summus Pontifex *quem Deus Pharaonum* istorum *Deum constituit*? Quàm verò vtrique irasci ac maledicere soleant, esurientes isti famelicique homines, manifestius est, quàm de quo fieri verba debeant. Verumtamen id adhuc ferri vtcumque posset, nisi hęc eorum Fames tot populos ad famem verbi diuini reijceret, ac pane mendacij victitare cogeret. quo modo enim Augustana Confessio non sit panis mendacij, quę non iam dico tota ex impudentissimis mendacijs sit concreta (quod quidem quotiescumque Principibus Protestantium conditio, quam paulò priùs eis tuli, placuerit, ostendere paratus sum) sed toties iam deprauata & adulterata populis proponatur, in eiusque verba Doctores ac Magistri publici iurare à Principibus cogantur? Et dubitabimus, quin iam euadant & impleantur, quæ de Tyrannide in Protestantium Ecclesiis ex sublata Episcoporum iurisdictione Philippus anno 1530. euentura prædixit? Iam enim vel vnius Saxonię exemplo id satis comprobatur: quæ ferè ad annum vsque 1525. etiam Wittembergæ, sed Dresdę & Lipsię ad 1539. Catholicos Sacerdotes ac Do-

Odio quippe Catholicorum excæcati.

Catholici enim cupiditati eorũ obstant.

Fames Protestantium.

Irascuntur Regi suo Cæsari, & maledicunt Deo suo Pontifici.

Augustana Cõfessio est panis mendacij.

Quem subditos Protestantium Principes edere cogunt.

In Saxonia religio sexies mutata.

ctores retinuit, poſtea Lutheraniſmus ibi rerum potitus eſt, quoad Lutherus vixit, quamuis Philippus iam tum anno 1540. in primo ſuo congreſſu cum Caluino à Lutheri & Auguſtanæ Confeſſionis ſententia defecerit, velut *Caluinus in vltima admonit. ad Weſtfalum pag. 25.* ipſius Philippi adhuc viuentis conſcientiam appellans ſcribit. Poſtea idem Philippus vna cum Ebero, Maiore, ceteriſque Philippiſtis per Confeſſionem Auguſtanam in gratiam Caluiniſtarum adulteratam Electoralis Saxonię Eccleſias Caluiniſmo infecerit, donec fraude detecta Auguſtus Elector Peucerum Philippi generum alioſque doli participes grauibus ſupplicijs affecit, & Lutheraniſmum cum Vbiquitatis appendice poſtliminio in ſcholas & Eccleſias reduxit. Sed poſtquam Chriſtianus ei filius ſucceſſit, redierunt Caluiniſtæ, neque modò in Saxonia rerum potiti ſunt, ſed vltrò etiam de Lutheraniſmo ſimul cum Catholica religione ex vniuerſo Imperio per vim & factionem extrudendo atrociſsima conſilia agitarunt. Electore verò in ipſo rei aggrediendæ articulo oportunè rebus humanis exempto, cœpit Caluiniſtarum fortuna ad pœnitentiam ſuam redire, vt nonnulli conſiliorum ſuorum atrocitatem capite luere, alij, niſi Caluiniſmum eierarent, Saxonię ſaltem finibus excedere neceſſe habuerint. quid porrò futurum ſit, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Caluiniſtæ quidem Chriſtiano II. nuper admodum ſublato ſibi gratulari & in magnam priſtinorum ſucceſſuum ſpem erigi denuò cœperunt. qua ſi non fruſtrati fuerint, ipſiſque res ex ſententia proceſſerit, nempe intra LXXX. annos Saxonia primùm Catholicos, inde Lutheranos, poſtea Caluiniſtas, tum denuò Lutheranos, mox iterum Caluiniſtas, poſt rurſum Lutheranos, tandem tertiùm Caluiniſtas in Eccleſiarum ac ſcholarum Cathedris habuiſſe verè prædicabitur, vt etiam hic locum habeat illud Ierem. 50. *Grex perditus factus eſt populus meus. Paſtores* ſiue Principes *eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus. De monte* excelſo Romanæ Eccleſiæ *in Collem* Lutheri *tranſierunt: obliti ſunt cubilis ſui. Omnes, qui inuenerunt, comederunt eos*, modò eos Lutherani, modò Caluiniſtæ, prædæ habuerunt. quod vtinam pariter mox locum in illis habeat, quod eſt ibidem: *In diebus illis venient, ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent. In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum. Venient & apponentur ad Dominum fœdere ſempiterno, quod nulla obliuione delebitur.*

CAP.

In Electorali Palatinatu Religio intra annos 68. ſepties variata.

IAm ad alterum Tyrannidis exemplum venio, quod Philippum minimè vanum augurem fuiſſe vincat cùm perempta Epiſcoporum Iuriſdictione & Politia Eccleſiaſtica diſſoluta, multò intolerabiliorem in Eccleſiis Proteſtantium Tyrannidem fore prædixit: Cùm anno 1546. Fridericus II. Palatinus Elector abrogata veteri & Catholica Lege, quæ panis in corpus Chriſti *Tranſubſtantiationem* iubet, *Conſubſtantiationem* eius loco credere præcepiſſet (Lutherani enim ſubſtantiam panis in Sacramento quidem manere, ſed ſimul cum ea ſubſtantiam corporis Chriſti exhiberi credunt, tametſi Auguſtanæ Confeſſionis Germanicum exemplar non ſub pane ſed *ſub ſpecie panis*, ſiue ſub eo, qui tantùm videtur panis, Chriſti corpus diſpenſari dicit) durauit noua illa lex vſque ad annum 1559. quo Fridericus III. Elector Caluiniſmum induxit, & tàm Tranſ: quàm Conſubſtantiationem abrogauit, populoſq; ſuos, vt *Chriſti corpus longiùs à Sacramento, quàm cœlum à terra abeſſe* crederent. docendos curauit. Ei ſucceſſit filius Ludouicus anno 1576. qui relegatis Caluiniſmi doctoribus Conſubſtantiationis legem iterum fixit. Sed anno 1583. mortuus Caluiniſmo locum rurſus ceſſit, cùm ei frater Iohan. Caſimirus Caluiniſta ſucceſſiſſet. qui vt Friderico fratris filio cui tutorio nomine præerat, Caluiniſmum inſtillaret, quod eũ nec minis, nec precibus ad diſcendum Caluinianæ perfidiæ Catechiſmum induci poſſe cerneret, mandauit hominibus ſuis, (velut Heidelbergæ ipſe ex pluribus audiui) vt quibus puer rebus maximè caperetur, animum aduerterent. Et poſtquam eum didicit venatione plurimùm delectari, cùm eum aliquoties venatum eduxiſſet, eaque velut illecebra incautum ineſcaſſet, exinde domi vſque retineri eum iuſſit, donec pueris, qui ſimul educabantur, quotidiè venatu redeuntibus ac ſaliuam ei mouentibus, deſiderium venationis diutius ferre non ſuſtinens, ſe Catechiſmum Caluinianũ, modò venationi adhiberetur diſcere paratum eſſe profeſſus eſt. Sic ergò in Caluiniſmo educatus *Conſubſtantiationem* poſtea vſque adeò exoſam habuit, vt etiam Equeſtris ordinis hominis eam retinentes, propè ad nullam *ſubſtantiam*, & qui cum pane Chriſti corpus accipere ſe crederent, tantum non ad Panis egeſtatem redegerit: quod quidem ſi quis minùs nouit, vel in ſuperiore Palatinatu id diſcat licet, vbi nullus ferè indigenis ad præfecturas & lucroſa munera aditus patet, eiſque extranei Nobiles, Caluini decreta comprobantes præferuntur, & ex negara Conſubſtantiatione ſubſtantiam ſuam augent remque familiarem conſtabiliunt

Quo artificio Caluiniſtæ Electorem Palatinum in partes ſuas pertraxerint.

biliunt. Quod si nuper Palatinum Neoburgicum Electoralis Palatinatus tutela potiri contigisset: rursum Consubstantiatio Caluinismum pepulisset, ac mox quadriennio exacto, nisi quo artificio pupillus Elector interea à paterna secta alienatus esset, Coloniam denuò mutasset, eoque facto intra annos 68. publicam religionis Legem ac professionem in ea prouincia Principum arbitrio septies variatam vidissemus. Ecquæ tandem Tyrannis ista maior vel cogitari possit? quis Gentilium ista videns non continuò *Dynastian* inter Protestantes agnoscat, genus Oligarchiæ omnium vitiosissimum ad deterrimum? in quo maximo censu præditi & imperium non lege, sed hereditario iure possidentes, omnia suo arbitratu ac libidine contemptis legibus administrant, siue, vt 4. *Polit.* 5. scribit Aristoteles, vbi non Lex, sed Magistratus imperat, & quicquid ei de diuinis ac humanis rebus, deque perpetua animarum salute visum fuerit, id Legis vim obtinere oportet. Accedit, quòd cùm Protestantes sola fide homines æstimari, & nec bonis quenquam actionibus bonum nec malis malum censeri velint: tum etiam arbitrii libertatem hominibus adimunt, omniaque Fato & certa lege atque absoluta & immutabili necessitate euenire persuasum habeant, nisi tamen Doctoribus suis Luthero & Caluino contentiosissimè sic docentibus eumque articulum fidei omnium optimum ac rerum suarum summam Prædicantibus contradicunt: siue conuenienter huic Legi remp. suam instituant, siue aliter atque credunt, credi debere, factis ipsis declarent (puniendo scilicet peccata, recteque factis laudem præmiumque tribuendo, quod vanum esset, nisi vtraque essent voluntaria) effugere nullo modo possunt, quin magnam Politia ipsorum mendam continere, atque adeò aut ridiculè & præposterè, aut flagitiosè turpiterque descripta Gentilibus iure videatur. quod quoniam intelligentibus per se satis dilucet, verbum hic non addo, ac potiùs quid Gentiles in Ecclesiæ Catholicæ Politia admirabile & humana sapientia maius contueri queant, considero. Sed cùm ea tam multa, tantique sint momenti, vt proprio volumine explicari mereantur, accuratiore eorum tractatione in aliud tempus dilata, satis iam habebo breuiter nonnulla attingere ac summa sequi fastigia rerum.

Inter Protestantes est Dynastia siue Tyrannica Oligarchia, quantum ad regimen spirituale.

Cuiusmodi leges sint in rep. Protestantium

Sapientia politica in Ecclesia Catholica.

CAPVT. CXXXI.

Ciuitatis definitio.

Ecclesiam igitur diximus esse ciuitatem, seu regnum, siue remp.

Christi: *Ciuitas* verò definitur *hominum eodem iure consociatorum multitudo, rebus ad vsus vitæ necessariis satis instructa* siue αὐτάρκης, quemadmodum de Ecclesia Psal. 121. scriptum est: *Ierusalem, quæ ædificatur vt Ciuitas, cuius participatio in idipsum*, hoc est, in qua omnes omnia participant, siue, communia habent iura, tàm *Sacrum*, id est, ad religionem & cerimonias pertinens, quàm *Priuatum*, in contractibus ac testamentis priuatum singulorum emolumentum, & *Publicum* denique vtilitatem communem in reip. legumque descriptione spectans. Itaque eodem Psalmo subtexitur: *Illuc ascenderunt tribus Domini, testimoniũ Israel ad confitendum nomini Domini* (hoc est, quamuis ciues eius multi sint, eadem tamen Religione Deum colunt) *Illic sederunt sedes in iudicio* (Chaldæus reddidit: *ad iudicium*. hoc est, illic ius redditur in iudiciis publicis ac priuatis ab hominibus idoneis ex quauis tribu delectis *Sedes super domũ Dauid*. id est, in Domo Dauid regius thronus collocatus est. *Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute* seu munitione *tua, & abundantia in turrib* seu palatiis tuis, *Hic significatur* αὐτάρκεια, quę est rerum vsus ad vitæ necessarium, copia, de qua sermo est Isai. 33. *Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam*. Nimirum tanta est Ecclesiæ bonorum omnis generis abundantia & opulentia, vt etiam foris pateat conspicique possit. Isai. 60. *Super te*, Ierusalem, *orietur Dominus & gloria eius in te videbitur. Domum maiestatis meæ glorificabo dicit Dominus*. quo tandem modo? *Ponam te in superbiam sæculorum, & suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis: adducam filios tuos de longè: argentum eorum & aurum eorum cum eis. Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus & pinus simul ad ornandũ locum sanctificationis meæ. Et veniet ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini, Sion sancti Israel. Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Gens enim, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit* (Sicut Græcia rebellis) *& Gentes solitudine vastabuntur*. Aggæi. 2. *Mouebo omnes Gentes* (desiderium eis suscipiendi Christianismi excitabo) *& implebo domum meam gloria, dicit Dominus. Meum est aurum, & meum est argentum. Maior erit gloria domus istius nouissimæ, quam primæ*. id est, opulentior multò erit Ecclesia, quàm Synagoga. nam multo splendidiores erunt Sacerdotes Christiani secundum similitudinem Melchisedec, quàm Leuitici fuerunt. Isai. 61. *Vos Sacerdotes Domini vocabimini. Fortitudinem Gentiũ comedetis, & in GLORIA earũ*

Ius sacrum, priuatum & publicum.

In Ecclesia omnes idem ius participant.

Sub Vno Rege

Ecclesia est αὐτάρκης

Abundantia Ecclesiæ etiam à Gentilibus conspicitur.

Gentes ad suscipiendum Christianismum mouet Ecclesiæ abundantia.

superbietis

Specimen prudentia Nomothetica in Ecclesia.

superbietis. In terra vestra duplicia possidebitis. Sed de hac αυταρκεία deque isto opulentiæ genere satis multa parabola priore dixi. Videamus nunc, quod est huius loci proprium de *Prudentia Nomothetica*, quam præ se fert ciuitatis huius Eunomia, quamque Gentiles velut diuinam, maiorem quidem certè quàm pro humano modo, non possint non magnopere admirari. Est autem *Eunomia* bona reip. descriptio, qua cùm forma ipsius reipub. tam iuris legumque ratio continetur. In Ecclesia igitur admirabilis primum est ipsa Reipub. forma, cùm ex tribus rectis formis ita mista sit ac temperata, velut deprehendet, qui penes quem sit τὸ πολίτευμα siue summa imperii considerarit, hoc est, quibus ad Senatum, Iudicium & Magistratum aditus pateat. his enim tribus imperii summa continetur. Et ea quidem, quæ ad Senatum siue consilium publicum (vulgò *Status* vocant) pertinent sunt eiusmodi: Leges declarare cum auctoritate, qua ceteri teneantur (nam etiam priuati leges interpretari possunt, sed alios, vt assentiantur, non obligant) itemque supplere & corrigere tam eas, quæ reipub. statum attingunt (quod fit *Psephismate* seu populi scito, edicto aut decreto) quàm quæ de priuatorum rebus & causis latæ sunt, quod fit *Aequo & bono*, ex quo Romæ Ius prætorium ortum suum habuit, τοῦ ἀκριβοδικαίου seu stricti iuris laxamentum, cùm summum ius summa iniuria rectè dicatur, vbi nimirum verba potiùs, quamuis ac sententia Legis, attenduntur, neq; salutem populi supremam Legem esse in mentē venit. Est etiam consilii publici Leges nouas iubere aut rogare, veteres autē abrogare, quorum vtrumque propter humanarum rerum varietatem vel potius ἀπειρίαν & infinitatem fieri necesse esse, nemo paulò humanior ignorare potest. Sunt autem & ista rerum deliberandarum capita: Magistratus designare in eosdem inquirere & reipub. gestæ rationes ab ipsis reposcere, ius vitæ ac necis exercere, in exilium mittere, bona publicare, vectigalia indicere siue Aerarium instituere, dilectum militum habere, Legatos mittere, hostem declarare, bellum indicere, societates & fœdera inire, scholas instituere & disciplinam publicam ac priuatam τὴν καθ' ἕκαστον παιδείαν ordinare, & quod omnium maximi est momenti, de sacris & cerimoniis, siue de Religione statuere. *Iudicia* de contractibus, testamentis, aliisque priuatorum negotiis agunt ex legum quidem præscripto, sed quarum sententiam potiùs, quàm verba Iudex sequatur, cùm id priuatorum vtilitas postulat. *Magistratus ea*, quæ tam in senatu, seu concione

Eunomia quibus rebus contineatur.

Forma Imperii in Ecclesia admirabilis.

Consilium status quibus de rebus tractet.

Iudicia seu Tribunalia quid tractent.

Magistratuum munus.

cione

cione, seu Consilio, quàm in iudicio seu pro tribunali decreta fuerint, exsequitur. Et quoniam Magistratibus rerum siue omnium, siue plerarumque deliberandarum ac iudicandarum potestas ferè tribuitur, vt imperium & iurisdictionem partim ipsi exercere, partim, aliis mandare possint, eo fit, vt Magistratus reip. *τό κύριον* siue *Summa* existimetur, & ex Magistratuum dissimilitudine ipsa rerumpub. genera distinguantur. Est igitur hoc in Ecclesia Politicum, quod ad Magistratus maiores, quibus nempe rerum nobiliorum procuratio commissa est. (cuiusmodi est potestas iudicandi, soluendi ac ligandi) promiscuè omnes tàm pauperes, quàm diuites, tàm plebeii, quàm Nobiles admittuntur, modò virtute ad id munus necessaria sint instructi. Democraticum enim foret, omnes nulla virtutis habita ratione Magistratuum participes fieri. Aristocraticum verò est, quod qui virtute magis excellunt, ex ceteris Sacerdotibus delecti, Episcopatibus præficiuntur, qui partim in sua quisque Diœcesi, partim simul cum ceteris congregati maximarum quarumque rerum potestatem exerceant, dum ne quid sanciant statuantue, quod summo Pontifici probare nequeant. Regium denique est, quod omnium optimus & Sapientissimus iudicatus vniuersæ Ecclesię præest, ac partim solus, partim cum Concilio, & vel ipse, vel per alios, quibus auctoritatem dederit, de omnibus rerum deliberandarum ac iudicandarum capitibus, quæ ad Senatum & iudicia siue tribunalia pertinere dixi, quicquid reipub. singulisque eius membris expedire visum fuerit, statuere potest. In legibus declarandis, supplendis, figendis ac refigendis siue abrogandis Prætoriam Regiamque potestatem exercet: Magistratus tam maiores, Episcopos scilicet ac Sacerdotes, quàm minores, siue rerum modò sæcularium & caducarum procurationẽ habentes, instituit aut ab aliis institutos confirmat, atque etiam si mereantur, amouet: in exilium mittit atque etiam occidit per excommunicationem: Vectigalia indicit, cùm certum ieiunii, orationis & eleemosynæ numerum ac modum præscribit, & Aerarium siue thesaurum Ecclesiæ ex eiusmodi bonis operibus conflatum dandis Indulgentiis dispensat: Dilectum militum agit, Religiosorum hominum sodalitates instituendo & reformando: Societates ac fœdera init, animabus in purgatorio suffragando, vt inde scilicet in cœlum euectæ nos vicissim adiuuent & *in æterna tabernacula recipiant*: Legatos mittit Sacerdotes qui fidem Gentilibus prædicent ordinando: Scholas ac disciplinam publicam & priuatam ordinat, Cathe-

Mixtura formarum imperii in Ecclesia. Quid in ea sit Politicum.

Quid Aristocraticum.

Quid Regium. Potestas Summi Pontificis.

chiſmum, quem puerilis ætas à parochis in Eccleſia, à ludi magiſtris in ſchola, à parentibus ac familiaribus domi cuiuſque doceatur, præſcribendo. Iudicat verò de omnibus omnium ciuium rebus, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum, ſi quid in iis peccatum, ſiue aduerſus fidem, ſpem aut charitatem commiſſum fuerit: ipſe autem *à nemine iudicatur*, eſtque ἀνεύθυνος, neque à quoquam mortali repetundarum aut geſti magiſtratus rationes repoſci poteſt. nam Chriſtum Regem noſtrum, qui ſolus eſt *Legifer & Iudex* eius, καὶ τῶν εὐθυνεῶν κύριος, ſpiritum ſuum, qui nouit omnia, apud eum depoſuiſſe credimus vt in nouis negotiis, quæ quotidie & repẽte accidere ſolent, de Chriſti Regis voluntate certus eſſe, quodque vtilitas ſubditorum priuata aut publica requirit, per decretum aut priuilegium ſine errore ſtatuere poſſit. De quo depoſiti genere Paulus loquitur 2. Tim. 2. *Bonum depoſitum cuſtodi per ſpiritum ſanctum, qui habitat in nobis.* Eſt nempe Spiritus ſanctus velut cauſa, qua Chriſti voluntas de iis, quæ quotidiè ſubnaſci & emergere poſſunt negotiis commentario comprehenſa aſſeruatur. Itaque Eccleſiæ reipub. ſuæ, cui capſam illam reliquit, ſic loquitur Iſai. 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* Et Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Ioh. 16. *Cùm venerit ſpiritus ille veritatis, deducet vos in omni veritate,* quam nunc quidem de multis rebus *dicere vobis haberem, ſed non poteſtis portare modo* (propter negotiorum multitudinem ac penè infinitatẽ, quibus perſequendis nec longiſſimum tempus ſuffecerit) *Non loquetur ſpiritus ille à ſemetipſo, ſed clarificabit me: quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Pertinet igitur hoc ad Chriſti gloriam, vt ea, quæ ſpiritus hic Eccleſiæ relictus præcipit, nõ minùs amplectamur, quàm quę ipſe Chriſtus ſanxit. Ac ꝓpterea Petrus depoſitariorũ omnium coryphæus atq; Princeps, eum, qui ſibi mendacium dixiſſet, negauit homini, ſed *ſpiritui ſancto mentitum eſſe*, Act. 5. Et Paulus de ſuis præceptis. *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit ſpiritum ſanctum in nobis* 1. Theſ. 5. Etiamſi autem Gentilis, quæ nos de Spiritus ſancti natura & officio dicimus, nõ intelligit neq; credit, non tamẽ ignorat, ad reipub. noſtrę incolumitatẽ non plus qualis ſit Magiſtratus quàm qualis à nobis exiſtimetur, referre, cùm quẽ qs plus ſapere ac rectiùs cõſulere arbitratur, ei facilè parere ac dicto audiẽs eſſe ſoleat.

Papa nihil ſuo arbitratu imperat, ſed ex ſpiritus ſancti praſcripto.

Quod apud ſe habet depoſitũ

Chriſtus voluntatem ſuam in Eccleſia reliquit.

CAPVT CXXXII.

Admirabilis in Eccleſia iuris ac legum deſcriptio.

NEq; verò minorem admirabilitatem habet iuris ac legum huius reipub. deſcriptio, cùm, quod Ariſtoteles ad Eunomiæ perfe-

ctionem requirit, & rectè latæ fuerint Leges, & vt rectè obſeruentur prouiſum. *Rectè latæ* dicuntur, primùm quidem quando reipub. ſunt accommodatæ aliæ enim reipub. generi alias leges conuenire notum apud Politicos eſt negotium. Cùm porrò noſtræ reipub. forma ex tribus rectis vt dixi, formis miſta ſit, hinc rectè latæ leges eius demonſtrantur, quod omnium ſaluti & incolumitati ex æquo conſulunt, non iis magis, qui preſunt ac rerum potiuntur, quàm qui parent: quod quidem in vitioſis rebuspub. Tyrannide, Oligarchia & Democratia contrà fieri ſolet. nam in noſtra repub. *adſcenderunt tribus*, ait Pſalmus, nempè *ad ſedendum in ſedibus ad iudicium*, hoc eſt, cuius de populo pariter ac de ſumma & infima Nobilitate non modò ad Sacerdotium, ſed etiam ad Epiſcopatum atque adeò ad pontificatum adſpirare licet, ac nulli cuiuſcumque ordinis aditus ad honores per virtutis ac doctrinæ viam eſt præcluſus: quæ res facit, vt omnes ordines pro ſe quiſque ciuitatem velit in columem, quippe cuius ſtatum mutari nemo, niſi improbus, ſua intereſſe exiſtimet. Deinde hinc etiam laudantur leges, ſi omnia maioris momenti negotia ipſæ definiant, minimumq; Magiſtratibus & iudicibus relinquant. ὁ γὰρ ἄνθρωπος οὐκ ἀσφαλὴς κανών, *Nec enim homo ſatis tuta eſt Norma*, ait Ariſtoteles: Adeoque rectiùs Legi, quàm arbitrio hominum creditur. *Qui Mentem quidem præeſſe & imperare iubet, is Deum & leges imperare iubet qui verò hominem iubet, adiungit & beluam. Nam cùm ſit huiuſmodi* (ferina ſcilicet ac belluina, quæ homini innata eſt) *cupiditas, tum iracūdia eos, qui præſunt etiam viros, optimos, deprauat, quare Lex, Mens eſt cupiditate vacans.* 3. Polit. 12. Verumtamen ſunt quædam quorum poteſtas iis, qui præſunt neceſſario relinquitur. Res enim ſingulares atque ea, quę quotidiè emergunt omnia velle legibus cōprehēdere, nihil eſt aliud, quàm Hydræ capita amputare, velut ex Platonis ſentētia ſupra dixi. *Poſteaquā Lex accuratè & ſtudioſe homines de iis quæ facienda ac fugiēda ſint, erudit, aliqua iuſtiſſimæ magiſtratuū ſententia iudicanda adminiſtrandaq; relinqt: tum etiā corrigere permittit, ſi qd rerū peritis & vſu edoctis ſcripta lege melius fuerit viſum*, ait ibidē Philoſoph⁹. Et in reb. quidem priuatam ciuium vtilitatē attingentibus, *Aequo bono* locus eſt, quod τῷ ἀκριβοδικαίῳ ſummo ac ſtricto iuri, itemq; τῇ διαβολῇ Calumniæ opponitur.

Quia leges rectè ſunt latæ.

Nam primùm ſunt formæ imperii accommodatæ.

Deinde pleraq; maioru momenti ipſæ definiunt.

Quædam tamen Magiſtratuum fidei ac prudentiæ relinquunt.

Aequitatis vſus in rebus priuatorum ad leges relaxandas.

> Καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσίν. ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους
> Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται
> *Præclara res Lex eſt, ſed exactè nimis*
> *Eam tuens, Calumniator exſtitit*

Sic & ſummum ius ſumma iniuria rectè dicitur, cùm videlicet quæ legibus definita ſunt, odioſè ſubſtringuntur, ac verba earum vſque eò ſæpiuntur, vt nullus Aequo & bono, quod *legis laxamentum* Cicero vocat, aditus relinquatur. Aequitas porrò non in priuatorum modò negotiis, ſed in iis etiam, quæ ſummam rempub. attingunt, rectè adhibetur. Itaque cùm lex eſſet Thebis, quæ morte multabat, ſi quis diutiùs, quàm lege præfinitum foret, imperium retinuiſſet, Epaminondas Thebanorum Imperator eam legem reipub. ſeruandæ cauſæ latam intelligens, ad perniciem ciuitatis conferre noluit, quod feciſſet, ſi imperio ſe abdicaſſet: ſed imperium quatuor menſes vltra tempus lege præſcriptum retinendo, patriam ex Spartanorum ſeruitute in libertatem vindicauit. *Salutem* nempe *populi ſupremam legem eſſe* rectè cenſuit, cui ſi tum in re præſenti adfuiſſet is, qui primus legem de imperio ſimul ac dies exiiſſet deponendo rogarat, non eſt dubium, quin ſe verba Legis non aliter, quam ex vtilitate reipub. foret, intelligi voluiſſe, dicturus fuerit, hancque Epaminondæ velut à regula Legis exceptionem, aut ἐπανόρθωμα ſiue correctionem, qua Legis ἔλλειμμα ſeu defectus ſuppleretur, magnopere probarit. neque enim Legislator planè ac diſertè Legi ſuæ, qua Imperium præſcripto diutiùs retinenti, multam dicebat, addere debuit: *extra quam ſi reipub. vtilitas id poſtularit.* Id enim iam ex iure naturali perſpicuum notumque eſt omnibus, propter vtilitatem publicam leges ciuiles ferri, adeoque omnia earum verba ſic moderanda eſſe, vt in ciuium rem ac ſalutem futurum apparuerit. Itaque Dauidi ſummus Pontifex *panes Propoſitionis* manducandos dedit. 1. Reg. 21. tametſi Lex ſolis Sacerdotibus eum cibum permitteret. neque enim Legislatori Deo propoſitum fuerat, ea lege famis mortiſque neceſſitatem iis, qui Sacerdotes non eſſent, imponere. quod non conſiderantes Hebræi illi, de quibus in Machabæorum hiſtoria ſcriptum eſt, verba Legis de feriando Sabbatho κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον ita ſtrictè acceperunt, vt moriendum ſibi potiùs, quam armis in hoſtes vtendum cenſerent. Sed Machabæi velut ſapientiores conſilium, finem ac ſcopum Legis non alium fuiſſe iudicantes, quàm vt cultui diuino, & iumentorum ipſorumque hominum continuis laboribus fractorum incolumitati conſuleretur, *Aequitatis regula* vſi nihil aduerſus Legem facere ſe ſtatuerũt, ſi vel in Sabbatho neceſſaria in hoſtẽ arma expedirent, ac pro cultu Dei, ſuaq; & ſuorũ vita fortiter dimicarent.

Eiuſdem vſus in publicis reb.

Salus populi eſt regula interpretandæ legis

Nam ipſe Legislator eam ſecutus fuit.

Sententia potius, quàm verba legis attendenda.

Sabbatum

Sabbatum enim propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum, ait ipse Legislator Christus, dicipulos suos aduersus Pharisęorum calumniam defendēs *Luc.6. Matth.12. & Marc.2.* nam Pharisæi omne opus Sabbatho prohiberi, ac propterea legem migrasse seu peccasse Christi discipulos contendebant, cùm Sabbatho transeuntes per sata spicas vellerent ac manducarent. Id autem nihil erat aliud, quàm *Calumniari,* hoc est, Legis sententiam prætermittere & verborum insidijs fraudem struere. Legem enim Sabbathi à Deo benignissimo & indulgentissimo patre propter filiorum suorum vtilitatem latam esse constat. quis ergò voluisse eum credat, vt filij sui inedia potiùs contabescant, quàm spicis vulsis vitam conseruent? *Cum voluntas* (ait Cicero) *& consilium & sententia intelligitur, impudentia summa, aut stultitia singularis est in verborum errore versari.* quo loco Impudentia Calumniam, stultitia verò τὸ ἀκριβοδίκαιον siue summum ius significat. Vt autem verba Legis illius nequaquam, calumnianda, neque ita strictè intelligenda esse Christus euidentiùs doceat, scopum eius, ac velut Cicero loquitur, *voluntatem & consilium* ex *Numer.* 28, 9, declarat, vbi Sacerdotes singulis Sabbatis holocaustum offerre seu sacrificare iubentur. nam ex eo satis dilucescit, non ea opera verbis Legis prohiberi, quę ad cultum diuinum & hominum salutem pertinent. *Non,* inquit, *legistis in Lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt* siue ἀνεύθυνοι. *Dico autē vobis, quia templo maior est hic* (id est, hominis vitam seruari, ac sanitatem ei restitui, pluris refert, quàm in templo sacrificium offerri) *si autem sciretis, quid sit illud, quod Deus ait apud Oseam,* Misericordiam volo, & non sacrificium: *nunquam condemnassetis innocentes.* hoc est, nequaquam iudicassetis discipulos meos spicis propter famem vellendis legem de sanctificando Sabbatho impiè violasse, sed Misericordia siue Clementia potiùs vsi, eos sententia vestra absoluissetis. *Clementia* (ait Seneca 2. de Clement. 7.) *liberum arbitrium habet,* siue, non est adstricta formulæ seu Legem verbis (Arbiter æquitatem intuetur, ait Aristoteles) *non sub formula, sed ex æquo & bono iudicat. Et absoluere illi licet, & quanti vult, æstimare litē. nihil ex his facit, tamq̄ iusto minùs fecerit* (sicut qui dat ei veniam qui hominem dolo malo occidit, quod est vsum Legis tollere, non ipsam interpretari) *Sed tamquam id, quod constituit, iustissimum sit. aliquem verbis tantum admonebit, pœna non afficiet, ætatem eius emendabilem intuens. Aliquem inuidia criminis manifestè laborantem iubebit esse incolumem, quia deceptus est, quia per vinum lapsus. Hostes dimittet saluos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis, pro fide, pro fœdere, pro*

Pharisæi Legem Dei calumniabantur.

Christus æquo & bono in lege interpretanda vtitur.

libertate in bellum accincti sunt. Hinc ergò, quemadmodum & ex alijs
multis cùm Christi, tum sanctorum hominum quà verbis, quà fa-
ctis, non minùs in Lege Dei, quàm in hominum atque gentium
legibus & institutis Æquo bono locum esse discimus, quoties nempe
verba Legis sine iniuria siue omnium, hoc est, reipub. siue singulo-
rum, sequi non licet: Quod autem Christus ait,, *si sciretis, quid esset il-*
lud apud Oseam, nequaquam innocentes condemnassetis : nihil aliud habet
argumenti, quàm ipsam Legem Dei esse inueniendæ æquitatis magi-
stram, si nempe rationem legis ac generalia præcepta cum cura consi-
deremus ac diligenter inter se conferamus, quod ipsum Aristoteles
huiusmodi verbis docuerat 3. polit. 12. *Bene quisque Magistratus iudicat,*
à lege eruditus. qui nempe sciat & intelligat, quid sit illud, quod Legis-
latori fuit propositum, siue, quæ fuerit legis ferendæ ratio, quam qui-
dem ipsa Lex alicubi aperire solet.

Quomodo ex ipsa lege scripta æquum & bonum hauriatur.

CAPVT CXXXIIII.

PRÆTER Æquitatem verò & *Psephismatis* seu Decretis, Edictis, sci-
tis, Rogationibus vel statutis in repub. vsus est *nam quibus de rebus*
consultant homines, de ijs rebus lex ferri non potest, ait Aristoteles. hoc est,
necesse est, multa quotidiè in repub. emergere negotia, quæ legisla-
tor prospicere & lege comprehendere propter infinitatem partim
nequeat, partim non velit: sicut Christus satis habuit generalia Iuris
priuati, ad propriam cuiusque vtilitatem spectantis præcepta, de
Fide, spe & charitate Apostolis inculcare(*Mandatum nouum do vo-*
bis, vt diligatis inuicem. Creditis in Deum, & in me credite, saltem pro-
pter opera, quæ ego facio. Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in no-
mine meo dabit vobis. Petite, & accipietis.) quantum verò ad Ius publi-
cum pertinebat, de Magistratuum scilicet officio ac potestate : *Iam*
non multa loquar vobiscum, inquit: Adhuc multa quidem habeo vobis dice-
re, sed non potestis portare modo, quia nempe tam multa sunt. *Spiritus*
Sanctus autem, vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis. non enim lo-
quetur à semetipso, sed de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Ille in vobis
erit, & vobiscum manebit in æternum (id est, vsque ad finem mundi)
Arguet autem mundum de peccato, quia in me non credunt: de iustitia &
de iudicio. Vt autem vires ad exsecutionem imperij vestri necessa-
rias habeatis, *opera, quæ ego facio, & vos facietis, & maiora horum fa-*
cietis. Videmus ergò Christum quoque sapientissimum Legislato-
rem

Psephismatis in rebuspub. necessitas.

Leges Christi de iure priuato & publico.

Christus de rebus singularib. legem ferre noluit.

rem de rebus singularibus ac repentè emergentibus negotijs nominatim lege sancire noluisse, sed ijs, quos Magistratus & Iudices in ciuitate sua constituit, consultandi ius statuendique ac decernendi potestatem ἀνεύθυνον ac verè *pontificium* reliquisse, cuius iuris ac potestatis vsus in bello indicendo, fœdere sanciendo, legatis mittendis, legibus ferendis aut abrogandis, magistratibus creandis, subditorum quopiam legibus soluendo seu dando priuilegio ac dispensando, inq; ceteris rerum consultandarum capitibus, quæ priùs enumeraui, perspicitur. Huius generis Psephisma erat illud Apostolici Concilicij *Act. 15.* quo Christianis ex Gentilitate ad fidem conuersis abstinendi à sanguine & suffocato necessitatem imposuit: quod simul ac scripto comprehensum fuit, parem ac Lex scripta auctoritatem habere cœpit, Itaque Apostoli edictum illud suum, ONUS vocant ac NECESSARIUM esse dicunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis* (id est, nos à Spiritu illo docti, quem Christus nobis ideo dedit, vt nobis suggeret illa, quę priùs portare non poteramus, ad tollendam illam de seruanda circumcisione, quæ modò emersit, controuersiam, ita decernimus & hoc Psephismate statuimus) *nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à sanguine & suffocato & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis*: aliter autem facientes, peccabitis. Quoniam verò Apostoli Spiritus sancti in ipsorum ore positi ac loquentis fiducia huiusmodi onere seu præcepto Christianos obligare se testantur (velut supra pag. 180. pluribus demonstraui) nos autem eundem Spiritum in ore seminis Apostolorum, siue Episcoporum hodiè quoque positum esse, & in sempiternum inde non recessurum, Legi scriptæ id affirmanti credentes, persuasum habemus, propterea Psephismatis Episcoporum, siue multorum simul in concilio Congregatorum, siue vnius ceterorum apicis atque Principis, non minùs, quàm ijs, quæ nominatim ac dilucidè legibus definita sunt, obtemperandum putamus. Neq; in eo quicquam nostra refert, literis consignata sint, nec ne, quæ nostri Legumlatores ac Magistratus siue principio cùm respub. nostra conderetur, siue posteriùs nouis negotijs subinde emergentibus sanxerunt. Nam & Plato ἄγραφα νόμιμα καὶ πατρίους νόμους leges non scriptas & patria instituta seu mores δεσμοὺς πάσης πολιτείας omnium rerumpub. vincula vocat, & Aristoteles 3. Polit. 12. *Maiorem* (inquit) *auctoritatem habent Leges moribus receptæ, & de rebus momenti maioris agunt, quàm leges scriptæ. Et Magistratus, qui legibus* præest

Exemplum Psephismatis seu Senatusconsulti.

Nos Catholici Conciliorum & Pontificum decretis pariter ac sacris literis obedimus.

Lex Dei in Ecclesia scripta & non scripta siue tradita.

Tradita leges scriptis ab Aristotele praferuntur.

præest (si nempe idem sit bonus ac prudens) *minùs ille labitur ac fallitur, quàm leges scriptæ, sed non quàm leges in moribus seu consuetudine positæ.* Nam leges scriptas propter τὰ ἐν κύκλῳ attributa, appēdices seu circumstantias rerum sæpe mutari contingit: sed lex non scripta, ęquitas nimirum & communis lex, naturalis puta & apud omnes eadem, semper manet nec vnquam mutatur, velut idem in Rhetoricis Aristoteles docet. Itaque Magistratus æquum bonum, ius naturæ, & ius ciuile non scriptum, sed moribus receptum siue in iudicandis, siue in consultandis rebus sequens, numquam à recto & vero aberrabit: sin autem sola Lege scripta pro regula seu norma vti velit, sæpisimè iniustè & aliter, quàm priuata publicaque subditorum vtilitas postulet, statuere cogetur: propterea quod vel aliquid in rerum attributionibus seu circumstantijs variari, vel negotia noua suboriri cōtingat, de quibus nihil sit lege sancitum. *Aetas enim defecerit* (ait Aristoteles) *si quis ea enumerando persequi velit.* Itaque cùm Romæ XII. Tabularum leges perscriptæ ac latæ fuissent, *vtilitas* postea *iusti propè mater & æqui*, velut Horatius ait, earundem legum supplementum & correctionem atque vberiorem interpretationem induxit. Ac ius quidem Prætorium & Iurisconsultorum responsa calumniam strictumque ius excluserunt, Aequi boni ratione habita: Psephismata verò, hoc est, Senatusconsulta & Plebiscita, de certis negotijs, verbi gratia, de bello gerendo, de legatione suscipienda, de magistratu alicui deferendo, de lege aliqua aut plebiscito abrogando, de supplicatione alicui, ouatione aut triumpho decernendo cōdita fuerunt. *Sed neque Leges* (ait Iulianus Iurisc. l. 10. & seq. ff. de legibus) *neque Senatusconsulta ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri. Et ideò de his, quæ primò constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione Principis certiùs statuendū est. Cùm enim in aliquo casu sententia legis manifesta est, is, qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet. Quoties lege* (ait Vlpianus l. 13. ff. eod.) *aliquid vnum vel alterum introductum est: bona occasio est cetera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè Iurisdictione suppleri.* Ita Papinianus l. 7. ff. de iustit. *Ius Prætorium* definit, *quod Prætores introduxerunt, adiuuandi* seu magis explanandi, *vel supplendi, vel corrigendi iuris ciuilis gratia propter vtilitatem publicam*: ex quo à Marciano l. 8. ff. eod. *viua vox iuris ciuilis* dicitur. Quantam porrò in iure Romano vim Consuetudo habeat, quamque necessarius eius ad scriptas leges interpretandas vsus sit, hæc nobis Iuriscōsultorum verba aperiunt: *Sed & ea* (ait Hermogenes

Non scripti, quàm scripti iuris regula est certior.

Exemplum Romanæ respub. Lex.

Aequitas. Psephisma.

Non omnia debent legibus cōprehendi.

Sed ius dicenti nonnulla committenda.

Prætorio iure leges declarabantur, supplebantur & corrigebantur.

Iuris non scripti seu Moris, eius & auctoritas.

mogenes l.35.ibidem) *quæ longa conſuetudine comprobata ſunt ac per annos plurimos obſeruata, velut tacita Ciuium conuentio, non minùs, quàm ea, quæ ſcripta ſunt iura, ſeruantur. Immò magnæ auctoritatis hoc ius habetur* (ait Paulus l.36.) *quod in tantum probatum eſt, vt non fuerit neceſſe ſcripto id comprehendere. De quibus cauſis* (ait Iulianus ibidem l.32.) *Scriptis legibus non vtimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus & conſuetudine inductum eſt: & ſi qua in re hoc defecerit, tunc quod proximũ & conſequens ei eſt* (id eſt, similẽ conſuetudinem. ſic ſi conſuetudo ſit, vt filius patri in feudo ſuccedat, etiam matri ſucceſſurum colligemus) *ſi ne id quidem appareat, tunc ius, quo vrbs Romana vtitur, ſeruari oportet. Inueterata conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur, & hoc eſt ius, quod dicitur moribus conſtitutum. Nam cùm ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ ſint: meritò & ea, quæ ſine vllo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes. nam quid intereſt, ſuffragio populus voluntatẽ ſuam declaret, an rebus ipſis & factis? Si de interpretatione legis quæratur* (ait Paulus leg.37.) *inprimis inſpiciendum eſt, quo iure ciuitas retrò in eiuſmodi caſibus vſa fuerit. optima enim eſt legum interpres conſuetudo.*

Quomodo ius non ſcriptũ ſuppleatur & declaretur.

Scripti & non ſcripti iuris eadem origo.

CAPVT. CXXXIV.

EODEM prorsùs modo in ciuitate Dei noſtri cùm de interpretatione legis ſcriptæ, ſiue, ſacrarum literarum quęritur, inprimis inſpiciunt ij, qui Iuriſdictioni pręſunt, Epiſcopi, quo iure Eccleſia retrò ſeu prioribus ſęculis in eiuſmodi caſibus vſa fuerit, conſuetudinẽ pro optima legis interprete habentes. Sin autẽ tam cõſuetudo, quàm ſcripta lex defecerit, tum ad ſimilia procedunt, ac ſimile de ſimilibus iudiciũ faciunt. quod ſi nec ſimilis aliqua cõſuetudo, qua tota vtatur Eccleſia, appareat, tũc ius, quo Eccleſia Romana vtitur, obſeruant, neq; quin eam legẽ ab Apoſtolis Petro & Paulo ſine ſcriptis acceperint, dubitant. Cùm enim ſacram Scripturam nullam aliam ob cauſam ſeruemus, quàm quia à Deo ſeu Spiritu ſancto, legislatore noſtro perfectam credimus: meritò & ea, quæ ſine ſcripto per os Paſtorũ Eccleſiæ, præcipueq; S, Petri & ſucceſſorũ eius dictauit, ſeruamus. nam quid intereſt, manu an lingua ſeruorũ ſuorum, ſiue Magiſtratuũ noſtrorũ, Spiritus S. vtatur? *Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis*, ait Dauid Pſal.44. quo loco *ſcribam* vocat Spiritũ ſanctũ, de quo idem 2. Reg. 23. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguã meam.* Habemus ergô pro ſcriptura Spiritus ſancti, quicquid Apoſtoli, quicquid Pontifex Petri in Apoſtulatu ſucceſſor, quicquid Epiſcopi in Spiritu S. congregati

Ius ciuile Eccleſiæ cum iure ciuili Romanorũ comparatur.

Leges Eccleſiæ non vno calami genere perſcriptæ.

Spiritus ſanctus Leges ſcribit lingua Pontificis.

 conſti-

constituunt. Act. 15. *Vos scitis* (ait Petrus) *quod Deus per os meũ elegerit Gentes audire verbũ Euangelij*. quibus verbis significat, suam linguam esse calamum scribæ illius Spiritus sancti. Ibidẽ Concilium Apostolorũ & Episcoporũ, *Visum est Spiritui sancto & nobis*: quo docent, Decretũ Concilij Spiritus sancti scripturam esse. 1. Thes. 5. *Qui præcepta mea spernit* (ait S. Paulus *non hominem spernit, sed Deum, qui dedit etiam Spiritũ suum S. in nobis*. Itaq; totum Missæ celebrandæ & Eucharistiæ tractandę ordinẽ, quẽ Paulus Corinthijs coràm præscripsit (velut hæc eius verba significant 1. Cor. 11. *Cetera, cùm venero, disponã*) nõ minùs pro Lege habemus, quàm si planè ac perspicuè in eadẽ epistola perscriptus foret. Eum verò nobis consuetudo Ecclesię Romanę conseruauit, sine qua vtrũ nobis præcipuè mulieribus, hodie sacram Synaxin celebrare, & siue vtramq;, siue alterutram modò speciẽ sumere fas esset, exploratò scire nequaq̃ possemus. nam in Euangelistis nihil nisi historia Cenę Domini, quomodo XII. Apostolis Christus corpus ac sanguinẽ suũ sumendum dederit, cõtinetur: ceterùm idẽ ne nobis faciendũ sit, inde scire non possumus. Postea Paulũ (Corinthijs quoq; Cenæ Dominicę institutionẽ tradidisse discimus, sed vtrum eis quicq̃ eius faciendi necessitatẽ imposuerit, ex epistola eius non constat. Inde namq; colligi aliud nequit, quàm quales esse Apostolus illos velit, qui sint Domini cenam participaturi. *Quotiescumq; manducabitis & bibetis, mortẽ Domini annunciabitis*. Hic non præcipit, vt manducent ac bibant, sed vt, quando manducant aut bibunt, mortẽ Domini annuncient. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat*. Non hic edere iubet, sed eum, qui esurus sit, se priùs comparare, id est, per examen conscientiæ ac peccatorũ Confessionẽ dignũ, qui manducet, reddere. quemadmodũ Exod. 12 legimus: *Omnis seruus emptitius circumcidetur, & sic de agno comedet*. id est, non comedet, nisi circumcisus. quod vetantis potiùs, quàm iubentis videtur. Sed neque Christi ad Apostolos verba, quæ Paulus recitat, Calicis bibendi mandatũ continent: *Hoc facite, quotiescumq; biberitis, in meam commemorationẽ*. Aliud enim est dicere, *Bibe*: aliud; *cùm biberis, pro sanitate mea bibe*. Illud enim bibere præcipit, siue imperat: hoc nec iubet, nec vetat. Vt autem Apostolis à Christo, vt bibant, Corinthijs à Paulo, vt vtramq; speciem sumant, præceptũ fuisse fateamur, dubitare tamen adhuc liceret, num nõ id postea mutatũ aut prorsùs abrogatũ fuerit. *Cetera*, inquit Paulus, *Cùm venero, disponam*. qui ergò scimus, an nõ cum venit, multa muuerit? 1. Cor. 8 permittit eis Idolothyta siue carnes Idolis immolatas comedere, modò absit scandali occasio. At enim postea Decreto Concilij promulgato, etiam citra scandalũ Idolothytis vesci nefas fuit, quemad-

Ordo celebrandæ missæ lingua non manu Pauli præscriptus.

Esse nobis hodie SS. Eucharistia vtendũ ex iure non scripto didicimus.

Paulus Corinthijs non præcepit sacram Synaxin

Leges latæ in Ecclesia nonnumquam abrogantur vel desuetudine, vel contraria lege.

modũ & Christani sibi moriendũ potiùs quàm sanguine vescerẽtur, putarunt: id ꝙ Ecclesiasticę historię peritis satis constat. quid, ꝙ hoc ipsum Apostolorũ Decretũ, quamuis ab ipso Spiritu sancto ꝓfectũ, posteriùs desuetudine fuit abrogatũ, ita vt S. Augustinus scribat, suo tempore paucos illos, qui Decreto illi obtemperantes adhuc à sanguine aut suffocato abstinerẽt, derideri solitos fuisse? Certè Christus lotis Apostolorum pedibus, eiusmodi nobis legẽ tulit: *Si ego laui pedes vestros, Domin⁹ & Magister: & vos* DEBETIS *alter alterius lauare pedes. Exemplũ enim dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci vobis, ita & vos faciatis. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*, Ioh. 13. quorũ verborũ clausula nõ obscurè significat, nequaq̃ nos beatos fore, nisi hac lege vtamur, sicut & Paulus 1. Tim. 5. Viduam ad Ecclesię ministerium non admittit, *nisi sanctorũ pedes lauerit*: vt Heroicis illis temporibus pedũ lotionẽ exemplo Christi obseruari solitam fuisse appareat. Itaq; si minùs propter hoc, saltẽ propter superiora exempla fateantur tandem Hæretici, non aliam in hac nostra, quàm in ceteris rebuspub. consuetudinis & desuetudinis vim esse, de qua Iulianus l. 32. ff. de legibus: *Rectissimè*, inquit, *etiam illud receptũ est, vt leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Agunt enim iura ciuilia de rebus adiaphoris, siue indifferentibus, quæ priusq̃ lege sanciantur, natura sua neq; bonæ sunt, neq; malæ, neq; iustæ, neq; iniustę. Huiusmodi enim ad ius naturæ pertinent, ꝙ non opinio genuit, sed natura inseuit, adeoque perpetuum est eandemq; omnibus in locis vim ac potestatem habet, ac per se valet, non quia hic aut ille sic statuerit: sicut viciſsim ciuilia iura nõ aliter, quàm poculentorum & esculentorum mensuræ, ac pretia rerũ venaliũ, ipsorumque adeò numorum, alia alibi esse solent ac quotidie mutantur. Ciuitatibus enim & rebuspub, iura accommodata esse debent: ex quo fit, vt aliud in Democratia, aliud in regno, aliud in Oligarchia, aliud in singularum formarũ generibus, variè mistis ac temperatis, ius inueniatur. Et quoniam formæ rerumpub. varias mutationum causas habent (qua de re Politici philosophi consuli possunt) mutata forma, ius ciuile simul mutari necesse est; quod fit, iure ac more veteri vel noua lege lata abrogando, vel per desuetudinem paulatim abolendo. Itaque νόμον, hoc est, Legem Aristoteles παρὰ τὸ νομίζειν, ab existimatione & opinione hominum dictam putat. Naturalia enim iura honestate seu iustitia, ciuilia verò vtilitate Ciuium seu reipub. ponderantur, suntque κατὰ συνθήκην, id est, pacto & cõuentione hominũ definiuntur, velut Philosophus 5. Eth. 6. & 7.

Vis consuetudinis & desuetudinis in omnibus rebuspub.

Materia iuris ciuilis.

disputat, qui etiam 1. Sophist. Elench. 12. *Nihil aliud*, inquit, *Lex est, quàm multitudinis opinio: sapientes verò, quod in rei natura est, & Veritatem sequuntur.* Itaq; nihil iam mirum est, legem illam de cauendo Idolothytorum, sanguinis ac suffocati esu, temporariæ vtilitatis causa latam, postquam vtilitas illa desijt, in desuetudinem venisse. Vnde autem scimus, idemne Legi seu Mori illi ab Apostolo apud Corinthios instituto de celebranda sacra Synaxi, vsuuenerit? Certè nisi nos Ecclesiæ Romanæ auctoritas verba Legis siue Scripturæ, consuetudine, optima illa interprete adhibita sic intelligere doceret, quod eadē Dominica mensa vtendi Lege nos quoque teneamur, frustrà sese omnes in probanda ex sacris literis tam sub vna, quàm sub vtraque specie communicandi necessitate torquerent: Quod similiter de baptizandis paruulis Lutherum supra cap. 77. pag. 254. confitentem audiuimus. Idem verò de multis alijs capitibus verè affirmare possumus. Verbi gratia: Epistolam ad Romanos esse à S. Paulo scriptam, esse verbum Dei & librum Canonicum, totumque corpus librorum veteris ac noui Testamenti esse à Spiritu sancto dictatum, non nisi ex Ecclesiæ testimonio nobis constat. Ita non Sabbatum, sed Dominicam feriari lege non scripta, sed ab Apostolis cœpta & ad nos vsque per Episcoporum os propagata consuetudine solemus. nec enim ad scribendum, sed ad prædicandum missi fuerant Apostoli, ac propterea maior eorum pars nihil omnino scripsit, & ex illis ipsis, qui scripserunt, sunt qui testentur, suum in scribendo consilium non fuisse scripto Legem Dei complecti, sed eos tantùm, ad quos scriberent, exhortari, consolari & eorum, quæ coràm docuerant, commonefacere, velut Rom. 15, 14. & 15. & 2. Pet. 1, 13. & 15. itemque 2. Pet. 3, 1. legimus. Et S. Iohannes disertim negat, se scripto, quæ scriptione digna essent, comprehendere, potiusque coram viua voce eadem explicare velle. Epist. 2. & 3. *Multa habui vobis scribere, sed nolui per atramentum & calamum scribere vobis: Spero autem protinus vos videre, & os ad os loqui.* Fuisse autem ista, quæ coram potiùs docere, quàm literis consignare voluit, ad Fidei legem pertinentia, ex his Pauli verbis intelligi potest 1. Thes. 3. *Nocte & die abundantiùs oro vt videam faciem vestram, & compleam ea, quæ desunt fidei vestræ.* Solitos autem Apostolos, quæ μυστικώτερα essent captumque discipulorum excederent, Episcopis committere & apud eos velut in tuto loco deponere, hæc Pauli verba apertè satis indicant. 1. Tim. 6. *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ.*

Consuetudo, seu ius non scriptū, optima iuris scripti interpres.

Apostoli nō acceperant mandatum scribendi leges.

Testati fuerūt, se nolle scripto ius totum Ecclesiæ comprehendere.

2.Tim.1. *Quæ audiuisti à me, hæc cõmenda fildeibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere* 2. Tim. 3. *Mali homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Tu verò permane in iis, quæ didicisti, & quæ credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* Eandem porrò Legis non scriptæ, quàm scriptæ auctoritatem esse, supra cap. 90. pag. 296. ex hoc 2.Thess.2. loco vici: *Non retinetis, quod cum essem vobiscum, hæc dicebam vobis? Itaq. state & tenete Traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.*

Legi non scriptæ æquè parere debemus ac scriptæ.

CAPVT. CXXXV.

Atque hinc etiam satis planum fit, quod Aristotelem supra dicentem audiuimus, maiorem auctoritatem inesse legibus iis, quę sine scripto moribus sunt receptæ, deque maioris momenti rebus eas agere, quàm quæ scriptæ sunt, id de reipub. nostræ legibus verissimum esse. Cùm enim vtriusque generis Leges, tàm depositæ apud Episcopos, quàm Propheticis & Apostolicis libris comprehensæ, sint vox Spiritus sancti, & parem à nobis fidem mereantur, nos tamen scripturam sacram pro verbo Dei nequaquam haberemus, nisi *verba signorum Dei* (de quibus eodem capite 90. disserui) ad fidem Ecclesiæ habendam, cùm scripturam illam Dei verbum esse testatur, nos impelleret. *Euangelio non crederem*, inquit S. Augustinus, *nisi Ecclesiæ me moueret auctoritas.* quippe quam spiritu veritatis præditam esse ex miraculosa & viribus humanis longè maiore conseruatione & propagatione colligam. Itaque tametsi res omnium maximæ in scripta Dei lege continentur, quia tamen plus in hoc est momenti vt ipsam scripturam Dei legem esse credamus (quod quidem nos sine Lege Dei tradita nequaquam faceremus) maiorem Traditi, quam scripti verbi diuini auctoritatem esse, eoque res grauiores contineri perspicuè apparet. neque tamen propterea Ecclesiæ siue hominibus plusquàm ipsi scripturæ vel Spiritui sancto credimus, quia Ecclesiæ auctoritate, vt scripturæ credamus, adduci nos fatemur. nam & multi Samaritanorum crediderunt Iesum esse Messiam propter verbum meretricis mulieris, quæ illum arcana sua sibi pronunciasse testata fuerat, Ioh. 4. quis autem inde cogere velit, plus eos mulieri, quàm ipsi Christo credidisse? Ita Iohannes venit, vt testimonium perhiberet de lumine, cumque Iesum intento digito testatus fuisset esse Christum, statim duo eius discipuli Iesum sunt secuti, Iohan.1. Et

Vtriusque Legis scriptæ & non scriptæ, comparatio.

Non est apud nos maior Ecclesiæ, quàm scripturæ auctoritas.

Christus Act.1.ad Apostolos: *Eritis* (inquit) *mihi testes in Ierusalem vsque ad vltimum terræ.* Quis ex eo efficiat, qui fide Iohanni & Apostolis habita Christum pro filio Dei receperunt, plus illis, quàm Christo credidisse? *Vos* (ait Christus Iudæis Iohan. 5.) *misistis ad Iohannem, & testimonium perhibuit veritati*, neque Messiam esse testatus est. *Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico vt vos salui sitis. Habeo testimonium maius Iohanne. Opera, quæ facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me.* quasi dicat: non indigeo quidem Iohannis testimonio, nihilominus si Iohanni crederitis de me testanti, salui fieretis. non quia Iohannes, velut homo, sic testatus fuit, sed quia Deus per miracula fidem testimonio Iohannis adiunxit. quæ miracula nisi vidissent Iudæi, non peccassent in eo, quod neque Christo, neque testi eius Iohanni crediderunt. sed quoniam viderant miracula, nullam eorum incredulitas excusationem inuenire potuit, quemadmodum ipse Christus *Ioh. 15.* apertissimè affirmat. Similiter Ecclesia de scriptura testatur, & nos Ecclesiæ testimonio credimus, non quia homines sint, qui sic testantur, neque quia scriptura hominum testimonio indigeat, sed quia Deus ipse miraculis suis Ecclesiæ testimonium confirmat, cuiusmodi opera miraculosa sunt, de quibus iam olim disputo, diuina nempe potentia, diuina sapientia & diuina charitas. Ex illis enim Ecclesiam, Dei ciuitatem esse perspicimus, ac ptopterea quas illa Dei leges esse dicit, à Deo latas esse credimus. *Diuina hæc ferè sunt testimonia* (ait Tullius in Topicis) *primum orationis siue Oraculorum, in quibus inest diuina oratio: deinde rerum in quibus insunt quasi opera diuina quædam.* Inter opera verò *Portentia* quoque numerat, siue miracula: quibus quoniam confirmatur Ecclesiæ doctrina, ei quia sentitur, non hominibus potiùs quàm ipsi Deo credere meritò censetur. Sicut qui numisma aureum vel argenteum, cùm id probum esse dubitat, spectori Monetali exhibet, eiusque testimonio fidem habet: sin autem eo consulto sibi nequaquam opus putet, suoque ipsius vtatur iudicio, temerariè facit facileque monetam improbam & à paracharacta adulteratam recipit, vel etiam lectam & probam aspernatur ac repudiat, non sine Principis, cuius imagine signata est, iniuria: similiter nos Marte nostro veros ac germanos Dei libros ab vlterinis ac subdititiis dignoscere nescientes Ecclesię auctoritatem tutò sequimur, temerariorum & plus satis arrogantiũ esse rati, sibi ipsis discretionis spiritũ adsciscere, quẽ Ecclesiæ tamẽ nõ relinquat. Itaq; nihil est homini eiusmodi ꝑiculosius quàm vt vel verè diuinos libros reiiciat, cũ atrocissima

trocissima S. sancti iniuria, vel ab iis, *q ambulant in astutia adulterantes*
verbum Dei (2.Cor.4.) & *siue per sermonē, siue per epistolā tanquam per A-*
postolos 2. Thes.2. aliis imponūt, in errorē inducatur. Nostra deniq; Ec-
clesiæ auctoritatē sequentiū, & Hæreticorum suo iudicio atq; sensui
indulgentiū quàm disper sit ratio, sic breuiter declarari potest. Hære-
tici hoc cū ipsi argumentantur, tum Gentiles & ex Christianis sim-
plicissimū quemq; carbonariū, argumētari volūt: *Hæc ciuitas guberna-*
tur secundū leges Dei, siue, *Leges Dei in hac ciuitate obseruantur & valēt:* si-
ue: *sacra scriptura rectè in ea traditur, dclaratur & creditur, rectēq; sacramēta*
administrātur. Ergò hæc est ciuitas Dei siue vera Ecclesia. Nos contra sic di-
sputamus, & tam à gentilib⁹, quàm ab idiotis & in doctis Christianis
disputandū censemus: *Hæc est ciuitas Dei, Ergò gubernatur secundum leges*
Dei: siue: *Hæc est Ecclesia. Ergò in ea rectè docetur ac creditur, rectēq; Sacramēta*
administrantur. Isaias enim disertim dicit, Gentiles ideò ad Ecclesiam
currere, non quod in ea ligē Dei esse perspexerint, sed ꝙ non perspe-
xerint, & perspicere, siue, discere ibi demum velint: *Fluent ad eā omnes*
Gentes, & dicent, venite & adscendamus ad Domū Dei Iacob, & docebit nos
vias suas, & ambulabimus in semitis eius quia de sion exibit lex & verbum
Domini de Ierusalē, id est, quæ sit lex Dei, ꝙ verbū Domini, id extra Ec-
clesiam nō scitur sed ab Ecclesia demū discitur. Ecclesiam verò gen-
tiles non ꝓpter *verbum Dei* (ꝙ adhuc nesciunt) sed propter *Opus Dei*
(ꝙ vident) Dei ciuitatē esse credunt. Eodē modo Gentiles esurientes
ac sitientes verbum Dei, sic ratiocinari dicimus: *Hæc est domus Dei. Er-*
gò panis vitæ ac veritatis ab *Oeconomis Dei in ea distribuitur.* Hæretici con-
tendūt sic eos ratiocinari debere: *In hac domo panis vitæ ac veritatis distri-*
buitur Ergò hæc est dom⁹ Dei. At enim nō est id Gentiliū inter Panē vitæ,
& Panē mēdacii discernere, cùm fraudulēti homines, q se dispensa-
tores mysteriorū Dei mētiūtur, ita fascinare homines soleant, vt co-
medere se somniēt cùm interea fame moriantur. Isa.32. *Fraudulēti vasa*
pessima sunt. ipse enim cogitationes cōcinnauit ad ꝑdendos mites in sermone mē-
dacij. Perficit simulationē seu ꝑfectè simulat, *vt vacuā faciat animā esuriētis.*
Isai.29. *Sicut somniat esuriēs & comedit, cùm. a. fuerit expergefact⁹, vacua est*
anima ei⁹: sic erit multitudo omniū Gentiū, quæ dimicāt cōtra mōtē sion. Prophe-
tas & Principes, earū, q vidēt visiones (siue, textū scripturę legūt & rectè
intelligere se putant) *operiet Domin⁹, & oculos eorū claudet. Peribit Sapien-*
tia à Sapientib. & intellectus prudentiū abscondetur. Quod si hoc sapientib.
ac prudentibus, q scripturas legunt, & intelligere videntur, vsuuenit,
vt se comedere somnient, quamuis fame enecentur: quomodo cete-
ris, qui nec legere sciunt atque adeò Gentilibus cautum erit, ne si-

Catholicorum & Hæreticorū dispar ratio.

Quid Hæreticos fidei suæ certos faciat.

Quid Catholicos.

militer deludantur? Ad eundem modum cùm Ecclesia sit Nauis Dei qua vectores ad æternæ salutis portum appelluntur, si Hæreticos audiant Gentiles, hanc habebunt rationem: *Hæc nauis tenet rectum cursum & ad portum incolumis perueniet. Ergò ista est nauis Dei:* Sed quemadmodum nos censemus, ita disputabunt: *Ista est nauis Dei: Ergò tenebit rectum cursum & incolumis Vectores suos in portu cœlesti saluos exponet.* Similiter cùm Ecclesia sit schola Christi, cuius summum Præceptorem de Cathedra semper visum auditumque iri Isai. 30. prædictum legimus, rectè Gentiles hoc modo argumentari putamus: *Ista est schola Dei: Ergò de Cathedra rectè erudiuntur discipuli ac propterea nos quoque in ea doceri volumus.* Sed ex Hæreticorum sententia sic verè rationabuntur: *Hic discipuli rectè docentur. Ergò ista est schola Dei.* Vnde autem Gentiles iudicium facere possunt doctrinæ? Cùm docere sit scripturam sacram, quemadmodum & Hæretici aiunt interpretari. Itaque si Turcarum Imperator aut Chinensium Monarcha huius scholæ discipuli siue Christiani fieri velint, priùs diuersas ac pugnantes sacrarum literarum interpretationes inter se component, & apud quos rem acu tactam verbaque scripturæ sine errore intellecta deprehenderint, ibi Christi scholam esse concludent. quod quanti furoris & insaniæ sit affirmare, neminem, qui non ipse insaniat ac sensu communi careat, perspicere existimo.

Altera comparatio Legis Dei scriptæ cum non scripta.

Lex Dei scripta magna ex parte periit.

Est tamen adhuc alia ratio, cur etiam in hac Dei ciuitate maior sit Legum moribus receptarum, quàm illarum, quas primi Legislatores nostri scriptis complexi sunt auctoritas: quia nimirum bene magna pars scriptæ Legis interiit, velut in parte adhuc superstite perscriptum legimus. Verbi gratia *Liber Enoch*, cuius in epistola Iudæ extat mentio. *Liber bellorum Domini*, Numer. 21. 14. *Liber Iustorum* Iosf. 10. 13. & 2. Reg. 1. 18. *Liber Samuelis de lege regni*, 1. Reg. 10. 25. *Libri Nathan Prophetæ & Gad Videntis*, 1. Par. 30. 29. *Libri Ahiæ Silonitis, & Visiones Addo Videntis*, 2. Par. 9. 29. *Tria millia Parabolarum & quinque millia carminum Salomonis*, 3. Reg. 4. 32. *Liber verborum dierum Salomonis* 3. Reg. 11. 41. *Liber Isaiæ de sermonibus Oziæ* 2. Par. 26. *Sermones Hozai*, 2. Par. 2. 33. 19. *Epistola Pauli ad Corinthios*, cuius 1. Cor. 5. ita meminit: *Scripsi vobis in Epistola* Vbi Caluinus, *Ista* inquit, *epistola hodie nō exstat. nec dubium, quin multæ aliæ exciderint. Sed satis est quod nobis supersunt, quas sufficere Dominus prouidit.* Oseæ 10. *Sicut vastatus est Salmana à domo eius qui vindicauit Baal in die prælij, matre super filios allisa.* In quorum verborum glossa sic Lutherus scribit: *Hæc historia nusquam alias in scri-*

pturis

pturis exstat, & similia multa euenerunt, quæ non sunt scripta, sicut illud quod Iudas habet in epistola de Michaele cum Satana pro corpore Moysis altercante. Potuisset addere de Magis Aegypti, quibus Ianni & Mambri nomina fuisse Paulus non ex iis, quæ hodie habemus, scriptis refert 2. Tim. 3. Quis nunc tam sit impius, qui tam multa scripta, ac nominatim XIV. illos, quos iam recitaui libros superuacuos & minùs, quàm adhuc superstites, nobis necessarios dicere audeat? Cur enim spiritus sanctus eos laudasset nobisq; ad legendos illos velut digitũ intendisset? Diuinitus quidem inspiratos fuisse nemo sine spiritus sancti contumelia negare potest. At enim *omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei*, siue Episcopus, *ad omne opus bonum instructus*, 2.Tim.3. Quod si tam fuerunt vtiles libri illi & nihilo tamen minùs perierunt, rectè inde efficimus, libros scripturæ quamuis in primis vtiles, non tamen omnino & absolutè esse necessarios, quia scilicet verbum Dei in Episcoporum & Sacerdotum ore positum numquam intereat 1. Pet. 1. *Verbum Domini manet in æternum. Hoc est autem verbum*, non vtique quod in prophetarum & Apostolorum libris vnquam perscriptum fuit (nam id magna ex parte iam interiit) sed *quod Euangelizatum est in vobis*. Nunquam enim promisit Deus verbum suum literis consignatum perpetuò mansurum, sed illud, quod velut bonum Depositum simul cum spiritu suo, verbi custode & interprete, in ore Christi, Apostolorum successorumque posuit 2. Tim. 1. *Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitat in nobis* Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus* seu Legatus. *Domini est*, Isai. 59. *Hoc est fœdus meum cum eis. spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui, neque ab ore seminis seminis tui amodo dicit Dominus, vsque in æternum.* Sed hac de re copiosè supra disserui, & hoc loco non cum Hæreticis disputare, sed cuiusmodi ciuitatis nostræ Eunomia sit, admirationis excitandæ causa Gentilibus exponere constitutum habeo.

Lex Dei scripta non est absolutè necessaria.

Lex Dei non scripta manet in æternum.

CAPVT CXXXVI.

ITaque tertio loco Leges rectè latè videri solent, si quod ad ius publicum pertinet, Magistratuum, maxime maiorum renunciatio

Tertia laus legum rectè latarum.

nem ita ordinauerint, vt penes eos sit τὸ πολίτευμα siue summa reipub. quos rebus præesse non tam ipsorum, quàm ciuium siue reipub. intersit. Tales ab Aristotele 5. *polit.* 9. describuntur, qui sint primùm studio & amore erga remp. præditi, vt statum reip. saluum velint (atque hoc Arist. cùm ibidem, tum aliis locis στοιχεῖον, elementum ac fundamentum reip. facit, plus posse in rep. eos, qui statum reip. manere cupiant) deinde vt habeant munerum & officiorum magistratus facultatem maximam, hoc est, vt optimè illa omnia didicerint, quæ ad maiorum magistratuum officium atque munus pertinent, quemadmodum Catonem Censorium Plutarchus narrat cùm magistratum quempiam petere imbibisset, studiosè priùs omne ius eius, partes atque officia perquirere & cognoscere solitum fuisse: postremò vt continentia sint præditi, qui animi impotentia non vincantur, neque ab eo, quod ex vsu reipub. esse intelligant, affectuum impetu transuersi agantur. nihil enim attinet ei ciues parere, qui ipse amori, iræ, odio, cupiditati, metui, voluptati seruiat. Legibus verò nostris Magistratus eiusmodi constitui, ignorare non potest qui sciat quæ in iis, quæ sacerdotes, multò autem magis qui Episcopi fieri volunt, maximè verò omnium, quos summo Pontificatui præfectos volumus, requirantur. Et quoniam penes Pontificem τὸ κύριον seu principatum ac regimen totius nostræ reipub. esse constat, ceteris in præsens omissis ea tantùm quæ in Pontificiis comitiis animaduersionem merentur summatim & ex parte tantùm complectar. nam omnia subtiliùs persequi vix peculiari volumine bene magno possum.

Si Magistratuum creationem rectè sanxerint. Tria Magistratus requisita. Qualis sit in Ecclesia Magistratuum creatio.

Primùm igitur omnium hoc nomine laudem Leges nostræ merentur, quod Pontificatum non hæreditariũ, sed optiuũ fecerũt, qui Electorum arbitrio ac suffragio mandari debeat. quàm creandorum Magistratuum rationem, cùm eius datur copia, longè ceteris Politici omnes præferunt. Deinde non potest se non magnopere intelligentibus probare, quæ in Electionis ipsius attributionibus, seu rebus circumstantibus prudentia apparet. Eligitur namq; in Pontificem, qui sit de Sacerdotum ordine, idemq; cælebs, & senex, & ex supremo reip. nostræ senatu multorumq; annorũ vsu perspectus ac probatus. Eligunt autem non milites, non populi fex, non promiscuè Laici aut Clerici, sed pauci ex optimatibus, quos virtute ac doctrina, reipup. quidẽ certè gerendæ scientia multum verisimile sit ceteris præstare. fit autem Electio in comitiis non nisi priore Pontifice rebus humanis exemplo haberi solitis, neque viuo etiamnum Pontifici subrogandi

Eunomia in creatione summi Pontificis.

ſucceſſoris datur poteſtas. Quia deniq; Ponticem omnibus nationib- præeſſe oportet, ex quauis eum natione eligere fas eſt. *Tros Rutulusue fuat, nullo diſcrimine habetur.* Ex quo tamen tempore Hiſpanica Monarchia feliciſſimis auſpiciis, nec maiore Hiſpanorum, quàm Eccleſiæ bono emerſit, & in Gallis, qui velut Mileſii πάλαι ἦσαν ἄλκιμοι, inuidiam commouit, ne ſi alter vtrius gentis Pontifex ſubrogaretur, factiones cum magno malo publico alerentur, vno Germano excepto (cuius tamen minimè fauſtũ fuit imperium) non niſi Itali ad Pontificatum ſuffragiis Electorum conſcenderunt. Præterquam enim quod Medii ſiue neutrales ſunt Itali, tum etiam ingeniis ad humanitatẽ & ad reip. rectionẽ egregiè temperatis pollent, & cupiditates ſuas omninoq; affectus omnes meliùs quàm ceteræ gentes frenare atq; in poteſtate habere ſolẽt: id quod omnes, qui cùm hiſtoriarum lectione, tùm variorũ populorum vſu peregrinationibus acquiſito, ingenia moreſq; hominum penitiùs cognouerũt, fateri ſcio, eaq; re ſubodioſam ceterorum cum Italis comparationẽ inſtituere nolo, ne mihi ſcilicet ii ſuccenſeant, qui vel Italiam nnnquam adierunt, vel vel in ea non niſi cum cauponibus, mulionibus, meretricibus, nautis, minus hiſtorionibus omninoq; cum iis, qui artificio ſiue humili, ſiue ludicro quæſtum faciunt, rationẽ & conſuetudinẽ habuere, velut pleroſq; omnes Hæreticos facere animaduerti, qui quemadmodum Milui ac vultures cadauera rancida tætrumque odorem afflantia perſequuntur, corpora verò viua ac ſana fugiunt, ſimiliter ipſi familiaritatem virorum virtute doctrinaque illuſtrium, cuius generis in quouis ordine complures habet Italia, auerſantur, quippè qui propter noſtræ Religionis odium Catholicos omnes quàm nequiſſimos eſſe deſiderent, ſi qui autem ſunt quos honeſtè integreque viuere parum iuuat (ſicut eorum hominum non tantum in Italia, ſed vbicumque gentium, copiam inuenire licet. nam vt ait Epicharmus:

Itali ad gerendum Pontificatum ceteris nationibus aptiores.

Hæretici in Italiam venientes quibuſcum ferè conuerſari ſoleant.

Οὐκ ἐστὶν οὐδεὶς ἀποδεδειγμένος τόπος,
ὅς ἢ πονηροὺς πάντας, ἢ χρηστοὺς ποιεῖ.
Non vllus vſquam definitus eſt locus,
Vbi probi omnes, omnes aut ſint improbi)

Iis applicare ſeſe Hæretici illi, & eorum familiaritate plurimum vti gaudent, ac poſt in patriam reuerſi, quos in Italia maximè probarant mores, eorum nomine ſine vlla ἀδιαφορίᾳ

Qqq 2 &

& indiſcriminatim Italiam vniuerſam in crimen inuidiamque rapere conſueuerunt.

CAPVT CXXXVII.

Quarta laus legum rectè latarum.
Deſcriptio iuris priuati.
Tria iuris priuati præcepta in Eccleſia
Fides.

QVartò Legum noſtrarum bonitas ex priuati iuris deſcriptione, quod ſcilicet ſingulorum præcipuè vtilitate ſpectat, perſpici facile poteſt, cùm eius & pauca & cognitu facilia ſint præcepta, neque quenquam omnium in fungendo munere effugere & in fraudem coniicere queant. Præcipiunt nempe Leges tria hæc, *Credere ſperare & diligere*, quæ ſunt Fidei, ſpei & charitatis actiones. Fidei capita, quæ omnes ex æquo ſcire, & euoluto aſſenſu expliciteque ſeu diſtinctè credere oportet, ſunt XII. articuli in Apoſtolorum Symbolo comprehenſi: ceterorum ſatis eſt inuoluta notitia ac fides implicita, hoc eſt, cetera à Legislatore noſtro ſpiritu ſancto partim in ſcripturis ſacris, partim per os Paſtorum, eius præcipuè, cuius fides non deficit, à quo ceteri in fide confirmantur, ſummi Pontificis, perpetuò loquente tradita ſeu tradenda credere paratum eſſe ſufficit, quamuis cuiuſmodi ea ſint, non æque habeatur cognitum.

Spes.

Spes eſt expectatio vitæ æternæ propter Chriſti meritum per Media ad id inſtituta, hoc eſt, per Sacramentorum vſum & per preces ad Deum & ſanctos cælites fuſas conſequendæ.

Charitas.

Charitas omnia ad Dei velut Patris noſtri gloriam, & ad ſalutem proximi pariter ac noſtram referre docet, tamquam qui nos fratres, & communi omnium patri Deo æque Charos eſſe credamus.

Charitas ſuperiorum erga ſubditos.

Itaq; ſuperiores, ſiue, qui præſunt, nihil ſuæ priuatæ, omnia publicę vtilitatis cauſa faciunt, quam ob rē Chriſtus Petrum toti ouili ſuo præfecturus, vtrum maiore, quàm ceteri charitate præditus eſſet, tertiùm rogare eum voluit, eiq; mortē, quam pro gregis ſalute ſuſcepturus eſſet, tamq̄ maximè charitatis opus prædixit.

Charitas inferiorum erga magiſtratus.

Inferiores autē, quod ſubditorū eſſe ex Ariſtotele ſupra cap. 87. pag. 290. docui, bonam de Magiſtratibus opinionē habēt neq; quin ii, quæ ad reipub. rationes pertinent, optimè perſpiciunt, ac prouideant, quicquam dubitant, aut vllis aduerſus eos ſuſpicionibus indulgent *Charitas patiens eſt, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt* (ſed quæ in commune ſunt vtilia) *non irritatur, non cogitat malum, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet,* 1. Corinth. 13. ac propterea *plenitudo*, ſiue, impletio *Legis*, Rom. 13. dicitur.

Excellentia legis Chriſti de charitate.

Neque cuiquam dubium eſſe poteſt, quin hoc præceptum. *Quæcumque vultis vt vobis faciant homines*

& vos

& vos facite illis. hæc enim est Lex & Prophetæ: longè maius conseruandæ reipub. momentum faciat, quàm illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* nam hoc iniustitiam tantùm prohibet, illud charitatem aliorum præcipit. Non autem in eo sita est reipub. salus, vt ne quis ab altero iniuria afficiatur, sed vt eo quisque in ceteros animo sit, quo erga se ceteros esse vellet. nam illud rempub. non dissoluit, hoc verò insuper etiam continet & conseruat. Ac propterea magis de amicitia, concordia & charitate inter ciues sancienda, quàm de Iustitia legumlatoribus curę esse solet, velut principio octaui Ethicorum Aristoteles scribit. *Si enim ciues sint amici* (inquit) siue, si mutuè se diligant, *iustitia opus non est* (nec enim quem quis diligit, iniuria affecerit) *sed etiamsi iusti fuerint, amicitia insuper indigent.*

Charitas longè plus reipub. prodest, quàm Iustitia

CAPVT CXXXVIIII.

SED quoniam nihil refert rectè atque ordine, & plus quam humana sapientia latas esse Leges, nisi eædem obseruentur, meliusque cum ea ciuitate agitur, quæ legibus deterioribus illis quidem, sed firmis & immutabilibus, quàm quę melioribus & irritis vtitur: vt in repub. nostra rectè legibus obtemperetur, non vno modo cautum esse ac prouisum apparet. Nam primùm neque priuata, neque publica παιδεία siue disciplina & institutio in ea deest, quæ hominum animos legum scientia, quantam omnibus necessariam esse paulò priùs dixi, imbuat, & ad earum obseruationem adsuefaciat. Nam & in Ecclesijs concionatores siue parochi, in scholis Magistri, quæ ad fidem, spem & charitatem pertinent, ex legum pręscripto inculcant, & in priuatis domibus liberi à parentibus iam |indè à prima pueritia eadem docetur, & quoniam διὰ τὴν συγγένειαν καὶ τὰς εὐεργεσίας *propter cognationem & beneficia* (ait Aristoteles) parentes amant & magnifaciunt, fit vt Reipublicę leges etiam propter horum auctoritatem & amorem tantò constantiùs in omnem vitam retineant. Quanti verò vtriusque generis παιδεία siue disciplina momenti sit, extremo libro decimo Ethic. Aristoteles multis docet, vbi negat homines affectibus laborantes, neque bona institutione ad virtutem imbutos & excultos, verbis moueri: vt autem rectè instituantur, legibus sancitum esse oportere docet. *In sola* (inquit) *Luca, dæmoniorum ciuitate, ac paucis alijs Legislatori curæ fuit educationis disciplinæque ratio. In plerisque hæc neglecta sunt omnia, in quibus pro sua quisque libidine vitam agit, Cyclopumque more vxorem liberosque*

Altera Eunomia pars, vt leges rectè obseruentur.

Publica & priuata institutio ac disciplina in Ecclesia.

Disciplina in rebuspub. necessitas.

libérosq́; regit eisq́; quæ facienda censet præscribit. Sed omniũ rerum nihil est melius ac præstantius, quàm si recta disciplina publicè sanciatur, q̃ omnes ex æquo sequi poßint. Quòd si neglecta fuerit publica illa educationis ratio, tùm suis quęq́; liberis & amicis ad virtutem adiumento esse par erit. Deinde quoniam, velut eodem loco docet Aristoteles, propter illos qui generosi non sunt, & voluptatis cupiditate incensi parere nolunt, pœnas & supplicia constituere oportet, vt tamq̃ iumenta malo coërceantur: institutum est à Christo tribunal cõscientiæ, ad q̃ singuli certo tempore accedere, & iudici hoc est Sacerdoti, quidquid cogitatiõe, verbo vel opere aduersus Fidei, spei aut charitatis legem admiserunt, exponere, quodq́; frustra Plato in Repub. sua optare visus est, ipsi accusatores sui agere, & pœnam Iudicis sententia decretam, siuè ieiunium sit, siue oratio, siue eleemosyna, siue cilicij vsus, siue peregrinatio ad loca sacra, seu quodcumque aliud pium ac religiosum opus, quod voluptati, quibus fuerint dediti, maximè repugnet, suscipere & præstare necesse habent. Vt autem hinc fraus & dolus absit, illa, quam dixi, educationis & disciplinæ ratio præstat. Docentur enim omnes iam inde à pueris, ingens esse piaculum, quicquam in exomologesi seu Confessione peccatorum scientem reticere, cùm iurarit Christus, nemini se peccata in cœlis remissurum, cui non Sacerdotes, priùs in terris remiserint: cumque domi quoque parentes filios instituant, & exemplo suo ad obeundam Confessionem assuefaciant, sincerè integreque præstant, quod alioquin factu prorsùs impossibile videri queat, vt homini scilicet Sacerdoti, perinde ac Deo ipsi, omnia pectoria sui arcana humillimè reuelent, eiusque censuræ se subijciant.

Tribunaliũ ac pœnarum in rebuspub. necessitas.

In Ecclesia est Tribunal conscientiæ.

Quale Plato in sua rep. frustrà optauit.

Pœnæ peccatorum, quas Sacerdotes infligunt.

Tertiò cùm, velut eodem ipso loco Platonem in Progora secutus Aristoteles docet, *eos qui à peruersa vita detorqueri nullo modo possunt, ex corpore Reipublicæ omninò exterminari oporteat*, quemadmodum & Plato 12. de Legibus, hominum eiusmodi solam mortem esse medicinam tradit: instituta sunt in Republica nostra Tribunalia publica, quorum alia quæ aduersus Fidem & spem peccantur, alia quæ contra charitatem delinquuntur, cognoscunt & castigant, de quibus quoniam supra *Cap.* 107. & sequentibus satis multa dixi, merito nunc sum breuior: tantùm Apostoli Pauli exemplo, cuius generis iudicia in Ecclesiæ tribunalibus publicis haberi soleant, attingam. 1. Tim. 5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Et 1. Corint. 5, repræhendit Corinthios, quòd eum, qui nouercam duxerat vxorem, de medio non sustulissent, & ipse sua

Tribunalia & iudicia publica Ecclesiæ.

Episcopalis audientia.

sententia

ſententia ſic incœſtuoſum condemnat: *Ego iam iudicaui in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Congregatis vobis & meo Spiritu tradere huiuſmodi hominē Satanæ in interitum carnis* (ſeu carnalis peccati aut luxuriæ) *vt Spiritus ſaluus ſit in iudicio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Expurgate vetus fermentum: auferte malum ex vobis ipſis, & cum huiuſmodi nec ſumite cibum.* Eidem inceſtuoſo, cùm acta pœnitentia Corinthij pœnam relaxandam, eumque ad communionem Eccleſiæ rursùs admittendum cenſuiſſent, Apoſtolus 2. Corinth. 2. ſic indulget: *Sufficit illi obiurgatio hæc. quæ facta eſt à pluribus: ita vt è contrario magis donetis & conſolemini, ne fortè abundantiori* ſeu nimia *triſtitia abſorbeatur. Cui autem aliquid donatis, & ego*, id eſt, ratam habebo abſolutionem, & indulgentiam, quam ei impertiti fueritis. *Act. 20.* cenſuram, ſiue Inquiſitionem in cauſa fidei, Epiſcopis hoc modo committit: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Ego ſcio quoniam intrabunt Lupi rapaces non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod Vigilate.* Attentio & Vigilia, cognitionem & ſententiam ſiue condemnationem ſignificat. De *cognitione* loquitur Chriſtus Matth. 7. *Attendite* vos Apoſtoli ſeu Paſtores *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos.* De *Condemnatione* ibidem: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Nimirum poſtquam eos veſtibus ouium, hoc eſt, profeſſione Chriſtianæ fidei, & ſcripturarum verbis tectos, Lupos ſiue Hæreticos eſſe cognouerint, amputant eos de communione fidelium, & in ignem mittunt, non modò æternum, *Diabolo & angulis eius paratum*, (quod Paulus vocat *tradere Satanæ* 1. Timot. 1.) ſed etiam in ignem huius ſeculi, quem præuaricatoribus fidei, qui cùm ſint Apoſtoli Satanæ, ſe Chriſti miniſtros fingunt, in Eccleſia noui Teſtamenti paratum fore vltima Dauidis prophetia 2. Reg. 23. ita prænunciauit: *Præuaricatores quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi, quæ non tolluntur manibus. Et ſiquis tangere* ſiue euellere *voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque ſuccenſæ comburētur ad nihilum.* Quo etiam pertinet locus Zahariæ 12. *In die illa ponam duces Iuda* ſiue Epiſcopos) *ſicut caminum ignis in lignis, & deuorabūt ad dextram & ad ſiniſtrā omnes populos in circuitu.* Hæretici nempe ſunt ligna infelicia, *arbores infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ*, (quemadmodum eos Iudas deſcribit) ac propterea rectè camino, ſiue iudicio Epiſcoporū comburuntur. De Condemnatione quoq;, ſiue ſententia qua

Pœna inceſtuoſo decreta.

Eadem relaxata.

Cenſura ſiue Tribunal Inquiſitionis Fidei.

Epiſcopi habeat Notionem.

Et poteſtatem condemnandi Hæreticos.

Ad pœnā ignis æterni.

Et temporalis.

Hæretici ſunt ligna infelicia Vulcano debita.

Epiſcopi

Episcopi velut Reges in causa maiestatis sunt simul pars & Iudices.

Episcopi, qui in iudicio præsunt, eos qui ipsis contradicunt, condemnant, est locus Isaię 54. supra capp. 22. & 23. excussus: *Omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis. Hæc est hereditas seruorum Domini & iustitia eorum apud me, dicit Dominus.* Et 1. Tim. 1. *Reliqui te Ephesi, vt denunciares* seu præciperes *quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis,* hoc est, ne aurem falsis Scripturæ interpretibus accommodarent. *Hymenæus & Alexander conscientiam repellentes, circa fidem naufragauerunt, & volentes esse legis doctores, conuersi sunt in vaniloquium, & valdè restiterunt verbis meis, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare,* siue, legitimis pastoribus contradicere. Tit. 4. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt.* (in descriptione iuris publici ac priuati, suppleas, &) *corrigas & constituas per ciuitates Presbyteros* siue Episcopos, *sicut & ego disposui tibi. Oportet Episcopum potentem esse, exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui* (falsò Scripturam interpretantes) *& seductores, qui vniuersas domos subuertunt docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia quos oportet redargui. Quam ob causam* tu velut Cretensium Episcopus *increpa, illos durè, vt sani sint in fide, nō intendentes Iudaicis fabulis & mandatis hominum auersantium se à veritate.* id est, illos quidem, qui multa fabulantur ac nugantur de cerimonijs Mosaicis retinendis, & scripturis ad institutum suum contortis earum necessitatem probant, neque veritatem ex Episcoporum ore discere volunt, illos igitur redargue, siue obiurga, ac trade Satanæ: reliquos autem indoctiores coërce, ne sermones se doctorum & impostorum istorum audire, nec libros cognoscere velint. Tit. 2. *Hæc loquere, & argue cum omni imperio,* hoc est, velut is, penes quem in repub. ista, siue Ecclesia Cretæ, τὸ πολίτευμα, τὸ κύριον, siue summum imperium, potestas summa tam cogendi, quàm dirigendi, ius vitę ac necis residet. 2. Cor. 10. *Ipse Paulus obsecro vos, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem* (nunc dum à vobis absum, non aliam ob causam, quàm) *ne præsens audeam per eam confidentiam, quæ existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia. Quæ secundum faciem sunt, videtis? Si quis confidit sibi Christi se esse: hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita & nos,*

Sibi contradicentes tradunt Satanæ.

Episcopus potestatē habet corrigendi leges & creandi Magistratus.

Et iudicandi perduelles.

Et coërcendi subditos.

Habet omne imperium siue summam potestatem.

Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam. Vt autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas (quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma & sermo contemptibilis) hoc cogitet, qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto. Id est, amanter & paternè vos rogo ita vos geratis, ne cùm ad vos venero, necesse habeam præsens eadem austeritate vos terrere, qua me Pseudapostoli per epistolas tantùm vti calumniantur, præsentem verò timidum ac humilem, vel potiùs vilem & abiectum esse dicunt, quasi ego scilicet prudentia carnis ad vestram beneuolentiam mihi adiungendam & conseruandam vti cogitem. in quo tamen plurimum falluntur. nam etsi homo sum, & in carne ambulo, non tamen armis siue instrumentis in fungendo Pastoris munere vtor, quæ carni & sanguini conueniunt, cuiusmodi est prudentia sęculi, simulare potissimùm & dissimulare, alteriusque voluntati se callidè accommodare, interdum etiam commendare suas ingenij, eloquentiæ, scientiæ, nobilitatis ac similes dotes, eoque pacto auctoritatem sibi conciliare solita. Ista omnia carnalia sunt arma siue instrumenta, quibus ego Dux in castris Dei non vtor. Mea verò arma sunt diuina, siue à Deo mihi tributa, adeoque plusquam humana efficacia roboreque prædita, quibus possum destruere falsas opiniones, multis Scripturę locis perperam intellectis munitas, & dissipare consilia eorum, qui meum iugum à se proijcere conantur, cogere etiam superbos & alta sapientes, vt scientiam Dei ex meis labijs requirant, itaque, vt ego doceo, verba Scripturæ intelligant: quod si verò inobedientes maneant meque blasphemare ac detrahere de me non desinant, possum eos quandocunque velim vlcisci, & Satanæ tradere, vt discant non blasphemare. Possem sine vanitate gloriari, me adhuc maiorem potestatem à Christo accepisse (si quidem ex ijs, quæ secundum faciem sunt, & carnales hominum oculos percellunt, iudicium facere vultis, cuiusmodi sunt esse eloquentem, nobilem, grauem in oratione, professione quoque Christianum, & imperio Pręlatum, Episcopum, atque adeò etiam Apostolum. nam hæc omnia sunt externa bona, ex quibus nequaquam hominem ęstimari oportet, sicut iam vobis priore epistola cap. 9. scripsi. Tamen quoniam vos soletis exteriora ista, multam speciem ac velut dignitatē habentia intueri, scire debetis, me ne istarū quidem rerum vllam Pseudoapostolis meis reprehensoribus cōcedere, ac plus etiam, quàm

Episcopi non vti debent carnis prudentia.

Cùm instructi sint diuinis armis.

Potestate nempe Spirituali.

Et sæculari.

quàm ipsi, vel secundum carnem gloriari possum, 2. Cor. 11, 18. & quidem gloriari possum me potestatem à Christo accepisse non modò tradendi Satanæ siue excommunicandi eos, qui mihi inobedientes sunt & contradicunt, sed etiam sæcularem gladium in vindictam aduersus eos stringendi. Sed ego neque hac corporali, neq; illa spirituali cæde adhuc afficere eos volui, quia nondum completa est vestra obedientia, siue quia eratis adhuc imbecilles & paruuli in fide, facileque scandalum accepissetis. Vobis ergò imperfectioribus parcens, illis simul peperci. atque hæc causa est, cur *in infirmitate & timore & tremore multo apud vos fuerim*, *non in sublimitate sermonis aut sapientiæ* (1. Corint. 2.) neque duriùs vos tractarim, & *cùm possem vobis oneri esse, vt Christi Apostoli, factus sum lenis in medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos, neque gratis manducaui panem alicuius, sed in labore & in fatigatione nocte & die operans ne quem vestrum grauarē. non quasi non habuerim potestatē, sed partim vt me darem vobis formam ad imitandum me, partim ne quod offendiculū dem Euangelio ac plures lucrifaciam,* (1. Corin. 9 & 1. Thes. 2. & 2. Thes. 3.) Sed quod ego sic vestri amore feci, id Pseudapostoli & inflati quidam sic interpretantur, quasi vel potestatem tantam super vos non habeam, vel propter μικροψυχίαν siue infractionem & abiectionem animi ea vti præsens non audeam. Ipsi enim *in seruitutem vos redigunt*, siue insultant vobis, *deuorant vos, accipiunt, extolluntur* vos contemnendo & *in faciem vos cædunt*: sed quoniam *ego me ipsum humiliaui*, siue humiliter me gessi, *vt vos exaltemini, & gratis Euangelium vobis annunciaui, cumque egerem, nulli vestrum onerosus fui* (2. Cor. 11, 7. & 20,) propterea me absentem contemnunt. *Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem citò & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem quid vultis? in Virga veniam ad vos, an in charitate & Spiritu mansuetudinis?* 1. Corint. 4. *Timeo ne forte cum venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis*, 2. Corint. 12. *Ecce tertiò venio ad vos. Prædixi & prædico, quoniam si venero iterum, non parcam. Ideo absens hæc scribo, vt non præsens duriùs agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in destructionem*, 2. Corint. 13. Sic igitur planum fit, Episcopos potestatem habere duriùs agendi cum inflatis & refractariis, cùm id ædificatio Ecclesiæ, siue vtilitas Reipub. nostræ, requirit. quod autem ea potestas non in ligando tantùm & soluendo, hoc est, in peccatis retinendis & dimittendis consistat, sed etiam corpora fortunasque hominum complectatur, copiosè priore parabola demonstratum est.

Paulus non voluit vti omni sua potestate.

Etiamsi potestatem maximā haberet.

Itaq; alij calumniandi occasionē inde sumpserunt.

Eos minis terret.

Episcopi potestatē haent duriùs subditos tractandi.

tametsi

tametſi etiam hæc ipſa Pauli diſputatio non obſcurè ſignificat, potuiſſe eum grauare ſiue onerare Corinthios aliosque, quibus Chriſtum prædicabat, eisque ſolutionem decimarum ſiue alimentorum indicere. Sed quoniam plus ædificatum eos iri iudicauit, ſi poteſtate illa non vteretur, pepercit eis, ac de iure ſuo deceſſit. Sic 1. Corint. 6. præſcribit eis inſtitutionem forenſium tribunalium, vetatq; Chriſtianos coram Ethnicis iudicibus diſceptare: quę res maximè ſecularis eſt & ad Principis Reipub. officium pertinet. Cur autem Eccleſiæ Prælati in principio ſeculari ſua poteſtate minùs vſi fuerint, rationem ſupra *Cap* 44. reddidi, non quia poteſtatem ſcilicet non habuerint, ſed ne quod Euangelio darent offendiculum. Poſteriùs verò ſimul ac plurium populorum completa fuit obedientia, & vſus gladij ſecularis plus ad ædificationem, quàm ad deſtructionem accõmodatus eſſe cœpit, nulla fuit ratio, Eccleſiam eius poteſtatis vſum diutiùs abiudicare ac reijcere.

Et grauandi eos quantũ ad corpora & ad externa bona.
Ea poteſtate vtuntur ad ædificationem,

CAPVT CXXXIX.

ATQVE iſta ſunt Eunomię ſpecimina, quę ex Gentilibus ij, qui ciuilis ſapientię myſteria perſpecta habent, in Rep. noſtra admirari poſſunt. Cæteris, qui quæ ſecundum faciem ſunt, vident & ex euentu de conſilijs iudicare ſolent, varij noſtrarum Legum effectus perſuadere poſſunt, vt ſine diuina quadam prudentia hæc talia geri non poſſe credant. Eorum effectuum duos hoc loco commemorare, ſatis fuerit: quorum prior eſt, quod Eunomia noſtra omnibus totius orbis gentibus ac populis ſit accõmodata, quod quam ſit incredibile & politicorum iudicio impoſſibile, neminem paulò humaniorem præterit. Ingens enim eſt ingeniorum pro natura cœli ſolique varietas, atque in vna eadem prouincia diuerſæ imperiorum formę reperiuntur. *Germani & Scythæ* (ait Seneca) *omnes denique feritate liberæ gentes, leonum luporumquè ritu, vt ſeruire non poſſunt, ita nec imperare. non enim humani vim ingenij, ſed feri & intractabilis habent. nemo autem regere poteſt, niſi qui & regi. Ferè itaque imperia penes eos fuere populos, qui mitiore cælo vtuntur. In frigora ſeptemtrionemquè vergentibus immanſueta ingenia ſunt, ſuoquè ſimillima cælo.* Aſiaticos autem Ageſilaus in libertate malos, ſi ſeruirent, bonos eſſe aiebat. Ariſtoteles ſimiliter 7. Polit. 7. *Quæ gentes* (inquit) *in locis frigidis, quæque in Europa habitant, animi quidem & ardoris plenæ ſunt,* ingenio

Aliud ſpecimẽ prudentiæ Politicæ in Eccleſiæ.
Vis & Effectus legum noſtræ Reipub.
Noſtræ Leges omnibus toto orbe populis ſunt accommodatæ.
Cum tamen ingens ſit morum & ingeniorum diſſimilitudo.
Europæi libertatis retinentes.

ingenio verò & arte minus instructæ. quocirca libertatem quidem magis retinere solent, Respub. verò suas minus bene administrare, nec finitimis imperare possunt. quæ autem Asiam incolunt, mente sunt illæ quidem in cogitando, & in artibus inueniendis solertes & ingeniosæ, sed nullius animi. quocirca perpetuò parent ac seruiunt, id est, sub regum imperio viuunt, & Respublicas nullas habent. Quin etiam ipsos Græciæ populos plurimum ingenijs ac moribus inter se discrepare, & alios quidem sapientia & ingenio, alios animo & fortitudine, alios vtraque re pariter excellere testatur. Iam verò non omnia ingenia neque loca omnia eandem Reipub. formam admittunt: & Leges pro administrandæ Reipublicæ rationibus ferri debent, quæ quoniam varię sunt (plura enim Oligarchiæ, plura Democratiæ, similiterque reliquarum formarum genera Aristoteles enumerat) magnam hinc legum varietatem existere oportet. Admirabilitatem itaque maximam habent Ecclesiæ leges, quibus ex æquo omnes nationes totius orbis vti non modò possunt, sed etiam solent. quocumque enim quis deueniat, vbi Catholici inueniuntur, etiam apud Antipodas, ijsdem eos Fidei, spei & charitatis legibus, quibus nos Europęi, teneri atque eiusdem summi Pontificis ditionem atque imperium agnoscere, neque idem alibi iustum, alibi iniustum seu peccatum putari deprehendit.

Asiatici serui les.

Non vbiuis eadem Reip. forma locum habet.

Et diuersis reip. formis diuersæ leges conueniunt.

Mirabiles ergo sunt Ecclesiæ Leges.

Quæ omnibus totius Orbis populis conueniunt.

Alter Eunomiæ nostræ effectus est, quod tot iam sęculis inuicta perstiterit, neque vlla siue intestina & domestica, siue externa & aduentitia causa, hoc est, neque Tyrannorum & Hæreticorum vi ac dolo, neq; ipsorummet Episcoporum & Pontificum epicurismo labefactari, multò autem minus subuerti potuerit. quod quidem cùm vel in alterutro causę genere satis ad Rempublicam pessumdandam momenti fuerit, diuina quadam prouisione cautum videatur necesse est. Cùm autem Eunomia tam Reipubl. quam legum descriptionem, hoc est, tam publicum, quàm priuatum ius contineat, facile nobis est de vtriusque stabilitate ac perpetua duratione etiam inimicorum nostrorum testimonio Gentilibus fidem facere. Ac de priuato quidem iure nostro, hoc est, de Fide, spe & charitate, omnes vel primi post Apostolorum ætatem sęculi Doctores eandem, quam nos hodie Catholicos, sententiam habuisse, siue vt politicè loquar, ijsdē quibus nos legibus vsos esse, satis supra capite sexto ipsius Lutheri, wigandi ac Magdeburgensium confessione docui. Quod ad ius publicum & descriptionem ordinis, siue ad magistratus & imperia pertinet, quomodo magistratus distributi sint, & quid sit

Alius Eunomiæ Christianæ effectus, perpetuitas seu duratio.

Iuris nostri priuati duratio.

Iuris publici duratio.

sit id, quod in reipub. nostræ administrarione τὸ κύριον seu summam potestatem obtineat (sic enim Aristoteles 4.pol.1.ius publicum describit) eandem antiquitùs Pontificis & Episcoporum, præsertim in Concilio congregatorum, quàm nostris temporibus, potestatem & auctoritatem fuisse, vel hoc Lutheri testimonium fidem fecerit, quod in Postill. witt.dominic.8. post Trin.fol.114.6.§.3.legitur: *Hoc loco tam multi sancti patres, Gregorius, Augustinus, aliique plures errarunt quod nobis hoc ius* (de doctoribus iudicandi & sententiam ferendi) *ademerunt* (*maturè enim hæc cœpit miseria & calamitas*) *nosque Papæ & Concilijs credere iusserunt.* Etiam Tertallianus in libro aduersus Praxeam (quem scripsit iam montanista & Romanis infensus) de Romano Episcopo scribit, eum *datis ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ literis pacem intulisse*, siue, præcepisse vt cum Montano communicarent & postquam ei Praxeas, quid hominis esset Montanus, detexerit, ac priorum Romanorum Episcoporum aduersus Montanistas decreta in memoriam reduxerit, *easdem literas reuocasse*: ex quo loco quanta Episcopi Romani in Asia potestas fuerit, cognosci potest. In Africa non minorem eam fuisse, hæc eiusdem Tertuliani verba in Apologetico declarant: *si Italiæ adiaces, habes Romam: vnde* NOBIS (Africanis) *quoque* AVCTORITAS *præsto est. statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Habitum verò illa ætate Romanum Episcopum pro Petri successore, Petrum verò pro totius Ecclesiæ fundamento, hæc eiusdem Apologetici verba testantur: *An latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum, claues regni cœlorum consecutum, & soluendi & alligandi in cœlis & in terris potestatem? Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum & in Episcopatum constitutum exhibet.* Etiam Magdeburgensium testimonio supra cap. 30.pag.102.docui, *Petrum à Tertuliano, Origene & S.Cypriano pro Apostolorum Principe & Ecclesiæ fundamento, Ecclesiamq; Romanam pro matrice & radice Catholicæ Ecclesiæ, siue, pro principali Ecclesia habitam fuisse*: tametsi Tettullianus in eodem illo pudicitiæ libro, quem Magdeburgenses citant, quod iam Hæreticus esset & ex professo contra Episcopum Romanum scriberet, ita soli Petro claues, siue summam potestatem traditam contendit, vt eam nihil ad successorem pertinere dicat. *Audio* (inquit) *Edictum esse propositum Romæ, & quidem peremptorium Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & Mæchiæ & fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto.* Putabat nempe Tertullianus iam Montanista, eos, qui post Babtismum in mæchiam aut fornicatio-

Luherus fatetur potestatem summam Papæ & conciliorum durasse ad 1300 annos.

Tertulliani Montanistæ de potestate Papæ testimoniū.

Auctoritas Papæ Romani in Asia ante 1400 annos.

Itemque in Africa.

Papa Rom. ante 1400, annos habitus pro Petri seccessore & totius Ecclesiæ capite.

Tertullianus Montanista quomodo contra Papam R. disputet.

fornicationem lapsi essent, qnamuis pœnitentiam egissent, ad communionem tamen Ecclesiæ admittendos non esse: & quoniam Catholici pœnitentibus communem non negabant, eos *Psychicos* siue animales, sicut Montanistas suos, *Spiritales* vocabat, illo etiam Romani Episcopi Edicto, quo pœnitentibus venia offerebatur, Christianismum perimi funditusque tolli criminabatur. Eiusdem libri cap. 21. cùm negasset alia potestate, quàm extraordinaria siue miraculosa, peccatum fornicationis dimitti posse, sic Episcopum Romanum prouocat: *Exhibe & nunc mihi, Apostolice, Prophetica exempla* (id est, fac aliquid simile Prophetis, & solo verbo alios exceca, alios occide) *& agnoscam Diuinitatem* (fatebor te habere extraordinariam potestatem, qua etiam fornicationis peccatum possis remittere) *& vindica tibi delictorum eiusmodi remittendorum potestatem. quod si disciplinæ solius officia sortitus es, nec imperio præsides, sed ministerio, quis aut quantus es indulgere? Qui neque Prophetam nec Apostolum exhibens* (non faciens miracula quæ Prophetæ & Apostoli) *cares ea virtute, cuius est indulgere*, extraordinaria scilicet. *Sed habet, inquis, Ecclesia potestatem delicta donandi? Quæro igitur vnde hoc ius Ecclesiæ vsurpes* (id est, si Ecclesiæ potestatem dimittendi peccata tributam dicis, vnde tu Romanorum Episcope eam accepisti?) *Si quia dixerit Petro Dominus, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dedi claues regni cœlestis: Vel, Quæcunque alligaueris & solueris in terra, erunt alligata vel soluta in cœlis, iccirco præsumis etiam ad Te* (successorem Petri) *deriuasse soluendi & alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam*, siue, ad totam Ecclesiam Romanam á Petro fundatam: *qualis es euertens atque commutans manifestam Domini Intentionem personaliter hoc Petro conferentem: Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam*, Et: *Dabo Tibi claues, non Ecclesiæ.* Et: *quæcunque solueris, vel alligaueris, non quæ soluerint vel alligauerint?*

Tertullianus Papam vocat Apostolicum. Fatetur eum summam in Ecclesia potestatem exercere

Quia se Petri Personam sustinere putet.

Sed errare eum putat in vindicando sibi ea quæ personalia fuissent.

Sic Ergo testatum habemus, quæ ante hos 1400. annos Catholicæ Ecclesiæ, quæque Montanistarum paucorum de Romani Pontificis potestate sententia fuerit. Vtrique fatebantur eum Petri successorem ac disciplinæ officia sortitum esse. Sed Catholici non tantùm *ministerio*, sed & *imperio* præsidere eum credebant, ad quem omnis potestas, Petro data, deriuasset. Montanistæ contrà,

contrà, quæ Petro dediſſet Chriſtus, perſonale priuilegium eſſe, neque ad ſucceſſorem eius aut Eccleſiam Romanam pertinere pugnabant.

Audiamus iam quid Nicephorus, homo Græcus & ab Eccleſiæ Romanæ cum fide, tum communione alienus, in Conſtantinopolitanæ bibliothecæ monumentis de ampliſſima Romani Pontificis poteſtate antiquitùs vſurpari ſolita inueniſſe ſe fateatur. Libri noni capite quinto poſtquam de Arianorum Synodo Antiochiæ coacta conditoque Fidei Symbolo & Athanaſio aliiſque Catholicis Epiſcopis condemnatis ac proſcriptis narrauit, ac extremum iſta attexit: Sed neque Romanus Epiſcopus Iulius vel per ſe ipſum, vel per quempiam, qui locum eius obtineret, Synodo ei interfuit, cùm quidem Eccleſiaſtico Canone (*in concilio puta Nicano*) Sancitum ſit, non oportere Eccleſias citra Romani Epiſcopi ſententiam in Synodis quicquam ſtatuere] Eiuſdem libri capite octauo ſic ſcribit: Cùm Athanaſius aliique Orthodoxi Orientis Epiſcopi ab Arianis extorres facti Romam confugiſſent, Iulius eorum CAVSA COGNITA, communione eos eſt dignatus. Pro amplitudine autem ſedis ſuæ ex VETERI priuilegio & prærogatiua perſuaſum habens, omnium VBIQVE Epiſcoporum curam & iudicium ad ſe pertinere datis, cuique liberrimè ſcriptis literis, ſuas eis Eccleſias reddidit, eoſque in Orientem remiſit, qui & Eccleſias ſuas receperunt. Præcepit etiam vt quidam ex Epiſcopis, qui hos condemnarant, ad diem conſtitutum Romæ præſto eſſent, qui condemnationis ſententiam in Synodo Antiochena rectè latam probarent. Sin minùs, addidit minas, niſi à rebus nouandis deſiſterent, ſe ab eis ſacras exacturum pœnas.] Et capite XII. Occidentales Epiſcopos in Concilio Sardicenſi Orientalibus reſpondiſſe narrat, numquam ſe Athanaſii & reliquorum ab Antiocheno Concilio damnatorum Epiſcoporum communionem deuitaſſe, neque porrò etiam vitaturos eſſe, cùm Iulius Epiſcopus Romanus CAVSA eorum COGNITA iniquè eos inſidiis circumuentos eſſe iudicarit.]

Nicephori de ſumma Papæ R. poteſtatis vetuſtate teſtimonia.

Papa ſuper Concilium.

Ad eum à Concilio appellatur

Eius ſententia in Oriente obeditur.

Epiſcopos Orientis ad ſuũ tribunal citat.

Libri etiam XII. capite XVII. Damaſi Papæ Romani ad orientales Epiſcopos epiſtolam recitat, in qua ſunt & iſta: Quod

Quod Apostolicæ sedi charitas vestra debitam exhibet obseruantiam, vobis ipsis plurimùm & maximè Ecclesiæ sanctæ eo honore tribuitis, filii reuerendissimi. In qua confidens sanctus Apostolus docuit, quomodo nos quæ suscepimus gubernacula, regere conueniat.]

Omnes Episcopos vocat suos filios.

Orientis Imperatorem excōmunicat.

Libri autem XIII. capite XXXIV. refert Epistolam Innocentii Papæ ad Arcadium Imperatorem Orientis scriptam, in qua est: Ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reiicio te & Imperatricem à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi. Episcopum etiam omnem aut Clericum, qui exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes VINCVLI mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno.

CAPVT CXI.

Breuis & summaria de Notis Ecclesiæ repetitio.

Atque hoc modo compendiosè quidem, efficaciter nihilominus & perspicuè demonstraui, quid sit illud, cuius causa Gentiles Christiani fieri, & in ciuitatem Dei recipi cupiant, diuinitas scilicet charitatis, sapientiæ & potentiæ quæ sic in ea lucet, vt radios suos vel in remotissima quæque loca effundat, & ab iis, qui longè sunt atque in caligine errorum, siue in paganismo & infidelitate sedent, perspici queat. Videntes nempe Gentiles maiorem humana prudentiam in forma nostræ Reipub. inque legum eius descriptione, maiorem quoque amorem in nostris Sacerdotibus, martyrio pro finibus reipub. proferendis, aliisque sub eius ditionem redigendis, tam prompto animo se offerentibus maiorem denique potestatem, siue in patrandis iis, quæ naturæ vires multum superant, siue in vincendis carnis cupiditatibus, diaboli suggestionibus, & mundo, hoc est, peccatorum occasionibus & illecebris, siue in subigendo animo, vt omnia relinquat, seque nutui & ditioni alterius totum subiiciat, peccata sua omnia alteri, veluti ipsi Deo aperiat, eiusque arbitratu atque modo ipse à sese pœnas exigat: hæc igitur atque alia videntes Gentiles quadam religionis suspicione percutiuntur, & lucem istam adorant, atque ex ingenti interuallo reptabundi sequuntur. Isai. 9.

Populus in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem & magnificasti lætitiam (id est, amplitudo Ecclesiæ & felicitas exterior mouit Gentiles, vt ad eam, velut ad Dei ciuitatem, contenderent, siquidem inde coniecturam duxerunt, Dei esse Ciuitatem, cuius tam prodigiosa sit multiplicatio & successuum prosperitas) *Iugum enim oneris eius* (Gentis tuæ siue Ecclesiæ) *& virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti seu confregisti* (id est, quia Romanum Imperium Ecclesiæ subiecisti, eam à persecutionibus Imperatorum liberasti. Isaiæ 52. *Quam pulcri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis ad Sion: Regnabit Deus tuus*, siue, vt est in Chaldæo: *Reuelatum est regnum Dei tui. Vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem*, (siue, vt est in 70. *Vox speculatorum tuorum exaltata est supra Petram*) *simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dominus Sion* è captiuitate sua. *Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem. Parauit Dominus brachium suum in oculis omnium gentium, & viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.*] Annuncians super montes est Petrus velut ipse in Concilio Actorum XV. fidem facit. Hic promulgat regni Ius, quod Christus morte sua emit. non autem ipse tantùm per se prædicat, sed & per speculatores, siue Episcopos & Sacerdotes, *supra Petram exaltatos*, hoc est, cum Romana Ecclesia communicantes, siue mandatum à Petra habentes. Romana namque Ecclesiæ *Fides annunciatur in vniuerso mundo*. Rom. 1. nempe ab iis qui in Petra in vertice montium habitant, siue qui membra sunt Ecclesiæ Romanæ Isaiæ 42. *Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt: ponent Domino gloriam & laudem eius in insulis nunciabunt.* Atque isti pedes annunciantis super montes siue in vertice montium, etiam Isaiæ XXVI. describuntur: *Incurabit Dominus habitantes in excelso* (Hebraice. *Marom* siue Romæ, velut supra cap. LIII. docui) *Ciuitatem illam sublimem humiliabit, conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* Cùm igitur hic super montes annuncians, cuius pedes Romam. Ciuitatem sublimem conculcant, voce speculatorum omnibus gentibus & Insulis promulgauerit Regnum Christi, & pacem ac salutem prædicarit, credent

Gentiles quid in Ecclesia admirabile viderant.

Felicitas Ecclesia oculo ad oculum videri potest.

eius prædicationi omnes populi, viſa diuina potentia permoti. Oculo enim ad oculum videbunt liberationem Eccleſiæ à Tyrannide Romanorum Cæſarum. idque opus omnipotentiæ diuinæ eſſe inteligent. Pſal. 129. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, repletum eſt gaudio os noſtrum. Tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cũ eis:* Iſai. 49. *Sciet omnis caro, q̃a ego Dominus ſaluans te, & redẽptor tuus fortis Iacob* Iſaiæ 55. *Ecce gentes, quæ te non nouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum & ſanctum Iſrael, quia glorificauit te.* Vbi enim gloria Domini eſt, ibi Dominum ipſum eſſe rectè colligunt. Pſal. 101. *Timebunt Gentes nomen tuũ Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuã. Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua*, Mich. 7. *Secundum dies egreſsionis tuæ de terra Aegypti oſtendam ei mirabilia* (id eſt, Eccleſiam tam miraculosè à ſeruitute Romani Imperii liberabo, quàm olim Iudæos à tyrannide Pharaonis) *videbunt Gentes & confundentur ſuper omni fortitudine ſua* (pudebit eos ſuarum virium, ſi cum potentia diuina, quæ in Eccleſia lucet, comparentur) *ponent manum ſuper os* (obmuteſcent præ ſtupore. Iſaiæ 53. ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum) *aures eorum ſurdæ erunt* (præ ſtupore, quia toti reddentur attoniti) *Lingent puluerem ſicut ſerpens velut reptilia terræ proturbabuntur de ædibus ſuis* (humiliabuntur coram Eccleſia, & ad eam adrepent. *Matth.* 3. Progenies viperarum quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?) *Dominum Deum veſtrum deſiderabunt & timebunt te.* Iſaiæ 60. *Tenebræ operient terram & caligo populos, ſuper te autem,* ô Eccleſia, *orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Iſaiæ 66. *Mittam ex eis qui ſaluati fuerint, ad omnes Gentes, ad Inſulas longe ad eos, qui non audierunt de me. & non viderunt gloriam meam: & annuciabunt Gloriam meam Gentibus & venient omnes Gentes & lingua & videbunt Gloriam meam.* Cùm duplex ſit Dei Gloria in Eccleſia alia ab intus, alia expoſita & inſtar frontis, quam oſtendit etiam tranſeuntibus (Pſal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, circundata varietate*) Gentiles varietate illa Gloriæ foris conſpecta, diuinius quid intus eſſe rati, ad eam propiùs contuendam excitantur. Ita Apoſtolus 1. Petri 3. *Mulieres* iubet *viris eſſe ſubditas: vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucri fiant, Conſiderantes in timore ſanctam conuerſationem mulierum.* Verbum ſcilicet Dei credibile redditur per illa, quæ ex-

Gentiles Gloriam Dei in Eccleſia vident & timent.

Gloria Eccleſiæ duplex.

Gentiles non verbo Dei ſed opere Dei, vita nempe ſanctitate à Catholicis conuertuntur.

teriùs apparent & ante oculos sunt exposita. Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* quibus rebus? *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum*, siue, quemadmodum Lutherus interpretatur, *sanctitas exornat domum tuam perpetuò.* quibus verbis duo Ecclesiæ signa, siue notæ, continentur. priùs, sanctitas in conuersatione: deinde, perpetuitas siue duratio, quæ diuinæ potentiæ opus est. Itaque paulo priùs dictum fuerat: *Indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: parata sedes sua ex tunc: à sæculo tu es.* Siue, quemadmodum supra *capite* 124. ex Luthero reddebam: Etenim Regnum inchoauit quàm latè Orbis patet, itaque illud instituit, vt perpetuo duret. Ab eo tempore sedes tua permanet stabilis: æternus tu es. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam: eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris. Sed mirabilis in altis Dominus.* Aquæ multæ sunt populi multi. Apocalip. 17. hi partim vocibus, partim fluctibus suis, id est, alii Hæresi, alii vi armorum & persecutionibus eleuati, & cum moti sunt aduersus domum Dei, vteam absorberent, & auerterent *Venerunt flumina & flauerunt venti* (qui sunt Hæreses Ephes. 4. Ne circumferamur omni vento doctrinæ) *& irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat supra Petram*, Matth. 7. Ac propter hanc firmitatem immobilitatemque sanctitatis decore iunctam, *testimonia* Christi *credibilia facta sunt nimis*: quemadmodum & Psalmo 67. docuit. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Quomodo? *Deus israel ipse dabit Virtutem & fortitudinem plebi suæ. Dissipabit Gentes quæ bella volunt*, siue, quæ Ecclesiam oppugnant. *Venient legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius Deo. Regna terræ cantabunt Deo.*

Quid Doctrinā Ecclesiæ faciat credibilem.

Itaque Gentibus, quæ nihil de Deo audiuerunt, siue, quæ nondum quicquam sciunt de verbo Dei aut sacra scriptura, *Gloriam Dei annunciare* (Isai. 66.) siue, opus Domini mirabile intuendum offerre debemus, quemadmodum Christum *Luc.* 7. vt se Messiam promissum esse probaret, non verbum Dei, siue aliquem scripturæ locum, sed opus Dei Iohannis discipulis exhibuisse legimus: *Euntes renunciate Iohanni, quæ audistis & vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c.*

Iſaiæ. 33. Audite, qui longè eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini *fortitudinem meam. Reſpicite Sion Ciuitatem ſolennitatis noſtræ: oculi veſtri videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequacquam transferri poterit.* Nimirum *à Deo factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris* (Pſalm. 117.) Quod Eccleſia etiam externis bonis ſic glorificata eſt (Agg 2. *Meum eſt aurum, meum eſt argentum, & implebo domum iſtam gloria* Iſai. 60. *Adducam filios tuos de longè: argentum eorum & aurum eorum cum eis: & domum maieſtatis meæ glorificabo* (mirabile etiam illud atque à Domino factum, quod hoc Dei tabernaculum nulla vi transferri aut loco moueri poteſt, quamuis omnes gentes certatim illuc omnes vires ſuas conferant. Pſalm. 45. *Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ.* Hinc enim intelligetis quoniam *Dominus virtutum nobiſcum, quoniam ſuſceptor noſter ſit Deus Iacob.* Quam verò opere ipſo impleta fuerint quæ tot iſtis vaticiniis, quorum ſimilia multo plura in medium afferri poſſent, continentur, id nemini non ex hiſtoria Conſtantini Magni, qui modò eam legerit, conſtare poteſt. Verbi gratia ſcribit ipſe apud Nicephorum in Epiſtola ad Euſebium Pamphili libro 8 cap. 27. Nunc libertate reddita, & ſerpente illo (*Gentiliſmo*) Dei prouidentia atque opera noſtra à rerumpub. adminiſtratione depulſo, ſatis in apertum productam eſſe arbitror apud omnes diuinam potentiam, eoſque qui vel metu, vel incrudelitate, vel etiam peccato oppreſſi fuerant, eo qui veriſſimè conſtat Deo cognito ad verum rectumque vitæ ſtatum tandem perueniſſe.] Varias propagandi Chriſtianiſmi & abolendæ Infidelitatis Gentilium occaſiones ſupra cap. centeſimo vigeſimo ſexto eiuſdem Nicephori verbis expoſui: quibus addi poſſunt quæ ibidem Nicephorus ſic addit: Talibus incrementis cum Eccleſia augeretur; profeſſio fidei etiam per barbaras nationes peragrans, omnem occupauit Orbem. *Et mox:* Vt verum dicam barbaris omnibus, vt Chriſtianiſmum complecterentur, vna occaſio fuit, inter Romanos & exteros populos bellum ſubinde geſtum ſub Galieni Imperio & deinceps. Multitudo ſiquidem varia permiſta in Orientem tranſiens, eam orbis partem prædabunda peragrauit: atq; alii aliunde barbari idem facientes, infinitimos excutrerũt Romanos, atq; ibi plurimam prædam agẽtes, multos quoque

Prophetia de ſtatu Eccleſiæ Gentiliumque conuerſione partim impleta.

Diuina potentia, quàm Gentiles in Eccleſia vident, eos conuertit.

Eccleſiæ felicitas Gentiles mouet.

quoque ex Sacerdotibus captiuos abduxerunt. qui apud eas nationes cùm morbos curarent, dæmonesque sola Christi inuocatione exigerent, & integros prorsùs atque irreprehensibiles vitæ mores exhiberent, barbari passim viros eos propter virtutem & admiranda opera veneratione prosequentes, quid eos facere deceret, ab eis cognouerunt, Deoque per illos conciliato, cultum Numinis meliorem sicuti sinceramque doctrinam complexi sunt, ac postremo Ecclesias quoque construxerunt.] Apud eundem lib. 8. c. 50. in Constantini M. epistola ad Episcopos Tyri congregatos: Et Barbari per me germanum Dei ministrum, Deum cognouerunt & metuere didicerunt, ipsumque me vbique tutari & rebus ipsis mihi prospicere senserunt. Vnde maximè Deum norunt, quem illi quidem propterea, quod nos metuant, colunt. Sed etiam ante Constantini Imperium respiratione Christianis, Maximini Imp edicto, concessa quantum Gentiles commoti fuerint, Nicephorus idem lib. 7. c. 24. sic commemorat: Cum edicto Maximini Christianis reddita esset quies, statim ex altissimis tenebris ingentem lucem ortam esse homines viderunt. Ecclesiæ frequentabantur, conuentus numerosissimi cogebantur, & ex Gentibus hæc quisque cernens obstupescebat, mirificamque rerum mutationem admirabatur, solum Christianorum Deum magnum esse acclamans.] Eodem prorsus modo, qui res à *Ferdinando Cortesio*, diuinæ virtutis ac prudentiꝯ viro, in Mexicano Imperio, & à *Francisco Pizarro* in Peruano orbe gestas cognouerit (quarum quidem amplitudinem qui nihil Constantini M. aut Caroli M. gestis concedere, atque adeo non parum præstare dixerit, secundo id intelligentium virorum iudicio fecerit) eum mihi de sententia propheti arum, quas supra capp. 38. 39. 49. & 43. exsecutus fui, facile assensurum confido.

Quibus operibus Sacerdotes Gentilium admirationem excitarint.

Persecutionum cessatio Gentiles admiratione impleuit.

In nouo orbe acquirendo pleraque prophetiæ impleta videntur.

CAPVT. CXLI.

IAM priusquam huic parabolæ finem impono, nonnullis eorum argumentis respondebo, qui summam Ecclesiæ potestatem ac ditionem in omnia totius orbis, etiam Infidelium regna, controuersam facere contendunt. Ac primùm quidem negant Christum secularem Regem fuisse, quà homo fuit, adeoque nec seculare Regnum Ecclesiæ reliquisse cogunt. Sed eis copiosissimè priori parabola responsum est, cùm docerem, Christum morte demum emisse omnia totius orbis regna, cumque ex hoc mundo excessurus esset, Legatos

Respõsio ad argumenta quib. secularis Ecclesiæ potestas oppugnatur.

quosdam constituisse, qui suum ius promulgarent, omnesque gentes ac populos sibi subijcerent & suis legibus vti cogerent: quam ad rem non tantùm potestatem eis dedit *prædicandi præceptum eius*, sed etiam *virga ferrea* inobedientes *regendi, & capita multorum conquassandi*. Atque hoc Christi regnum est æternum & vniuersale, quod omnes populos complectitur, tametsi non omnes simul eius legibus vtuntur, satis est ipso iure omnes Christo subiectos esse, & opere quoque, siue facto, aliquando fuisse. nam Legem eius *prædicari* oportet *vniuersæ creaturæ*, Matth. 24. De *Insulis* tamen nouoque orbe prædictum est, fore vt *legem eius expectent*: & de alijs regnis ac gentibus, quę ab obedientia eius desciscunt, fore vt intereant, eorumque loco alia substituantur, & ruina vnius alterius collocatione impleatur. Isa. 51. *Me Insulæ expectabant, & brachium meum sustinebunt.* Isai. 60. *Me insulæ expectant, & naues maris, vt adducam filios tuos. Aperientur portæ tuæ iugiter, vt afferatur ad te fortitudo gentium & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruiet tibi, peribit.* Psalm. 109. CHRISTVS *confringet in die iræ suæ Reges, iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum, virga virtutis suæ ex Sion emissa*, siue, potestate, quam Ecclesiæ suæ dedit, per quam ipse ad dexteram DEI sedens *dominatur in medio inimicorum suorum, donec ponantur omnes scabellum pedum eius*, hoc est interprete S. Paulo 1. Corint. 15. *donec euacuet omnem principatum & potestatem & virtutem omniaque sub pedibus eius subijciantur*, non solùm corda hominum sed etiam *Oues & Boues vniuersæ, insuper & pecora campi*, Psalm. 8. siue, aurum aut argentum, aut fortitudo gentium, velut docemur Isai. 60. alijsque locis quæ supra in medium protuli. Deinde nullam Ecclesiæ siue Pontificis in Reges ac Principes Christianos sæcularem potestatem esse hinc efficere conantur, quod iusserit CHRISTVS dare, *quæ Cæsaris sunt Cæsari, quæ Dei Deo.* quodque Apostolus Roman. 13. ita præceperit: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* At enim omnia sunt Dei, neque dici potest DEVS diuisum cum Cæsare vllius rei Imperium habere. Est enim solus ille Rex & Legifer omnis creaturę. Cæsar cæterique Reges DEI loco præsunt ea lege, vt quem ille suæ Legis custodem & interpretem fecit, ac *super gentes & regna constituit, vt euellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet* (quemadmodum Ierem. 1. dictum fuerat) ei propter DEVM seruiant, & vt ministri adsstent, curui ad eum veniant,

Aliud Argumentum.

Omnia sunt Dei, nihil Cæsaris: nisi quod ei Deus tribuit.

Pactis tamen legibus.

niant, & vestigia pedum eius adorent, aut si id facere recusent, seque exaltent & extollant, aduersus culmen illud potestatis ei datæ, pereat ac disperdatur, quemadmodum *Isai.* 60. & 49. futurum prænunciatur. Nec enim modò *exaltationes Dei* sunt *in gutture Ecclesiæ*, sed & *gladij ancipites in manibus eius ad faciendam vindictam in nationibus, ad alligendos Reges eorum in compedibus,* Psalm. 149. neque modò *prædicat præcepta Dei*, sed & *pascit* siue regit *ac velut vas figuli confringit virga ferrea Reges, qui nolunt intelligere, & Iudices terræ, qui nolunt erudiri, neque disciplinam apprehendere,* sed *vincula* PETRO data *dirumpere, & ab ipsis iugum eius proijcere* conantur, Psalm. 2. Is ergo dat, quæ sunt DEI DEO, quæ Cæsaris Cæsari, qui PAPAM pro summo Vicario agnoscit, & Cæsarem pro summo Ecclesiæ aduocato, quo nihil vlli Regum amplius & honorificentius tribui potest. PAPA caput est corporis CHRISTI, Cæsar ac Reges omninoque sæculares Magistratus sunt Brachia siue manus. Itaque insania est dicere, nullum capitis in brachia esse Imperium, in omnibus ijs quæ ad exercendum brachij munus pertinent. Caput Ecclesiæ, siue PAPA, (qui est vertex Ecclesiastici corporis,) Spiritus sancti nutu, siue inspiratione regitur, Brachia nihil facere possunt, nisi quod ad corporis totius ac singulorum membrorum victum, amictum, curam ac protectionem pertinet: quorum omnium regimen ac præscriptum quin penes caput sit, & inde ad Brachia deriuetur, dubitare Paulus vetat, cum Colos. 2. eos, *qui sensu carnis suæ inflantur*, negat *tenere caput*, *ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* Itaque si Reges non nutriant, neque vestiant corpus, neque membris affectis & ægris medicinam adhibeant, neque gladium pro tuendo corpore stringant, & noxam omnem ab eo defendant, certè manus aut Brachij munere non funguntur, neque tenent caput, adeoque velut membrum siue perniciosum & pestiferum, siue (quod ei male in tali membro non magno momento anteponi potest) inutile, capitis imperio amputantur, siquidem sanari nullo modo queant. Quamdiu enim salus eorum desperata non est, neque eos amputari corporis incolumitas postulat, non est periculum, ne in eos Caput, quod eiusdem corporis membrum est, & Spiritu charitatis cum eis colligatum, truculentè sæuiat, ac non potius multa eis ignoscat & emendationem eorum

Quomodo dentur, quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari.

Regimen totius corporis & causa vitæ, est in capite.

Qui non tenent caput, à corpore amputantur.

Si corporis ita fieri intersit.

eorum magna cum mansuetudine exspectet. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam,* Ephes. 5. *Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, nec potest caput dicere manibus aut pedibus, Non estis mihi necessarij,* 1. Cor. 12. Quare non est, quod quis metuat, ne Regibus, nisi qui sint omninò intolerabiles, ac regij præter nomen nihil habeant, huiusmodi sententia de capitis & Brachiorum in hoc mystico Christi corpore officio fraudem ac periculum pariat. Cum enim Spiritus huius corporis eadem fide, spe, & charitate membrorum omnium vnitatem atque contextum contineat, facilè quiuis collegerit, nullum membrum quantumuis exigui vsus, nedum vnum omnium, vbi à capite discesseris, præstantissimum, maximeq; necessarium, manum puta, vel brachium, recidi posse sine summo cæterorum membrorum omnium dolore, & nisi corporis totius ita fieri intersit. Itaque nullum ex omni memoria Regis aut Principis à Pontifice abacti, siue de rei publicę gubernaculis depulsi, ac velut amputati, commemorari exemplum potest, quin id perspicua populi salute (quæ suprema lex merito dicitur) quamuis fastidioso existimatori probare se possit: neque parum cuiquam videri debet, quod Gallia, Germania & Hispania ex ista Pontificis in rebus sæcularibus potestate lucri fecit. *Gallia* enim pro Hilperico Rege ignauo, ac nullam ad rem vtili, Pipinum Regem, ac mox imperium Occidentis Papæ beneficio nacta est. *Germania* ius Imperatoris eligendi: *Hispania* Nauarrę regnum nullo alio titulo, nisi quia Capiti Ecclesiæ Pontifici sic visum fuerat, obtinuit, & hodie quoque possidet, neque te Rex Catholice, quanto tibi summa illa Pontificis, pro qua propugno potestas vsui sit atque emolumento, vnquam credo pœnitebit. *At enim sublimibus potestatibus* (inquiunt) *omnem animam subditam esse oportet.* Quis negat, ac non potius propter hoc ipsum omnes Reges ac Principes pontificis potestati tamquam sublimiori, subditos esse oportere ęquum censet? Quæ enim maior homini à Deo tribui potestas potuit, quam: *Pasce oues meas. Quidquid tu ligaueris aut solueris in terra, erit ligatum aut solutum in cœlis. Tu confirma fratres tuos? Nescitis* (ait Paulus!) *quoniam Angelos iudicabimus: quanto magis sæcularia?* quid ita tandem? quia enim infinitò præstantior est vnus Spiritus omnibus alijs rebus creatis. Ergò qui potestatem habet iudicandi id, quod est pręstantius, multò magis iudicare poterit id, quod est inferius. *Nonne autem anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum.* Matth. 6. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua, & quid ei proderit, si vniuersum mundum lucretur,*

Summa Papa potestas nihil prorsus periculi affert Regibus.

Sed potius Regibus ac regnis lucrosa est.

Aliud argumentum.

Papa potestas est omnium sublimissima.

animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16. Si ergo Eccleſiá tãntam ſuper animarum hominum poteſtatem accepit, vt eas ſoluere & ligare, atq; etiam Sathanę tradere, queat: quanto magis eandem in corpora fortunasque hominum, ſiue in exteriora ſeu ſęcularia bona poteſtatem & iuriſdictionem tenere oportet?

CAPVT. CXLII.

Aliud argumentum.

AT enim Chriſtus (inquiunt) *non eripit mortalia, qui regna dat cœle-*
ſtia, id eſt, *non aufert regna ijs, quorum erant, quia non venit deſtruere ea,*
quæ bene habebant, ſed perficere. Itaq; cum Rex quiſpiam fit Chriſtianus, non per-
dit Regnum terrenum, quod iure obtinebat, ſed acquirit nouum ius ad regnũ æ-
ternum, alioquin obeſſet Regibus, Chriſti beneficium, & gratia naturam deſtrue-
ret. Sed primò falſum eſt, regna illorum fuiſſe. Omnes enim Re-
ges ante Chriſti paſſionem non niſi vicario iure populis præerant.
Chriſtus enim erat Rex titulo creationis, & *per eum Reges regnabant, &*
Principes iuſta decernebant, Prouerb. 8. Deinde neque illud ſimpliciter
verum eſt, regna ſęcularia bene habuiſſe. Nam Chriſtus Tyranni-
dem exercere Reges gentium, omniaq; ad ſuam, non ad ſubditorum
vtilitatem referre & *dominari*, ſiue Deſpoticum aut Herile imperium,
violentia nempe & terrore iunctum exercere, ſuæ quidem certè glo-
ria, qui ſint paulò tolerabiliores, ſeruire, & clementiæ ac bonitatis fa-
mam aucupari, & populares non tam eſſe, quàm videri cupere teſta-
tur: *Reges gentium*, inquit, *dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem*
in eos exercent; & qui poteſtatem habent, Benefici vocantur: nõ ita erit inter vos,
ſed quicumq; voluerit inter vos eſſe Maior, ſit veſter miniſter, & qui voluerit in-
ter vos primus eſſe, erit veſter Seruus. quaſi dicat: inter Chriſtianos non erit
vllum Deſpoticum imperium. nam qui præerunt, non dominabun-
tur, non aſperè tractabunt ſubditos neque clementiæ ſpecie gloriam
potiſſimum aucupabuntur (ſicut Cæſarem ſcribit Cicero non aliam
ob cauſam moderatè vſum victoria & imperio, niſi quia clementiam
popularẽ eſſe ſciret) ſed ſeruient vtilitati publicæ, omnia ad ſalutem
ſubditorum referentes. In eandẽ ſententiam de ſuæ ætatis regnis Ari-
ſtotelis ſcribit 5. Polit. 10. *Non exiſtunt amplius his temporibus regna. Mo-*
narchia ſunt potius & Tyrannides. Regnum enim eſt imperium voluntarium,
quodque magnis in rebus dominatur. Multi autem ſunt pares, neque quiſquam
ita excellit, vt imperij magnitudinem & dignitatem exæquet. Itaq; propter hanc
cauſam homines ſponte quidem ſua regnum non ſufferunt (nemo enim vo-

Regna Gentiliũ non ſunt. Regũ, ſed Chriſti.

Neq; bene habent ſed ſunt Tyrannica.

Ariſtotelis tempore vix erat vllum legitimum regnum.

lens ei ſubeſt, cui ſe virtute nihil putat cedere, ſed parem eſſe.) *quod ſi quis fraude, aut vi imperet, hoc iam videtur Tyrannis eſſe.* quaſi dicat: regnum omne eſt in volentes, Tyrannis in inuitos. at nemo imperat volentibus, niſi qui multum virtute ceteros ſuperet.

Quia nemo vnus volentibus imperabat.

Multi verò ſunt virtute pares, neque reperitur, qui alios magnopere antecellat. Igitur inuitis imperatur per vim aut dolum. Itaque grauiſſimè DEVS Iſraelitis ſuccenſuit, quod Regem dari ſibi petiiſſent, *ſicut vniuerſæ habebant nationes*, neque iis legibus deuinctum, quas DEVS *Deuteron. 17.* præſcripſerat: *Eum conſtitues Regem, quem Dominus DEVS tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, non reducet populum in Ægyptum equitatus numero ſubleuatus. Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animam eius, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomion legis huius in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere DOMINVM DEVM ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dextram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filij eius ſuper Iſrael.*

Regis eligendi requiſita.

I. Voluit ergo DEVS. I. vt Rex à DEO eſſet electus, idque Auctoritatis cauſa, ne mox alij imperium eius aſpernarentur,
II. quod Sauli contigiſſe legimus. II. Vt eſſet de fratribus, idque propter duas cauſas: priùs, vt populum diligeret, tùm ne ad aliam religionem ſubditos inducere conaretur. III. ne multiplicaret
III. ſibi equos, & virium ſuarum fiducia populum in Ægyptum, id eſt, in ſeruitutem reduceret. *Rex enim eas habere vires debet, vt ſingulis quidem & vno ac pluribus ſit maior ad cuſtodiendas leges, puniendoſque parùm morigeros, multitudine verò, ſiue tota Republica, minor,* velut. 3. Polit. 11. docet Ariſtoteles. IV. ne eſſet multarum vxo-
IV. rum maritus, ne ſcilicet eueniret illi, quod Salomoni, quodque Regi illi, de quo Liuius: *Non facile erat, circumfeſſo dies noctesquè muliebribus blanditijs, liberare animum ſuum, & conuertere ad publicam priuatamquam curam.* V. ne multiplicaret aurum & argentum, ſiue, ne
V. VI. Theſauris ſuperfluis coaceruandis ſubditos exhauriret. VI. vt librum Deuteronomij, ſiue legis, cum in ſolio collocaretur, & regno inauguraretur à Sacerdotibus Leuiticis acciperet (veluti

ſupra Cap. 47. pag. 155. ex 2. Par. 23. Regis Ioas exemplo
docui) vtque familiariorem ſibi legem faceret, eam manu ſua de-
ſcriberet. VII. vt ex lege DEVM ſuum timere, omniaque quæ VII.
in ea eſſent præcepta, cuſtodire diſceret, hoc eſt, vt in vete-
ri maiorum ſuorum Religione perſeueraret, neque nouam ali-
quam Religionem contra legis præſcriptum amplectaretur. VIII. VIII.
ne ſuperbiret ſuper fratres ſuos, neuè in partem dexteram vel ſini-
ſtram declinaret, hoc eſt, ne poſtularet ſe meliori eſſe conditio-
ne aut aliam viam ingredi vellet, quàm cęteri Iudæi, quibus eo
ipſo capite præſcriptum fuerat, vt in omnibus cauſis ambiguis
ad ſummum Sacerdotem appellarent, à quo nulli deinde pro-
uocationi locum dari, ſed eius ſententiæ reſiſtentes morte affici
DEVS voluit: *ſi difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris
inter ſanguinem & ſanguinem*, (id eſt, vtrius ſanguis effundi, vter
morte affici debeat) *inter cauſam & cauſam* (Hebraicè: inter litem &
litem) *lepram & non lepram* (Hebr plagam & non plagam, id eſt, vtri
plagæ imponendæ ſint) *& Iudicum inter portas tuas* (id eſt, in ſingu-
lis ciuitatibus) *videris verba variari* (& alios aliter cenſere, nec idem
omnibus iuſtum videri) *ſurge & adſcende* (ad ſupremum totius po-
puli Tribunal) *ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus* (id eſt, vbi fue-
rit ſanctuarium Domini & Sacerdotum Conſiſtorium ſummusque
Pontifex) *Veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo
tempore, quæresque ab eis* (Sacerdotibus. nam labia Sacerdotis cuſto-
dient ſcientiam & legem requirent ex ore eius, Malach. 2.) *qui indi-* *Summi Pontificis tribunal apud Iſraelitas erat omnium ſupremum, nec ab eo prouocatio dabatur.*
cabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui PRÆ-
SVNT *loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius*
(Hebr. Et facies iuxta os verbi, quod annunciabunt tibi è loco
ipſo, *ſiue, è Cathedra aut è ſummo tribunali*, & iuxta ſermonem legis,
quem te docuerint. *hoc eſt*, iuxta illum ſenſum, quem illi verum le-
gis ſenſum eſſe dixerint) *ſequerisque ſententiam eorum, nec declina-
bis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sa-
cerdotis* (ſummi) IMPERIO, *qui eo tempore miniſtrat Domino Deo
tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes* (Hebr. combures, igne
depaſces ac perdes) *malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens time-
bit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Voluit ergò DEVS Re-
gem non minùs, quàm populum IMPERIO, ſiue, quemadmodum
Moſes Pflacherus, Lutheranus Theologus, in Analyſi Biblica appel-
lat, *Ephoria* Pontificis ſubiectum eſſe, quod minùs mirabitur,

qui sciat Iosuam ipsum Eleazaro inferiorem fuisse, velut ex his verbis Numer. 27. discimus: *Respondit Moses: Prouideat Dominus hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos & introducere, ne sit populus Domini, sicut Oues absque pastore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro Sacerdodote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse & omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo.* Fuit igitur Iosue Monarcha, & summus Pastor populi Iudæorum, & tamen necesse habebat in causis ambiguis & difficilibus Sacerdotem consulere & imperio eius in egrediendo & ingrediendo, cùm ipse, tum vniuersus populus parere. Rationem reddit Deus Malach. 2. *Quia Sacerdos est Angelus Domini*, siue, quia pro Deo Legatione fungitur non tantùm ad populum, sed & ad ipsum Regem. Ac propterea *Numer.* 34. Deus Eleazarum priore loco post Iosuam cum Principibus commemorat. *Et ait DOMINVS ad Moysen: Hæc sunt nomina virorum, qui terram vobis diuident: Eleazar Sacerdos, & Iosue filius Nun, & singuli Principes, de tribubus singulis.* Et Ios. 21. *Accesserunt Principes Familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad Duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel.* Sicut ergo Iosue mandatum habuit, ad verbum Sacerdotis, non minùs ipse, quàm totus populus egredi & ingredi, similiter Regem DEVS Sacerdotis imperio subiectum esse, neque super fratres suos in superbiam, siue Sacerdotis contemptum, eleuari, neque à verbo Sacerdotis ad dexteram vel ad sinistram declinare voluit. Postrema ac Nona lex Regi dicta vel potiùs comminatio fuit, ne aliter ius regni suis posteris hereditarium relinqueret, nisi superioribus legibus bona fide paruisset.

Eleazar Pontifex erat superior Iosua Rege.

Tamquam Legatus Dei & Mediator inter Deum & Iosuam.

9. Regis requisitum.

CAPVT CXLIII.

MERITO ergo DEVS Israelitis postea succensuit, cùm Regem non huiusmodi legibus deuinctum, se *qualem ceteræ in circuitu haberent Nationes* sibi constitui petierunt, sed quoniam multos incertos hac de re certare video, ac nuper adeò quidam Venetorum

Quale fuerit Israelitarũ peccatũ in petendo Rege.

Parasitaster cùm Oligarchiam Venetorum pro Aristocratia venditare tum Regnum longe Aristocratiæ postponere nihil dubitauit, paulò enucleatius ac distinctius quidnam illud reuera fuerit, quod rege petendo Israëlitæ peccarunt, explicabo. *Inuocabo* (ait Samuel ad populum 1. Reg. 12.) *Dominum, & dabit tonitrua, & pluuias, & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem.* Magnitudinem verò peccati attributa siue circumstantiæ petitionis eorum declarant. Nam primum petebant regem hoc fine, vt haberent, *qui egrederetur ante ipsos & pugnaret pro ipsis bella ipsorum 1.* Reg. 8. Hoc autem ad minuendam Dei gloriam pertinebat, cuius intererat hostes Israelitarũ extraordinatio potius ac prodigioso modo, quàm Regis auspicio atque ductu superari : Exemplum habemus 1. Reg. 7. *Cum timerent Israelitæ Philistæos aduersum se congregatos, factum est, Samuele ad Dominum clamante & sacrificante, vt Philistæis prælium contra Israel ineuntibus, intonaret Dominus fragore magno, & exterreret eos. Cæsi ergo sunt ab Israelitis & humiliati, nec opposuerunt vltra, vt venirent in terminos Israel cunctis diebus Samuelis: reddiderunt quoque vrbes quas Israelitis prius abstulerant.* Volebat autem DEVS vt hic populo sibi peculiari curæ esse videretur quem declarandæ suæ gloriæ causa, sic prodigiosè ab hostibus defendere quàm regis ductu, more cæterarum gentium gubernari præoptabat. Exodi 19. *Si audieritis vocem meam & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens sancta.* Itaque DEVS petito rege seipsum regno deiectum iudicabat. 1. Reg. 8. *Non te* (ait ad Samuelem) *abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* quia scilicet malunt ordinario & consueto hominũ more, ductu regis, quàm meo miraculoso auxilio, sacerdotalibus precibus implorato in præliis iuuari, & sic materiam gloriæ meæ subtrahunt. Et Samuel ad eosdem 1. Reg. 12. *Misit Dominus Gedeon & Samson & Barac, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum, & habitastis confidenter. Videntes autem quod Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi, nequaquam, sed Rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Atque hanc ob causam, contumeliæ scilicet sibi à populo factæ memor & insultabundus Deus Oseæ 13. *Vbi est*, inquit *Rex tuus? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis, & iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi Regem & principes. Dedi tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.*

Primum faciebant Deo iniuriam.

Cuius ipsi erãt peculiaris populus.

Ad hoc electi vt essent Regnum Sacerdotale.

Deinde petebant Regem cum summa Samuelis iniuria, cui nullam abro-

Secundo faciebant iniuriam Samueli bene de ipsis merito.

abrogandi imperii causam habebant, quippe qui omnia laudatissimi magistratus munia cumulatissimè semper impleuerat. Nam ab hostibus populum liberarat, & ciuitates à Philisthæis occupatas recuperarat, velut modo ex 1. Reg. 7, & 12. didicimus: tum *ibat per singulos annos circuiens Bethel & Gargala, & Masphat, & iudicabat Israelẽ in supra dictis locis*, vbi tanquam comitia regni celebrabat, *reuertebaturq́ in Ramatha, ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israelem* 1. Reg. 7. Atq; ista omnia faciebat sine cuiusquam onere, neque tributum populo ad necessarias impensas suas imperabat, velut 1. Reg. 12. legimus. Quamuis autem filii eius, quos iam senior, optiones, ac velut collegas imperii fecerat, non eadem integritate & abstinentia in iudicandis litibus vterentur, non tamen æquum fuit Samuelem continuò imperio abigere. Nam & monere eum, ac rogare prius aliquoties, & si filios emendare neglexisset æquo adhuc animo incommodum non adeò magnum tolerare totq; prioribus eius beneficiis compensare debuissent. Quamdiu enim vtilitas, quam respub. ex magistratu suo siue percipit, siue percepit, aut deinceps perceptura videtur, maior est molestiâ aut iniuriâ, quæ eidem reipublicæ non dico iam singularibus hominibus priuatis, infertur, iniquissimum est, imperium ei abrogari, nec turpissimo ingrati crimine vacat: quæ causa est, cur neminem Regum ac Principum, nisi externæ reipublicæ necessitas postulet, ne ab ipso quidem Pontifice, summo legum præside, imperio exui posse credamus: siquidem potestas Pontifici data est *in ædificationem non in destructionẽ* populorum, & quamuis munitiones & consilia nõnunquam destruere necesse habeat (velus supra ex 2. Cor. 10. didicimus) tamen in eo quoque ædificationem suæ vtilitatem publicam velut scopum, ac finem habet propositum. qua quidem sententia, quæ est omnium Catholicorum, satis Regum Principumque incolumitati cautum prouisumque esse neminem non perspicere arbitror, atque ad eam velut Regulam Theologorum verba, quæ à nonnullis inuidiam rapi solent, exigere debet, nisi quis improbè calumniari & sycophantam agere, quàm quæ reipublcæ causa liberè fortiterque dicta sunt, commodè interpretari malit. Omnia Catholica Regna vnum corpus conficiunt, eodem fidei, spei, & charitatis vinculo velut vno Spiritu colligata ac deuincta. Ratio ergo postulat, nullum omnino membrum propter leuem aliquem morbum, qui præsertim eius membri vsum omnem non impediat, quodque præcedente tempore sanatum iri spes sit, medicina intempestiua

Peccata filiorum Samuelis non erant sufficiens causa, cur imperiũ ei abrogaretur.

Papa quando Reges in priuatorum ordinem possit redigere.

Quomodo se Papa gerat in medicandis Regum morbis.

& cum cæterorum membrorum periculo coniuncta curari, nedum statim vstione ac lectione tentari. *Legum præsidem, ciuitatisque rectorem* (ait Seneca 1. de Ira. 5.) *decet quamdiu potest verbis, & his mollibus, ingenia curare, vt facienda suadeat, cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis faciatq; vitiorum odium, pretium virtutum: Transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc & exprobret: nouissime ad pœnas, & has adhuc leues & reuocabiles, decurrat: vltima supplicia sceleribus vltimis ponat vt nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. Tardè sibi quis mēbra sua abscindat, etiam cum absciderit, reponere cupiat, & in abscindendo gemat cunctatus multum diuque. Prope enim est vt libenter damnet, qui cito. Prope, vt iniquè puniat qui nimis* (1. Clement. 14.) *morbus animi mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minimè infestum ægro Mali medici est desperare ne curet. Idem in his, quorum animus affectus est, facere debebit, cui credita salus omnium est: non cito spem proiicere, nec mortifera signa pronunciare, Luctetur cum vitiis, resistat: aliis morborum suum exprobret, quosdam molli curatione decipiat, citius meliusque sanaturus remediis fallentibus. Agat Princeps curam non tantum salutis, sed etiam honestæ cicatricis* 1. Clement. 17. Cum igitur hanc caput inferioribus membris charitatem impendere debeat, quanto æquius fuerit cetera membra in capitis morbo *mitē animum gerere & modicis erroribus æquum*, cum præsertim non tantum ferè prosit, magistratus meliores constitui, quantum subditos ad amouendos eos, qui Reipub. præsunt, adsuefieri nocet. Propter quam causam Aristot 2. poll. 6. Satius esse censet, quædam magistratuū vitia dissimulare, quam mutationem eorū, & inobedientiam inducere.

Quomodo se subditi erga superiorum vitia gerere debeant.

Magistratuum vitia quædam ferenda & dissimulanda

Sed est ista Aristotelis ratio ad vtilitatem ipsorum subditorum, siue reip. relata qua longè videri debet efficatior, quam nos Christiani à charitatis officio, quod exhibere alii aliis debemus, petitam sequimur. *Charitas enim patiens est benigna est non quærit, quæ sua sunt, non cogitat malum* 1, Cor. 13 *pacifica est, modesta, suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione*, Iacob 3. Hac non modo erga Samuelem Israelitæ vsi non sunt, sed simul etiam odium ei rependerunt pro dilectione, & contumeliam pro beneficiis suis. Itaq; DEVS eum consolabundus: *Iuxta omnia* (inquit) *opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc: Sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.* Reg. 8. Atq; illud etiam summam eorum erga Samuelem ἀχαριστίαν ac beneficiorū obliuionē auxit, quod non tantùm incerti, qualemnam magistratum in regno sortituri essent, Samueli abolere imperium voluerūt, sed etiam postquam

Non tantum propter ipsorum subditorum vtilitatem. Sed etiam ex Charitate.

Insignis Israelitarum erga Samuelem ingratitudo.

iam Dei mandato, quam miseranda ipsorum sub Regis imperio conditio futura esset, didicerunt. *Clamabitis à facie Regis vestri, quem elegistis vobis*, ait Samuel, *& nō exaudiet vos Dominus in die illa. Noluit autē populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt, nequaquam* (propter mala illa, quæ Dei nomine prædixisti nobis euentura Rege carere volumus) *Rex erit super nos, & erimus quoque sicut omnes gentes. & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante eos, & pugnabit bella nostra pro nobis* Quo tandem pacto maiorem Samueli contumeliam facere poterant, cuius imperii tantum præ se tædium ferunt, vt vel iniquissima Regis seruitute teneri, neque tolerabilius mancipiis tractari, quam diutius Samueli subesse ac parere malint.

Etiam pessimo Regi, quam ipsi, subesse malebant.

Tertium Israelitarum in petendo Rege peccatum.

Postremò in eo peccauerunt Israelitæ, quod non quidem Monarchica imperii forma gubernari voluerunt (nam Samuel, Heli Iephte, Samson, Gedeon, Iosue, Moses, ceterique iudices, verè Reges populi fuerunt, sed perfectissimo ac prorsùs paterno regni genere, cuius fere generis est, quod *Heroicum* ab Aristotele dicitur, nisi quod hi neque sibi nominis regii honorem neque emolumentum vllum ex tributis, aut vectigalibus publicis neque liberis ius in imperio succedendi vindicarunt. cuius rei illustre exemplum. *Iudic*. 8. 22. legimus, Sed omnia ex diuinæ legis præscripto, & ad populi vtilitatem, tam pacis quam belli tempore, referentes gesserunt.) non igitur peccârunt, quod regnum, sed quod deterrimam, ac periculosissimam regni formam petierunt, παμβασιλείαν scilicet, hoc est, Regnum plenum, infinitum, ac legibus solutum, vbi manu Regia administrantur, ita vt haud multum à Tyrannide absit, nisi quod lege deferatur, & in volentes exerceatur, neque exterorum, seu ciuium, siue subditorum, militari custodia muniatur, quamuis id mox in apertam, veramque Tyrannidem abiturum, neque Regem, siue παμβασιλέα volentibus, sed inuitis, fatumque suum complorantibus imperaturum, Dei iussu contestabundns Samuel sic prænunciauit. *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis*: (Si nempe talem vobis dem Regem, qualem petitis) *Filios vestros tollet & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias & focarias & panificas. Agros quoque vestros & vineas & olìueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestros & vinearum reditus addecimabit, vosq; eritis ei serui, & clamabitis à facie Regis vestri, quem elegistis vobis. Noluit autem populus*

Non quia Regnum, sed quia pessimam regni formam petebant & ita posteris suis iniuriam faciebant.

Qualis ea fuerit forma.

populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt. Nequaquam. Rex erit enim super nos.] Atque hoc modo, quod Aristotelis auctoritate supra de Asiæ populis dixi, eos nullius esse animi, ac propterea perpetuo parere ac seruire, & sub Regum imperio viuere, nec respub. vllas habere, isto Iudaici populi exemplo quoque comprobatur, quos iam tum quando ex Aegypto exiere, homines ignauos, & accipiendo, ferendoque seruitutis iugo natos fuisse, *Exod.* 14. discimus. *Visis Aegyptiis conterriti dixerūt: Quare nos eduxisti ex Aegypto? multò enim melius erat seruire Aegyptijs, quàm mori in solitudine.* Itaque maluerunt Tyrannico, siue seruili, quàm paterno Sacerdotis imperio teneri, quòd se scilicet ex splendore ac maiestate Regis sui pluris apud vicinos populos fore existimarent. Veruntamē noluit Deus noxiam illam ac pestiferam, quam postulabant regni formam, vel potiùs Tyrannidem eis largiri, sed quemadmodum Iupiter ille Homericus,

Israelita seruilis animi populus,

Stimauano più un poltrone viuo, che cento valent' huomini morti,

Deus non dedit eis talem Regem, qualem petierāt.

Τοῖς δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ ἕτερον δ' ἀνένευσε

His vnum dedit ille quidem, alterum & abnuit idem.

Regem enim eis dedit *in furore suo*, siue iratus ob iniuriam sibi ac Samueli factam, Regem verò infinita solutaque legibus potestate præditum, cuius ius modò describi audiuimus, non dedit, sed eum certis legibus sibi, ac populo deuinxit, velut 1. *Reg.* 10. docemur. Cùm enim Saulem Samuel Regem vnxisset, simul eò hoc præceptum dedit: *Descendes in Galgala, ibi septem diebus expectabis donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.* siue leges, quas in regno administrando sequaris, tibi præscribam. *Et infra*: Cum Saulis electionem populus ratam habuisset, *locutus est Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.* In eo libro fuisse oportet rationem exigendorū tributorum siue vectigalium, quæ cum Regis maiestas, tum populi defensio requirere videatur. Nam 1. Reg. 13. legimus eum cohortem prætoriam triū milliū militū de Israel electorū circa se habuisse. Et 1. Reg. 14. *Erat bellū potens aduersum Philistæos omnibus dieb. Saul. nā quęcūq; viderat Saul virū fortē & aptū ad prælių sociabat eum sibi.* Itaq; cùm pecuniam populo imperare, tum militū delectū agere potuerit, necesse est. Et 1. Reg. 17. quærenti Dauidi, quidnam premii fusurum esset ei, qui Goliat Philistæum percussisset, respondetur *ditabit eum rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel*: Ex quibus omnes Israelitas tributum Regi pendere solitos fuisse, ex iisque magnas opes Regem confecisse efficitur. Atqui nihil horum ex lege Moysis fieri poterat. In libro ergò, quem Samuel

Sed Regem certis legibus deuinctum.

Samuelis liber de officio iure ac potestate Regis

Israelita tributum Regi pendere coacti.

de Lege regni composuerat, eam potestatem Regi datam fuisse oportet. Cæterùm fuisse Saulem omnibus illis, quas supra ex Deuter. 17. Regi futuro præscriptas recitaui, legibus deuinctum, hinc quoque fit perspicuum, quòd tàm ipsi, quàm populo obtemperationem legis Dei graui addita comminatione palàm Samuel iniungit. *Timete Dominum*, inquit *& seruite ei in veritate ex toto corde vestro. quod si perseueraueritis in malitia, & vos & Rex vester pariter peribitis.* Sed etiam euentus mox docuit, ad eum pertinuisse, quod regi cominatus fuerat De⁹, si nimirum non custodiret præcepta Domini, fore, vt filii eius non regnarent super Israel. Nam 1. Regum 13. cum Samuelis præcepto non obtemperasset, & ipse aduentu eius totos dies septem non expectato, holocaustum Deo obtulisset, audiit ex Samuele: *Stultè egisti nec custodisti mandata Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Deus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed, nequaquam regnum tuum vltra consurget.*

Saulaque ac populus Lege Moysis tenebatur.

Sacerdotis iussui non obtẽperans regno in perpetuum excidit.

CAPVT CXLIV.

SIc igitur luculentè probatum arbitror, non satis veram esse eorum rationem, qui regna Gentilium bene habuisse, ac proinde à Christo non destrui debuisse, contendunt. Sed etiamsi sic esse largiamur, nullam tamen eis iniuriam faceret Christus, si omne ipsis imperium abrogaret, non enim quicquam, quod ipsorum esset aufferret, sed quod suuum esset à vicariis suis repeteret. Atqui licet illis præfecturam suam obtinere, modò Christi Domini sui legibus vtantur, & quoniam *regnum* hoc, ex omnibus Christianis regnis conflatum, Christus *Sacerdotale* esse iubet (quippe qui simul Rex sit & Sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*) facere ne grauentur, quod Deus in Sacerdotali Regno requirit, vt nimirum Summus Sacerdos, quem ipse suo loco pastorẽ populo suo dedit vbi res difficilior, ac maioris momenti in disceptationem venerit, consulatur, eiusque imperio pareatur, inobedientes ex ipsorum decreto moriantur, & ad verbum Sacerdotis egrediantur & ingrediantur cùm ipsi Principes, tùm eorũ populi. Propter hæc enim talia Regnum Israeliticum Deus *Regnum Sacerdotale* nominauit, Exodi 19. quoniam figura, fuit regni Christi (*omnia enim in figura contingebant illis*, 1. Cor. 10. & euenta ipsorum fuerunt *vmbra futurorũ & exemplaria verborũ*, Hebr 9. & 10 Itaq; 1 Pet. 2. Christiani dicuntur esse *gens illa sancta & regnũ Sacerdotale*, siue *Regale sacer-*

Christus Gentilib. regibus non faceret iniuriam si regna eis ad meret.

Israelitæ debebant esse sacerdotale regnum.

Sacerdotium) multo maiorem in hoc regno Sacerdotis apud omnes auctoritatem esse oportet, vtique cum hoc Regnũ *in melioribus repromissionibus sancitum sit. nam si illud prius culpa vacasset,* hoc est, si perfectum fuisset, *non vtique secundi locus inquireretur,* Hebr. 8. Non igitur obest Regibus Christi gratia, si ex gentibus Christiani fiant, etiamsi Sacerdotis Summi quem totius regni sui Christus in terris vicarium seu Proregem, *Deumq; Pharaonum omnium* constituit imperio subiiciantur & ad verbum eius cum populo quisque, suo egredi & ingredi necesse habeant: quin immo beneficium accipiunt maximum, cum à Sacerdote sic diriguntur, vt aliter, quam rectè atq; ordine, populis suis præesse nequeant, qui priùs vtilitati subditorum consulendi aut voluntate, aut facultate seu scientia destituebantur. Itaque Psal. 81. disertim habemus, Christum propterea *hereditarium in omnibus gentibus, vt terram iudicet, omniaque fundamenta terræ,* siue Reges ac Principes (velut declaraui cap. 24.) *loco suo moueat,* siue regno exuat, & velut plebeios ex alto dignitatis gradu præcipitet, quia vel *iudicent iniquitatem ac facies peccatorum summant,* hoc est, quia sint iniusti & tyranni. vel *nesciant neque intelligant, & in tenebris ambulent,* id est, subditos in via salutis æternæ ducere nesciant, veræ scilicet religionis ignari velut supra *Cap. 54. pag.* 177. vberius demonstraui. Sic & *Psalm.* 2. planè ac perspicuè comminatur Christus regibus ac principibus, *nisi se iugo suo subyciant, & disciplinam apprehendant, atque erudiantur & intelligant,* hoc est, nisi à Summo Sacerdote veram religionem discant, sibique per os eius loquenti (*Act.* 15.) obediant, fore, vt *pereant de via* & non modo *prædicatione præcepti sui,* siue excommunicatione (dum tamen sub iugo esse ceperint, nam qui nunqnam fuerunt, nempe infideles, excommunicari nequeunt. quis enim eum foras eiiciat qui iam foris est? quomodo verba illa 1. Cor. 5. intelligenda esse supra docui; *quid ad me de his qui foris sunt iudicare?*) sed etiam *virga ferrea de Sion emissa* (Psal. 109) siue seculari potestate, aut materiali gladio, *confringantur & conquascentur.* quam pœnam cum ex æquo Deus omnibus, qui iugum Christi siue excutiunt, siue recipere nolunt, hoc est tàm infidelibus, quàm hæreticis comminetur. (quemadmodnm longè plurimis scripturarum locis priore parabola planum fecimus) friuola eorum oportet esse argumenta qui Papæ nihil in prouincias infidelium iuris esse docent. Quibus vno verbo hic respondisse satis fuerit, nullum esse posse Re-

Sed multo magis Christi Ecclesia.

Regibus nihil nocet Papæ subiici.

Duæ causæ, cur Christus regib. regna eripiat.

Papa habet potestatem etiam super infideliũ regna.

gnum legitimum, quod rectæ rationi, ſiue legi Chriſti aduerſetur, ſiue lex illa in cordibus hominum modò ſcripta ſit, ſiue etiam præconio vicarii ſui promulgatum, eius dico *quem elegit Deus, vt per os eius audiant gentes verba Euangelij, & credant* (hoc eſt, Petri & ſucceſſoris eius. *Act.* 15.) Chriſtus enim eſt Dei Patris Sapientia, fons omnis Rationis atq; legis, caput omnis Principatus, & quemadmodum Iſai. 33. vocatur, *Iudex, Legifer & Rex noſter.* Antequam ergò paſsus eſſet, neceſſe erant omnes Reges ac Principes ex præſcripto legis Chriſti cordibus inſcriptæ imperare: quod niſi facerent, Tyranni erant, nullumque Imperi ius habebant. *Per me,* (inquit) *reges regnant, & principes iuſta decernunt, quia meum eſt conſilium* (prudentia συμβουλευτικὴ) *mea æquitas* (prudentia δικαστικὴ) *mea eſt prudentia* (rerum ſcilicet non ſingularum vt duæ illæ iam commemoratæ ſed vniuerſarum, νομοθετικὴ) *mea eſt fortitudo.* quam ſcilicet legũ cuſtodia & executio poſtulat: Poſtquam verò paſſus fuit Chriſt⁹, nouoq; titulo regnum adept⁹ neceſſe eſt, oẽs, q habẽt in alios imperiũ, vel vt eius beneficiarii, eius legis præſcripto vtantur, quam Petrus ac ſocii, Petrique Succeſſores per vniuerſum orbẽ promulgare iuſſi ſunt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Euntes ergo docete omnes Gentes ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi,* (Matth. 28.) *Et quoniam tu Petre me diligis plus ceteris Apoſtolis, paſce oues meas & adduc illas oues, quæ nõ ſunt de hoc ouili faciaſq; vnum ouile, & ſis vnus Paſtor. Rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & nomẽ meum Petra tecum cõmunicaui, vt ſuper te Eccleſiam meã ædificarem. Tu ergò Petra fidei firmiſſima confirma fratres tuos. Claues regni cœlorum tibi trado, & quicquid in terris ſolueris aut ligaris, id in cœlis ratum me habiturũ promitto,* Ioh. 21. Ioh. 10. Act. 15. Luc. 22. Matth. 16. Ioh. 1.

Ante paſſionẽ Chriſti omnes Reges erant eius Vicarii.

Ab ipſo enim erat omnis prudentia & legũ exſecutio.

Poſt paſſionem Chriſti Petrum ſummum ſuũ Vicarium fecit

Atq; iſtis probè obſeruatis nullo negotio ceteris eorũ argumẽtis reſpondetur, qui Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis paulò citeriorẽ terminũ ponunt, quam tamen Chriſtus in omnib. mũdi finib. collocauit. Huiuſmodi argumentũ eſt: *Leo, Gregorius, Magni Pontifices, Imperatorem à Deo Imperium habere confitentur. Igitur aut poteſt id ei Papa eripere, aut non poteſt. Si poteſt, eſt maior Deo: ſi non poteſt, non habet poteſtatem regi maiorem, Quidni autem ſimiliter ἀδολεσχεῖν* ſiue argutari mihi liceat? *Non eſt poteſtas niſi à Deo,* Rom. 13. Itaque minimorum quoque magiſtratuum in oppidis ac pagis à Deo poſteſtatem eſſe oportet. Iam Princeps aut poteſt, infimo magiſtratui poteſtatem ſuam adimere aut non poteſt. Si poteſt, erit Deo maior, ſi nõ põt, nõ habebit maiorẽ infimo

Aliud argumentum.

illo

illo poteſtatem. Similiter Vita homicidæ eſt à Deo. Aut igitur eam ipſi Rex adimere poterit, aut non poterit. Si poteſt, erit maior Deo. Sin autem; non habebit poteſtatem ſuper homicidam. Quis tàm ineptus eſſe poteſt, qui ex eo, quod Vicarius, Domini mandato, ſeu loco facit, id ad Vicarium potius, quàm Dominum ipſum pertinere contendat?

Diſputatur etiam à nonnullis: Nicolaus Papa docet, fuiſſe quidem ante Chriſti aduentum eoſdem Reges & Pontifices, ſed Chriſtum verum Regem & Pontificem iſta diſtinxiſſe: *Cùm*, (inquit) *ad verum ventum eſt, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoriũ vſurpauit.* Reſpondent alij, Chriſtũ ad conſeruandam humilitatẽ voluiſſe, vt Põtifex Imperatoris defenſione indigeret. Sed falſa eſt iſta ratio, cùm palàm ſit, Chriſto magis conſeruationem Maieſtatis in eo fuiſſe propoſitam, à qua alienum foret, Pontificem, quiſquilijs & rebus friuolis implicari, quemadmodum neq; Caput decenter gladium ferreum ore teneat ad corpus tuendum, neque cibum ex diſco aut patina labijs excipiat, cùm id manuum miniſterio rectè fiat. Quis autem propterea nullum capitis in manus imperium eſſe hinc efficiat, quod nec Manus officium capitis arripiat, neque Caput partes manuum inuadat? Similiter ſi dicam, Neque Prætor aut Conſul ciuitatis iura Principis arripit, neque Princeps nomen Prętoris aut Conſulis vſurpat: quis ex eo nullam Principis in Prætorem ciuitatis ſibi ſubiectę poteſtatem habere cogat? Eſt autem ſententia verborum Nicolai, Chriſtum aboleuiſſe, quod Diabolus introduxerat, vt ſcilicet Principes Idololatrici ſimul Pontifices fierent, & ſic idololatriam armis ſancirent. *Aliud argumentum.*

Quamuis autem idem Nicolaus Chriſtum voluiſſe dicat, *vt Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus vterentur*, nequaquam tamen inde effici poteſt, Pontificem in temporalibus nõ ſuprema poteſtate affectum eſſe. Vtitur enim legibus illis, nõ quia Imperiales ſint, ſed quia rationi conſentaneæ. Vtrum verò ſint rationi conſentaneæ, non tàm ad Imperatoris, quàm ad Pontificis curam pertinet, cùm Pontificem Chriſtus rationis ac prudentiæ omnis auctor, cuius eſt conſilium, Vicarium ſuum conſtituerit, qui populos & eorum Reges, quæ ſuæ legi conſentanea eſſent, doceret, ac præceptum eius prędicaret. *Aliud argumentum.*

Quod porrò ex eiuſdem Nicolai ad Imperatorem epiſtola, afferunt: *Nolite præiudicium Dei Eccleſiæ irrogare. Illa quippe nullum imperio veſtro* *Aliud argumentum.*

stro præiudicium infert : non eſt illud argumentum à pari, ſed à maiori, quaſi dicatur: Si Papa Imperatorem in ſuo munere nihil impedit, cuius tamen poteſtas multò amplior eſt Imperatoris poteſtate, multò minùs Imperator Papam impedire debet.

Aliud argumentum.

Contradicitur autem à quibuſdam. *Gelaſium Papam ſcripſiſſe : Duo ſunt, quibus principaliter mundus hic regitur. auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas.* Sed nihilo abſurdius dixero, duo eſſe membra corporis humani, quorum ope præcipuè vtatur, caput nempe & manum. Num verò propterea Manus negatur capiti ſubeſſe, eiusque nutu munus ſuum exequi ? nam illud perſpicuè falſum eſt,

Aliud.

quod eandem ſingulorum Epiſcoporum in ſuis diœceſibus, quam Pontificis in vniuerſa Eccleſia poteſtatem eſſe dicunt, ac propterea ſicut Epiſcopi in oppidis ſuæ diœceſeos ſupremam poteſtatem ſecularem non habeant, ſic neque Pontificem in vniuerſali Eccleſia eam habere affirmant. Sunt enim Epiſcopi velut regionum præfecti, Pontifex verò tamquam totius ciuitatis præfectus ſiue Prorex : Epiſcopi veluti legionum ſingularum Tribuni, Papa tamquam ſummus totius exercitus Imperator.

CAPVT. CXLV.

Aliud Argumentum.

SED neque illud quidquam firmitatis habet, quod ex Innocentij III. Papæ verbis opponunt, *quibus in Eccleſiæ firmamento duo magna luminaria, pontificalem auctoritatem & regalem poteſtatem à Deo inſtitutam dicit, quarum pontificia, velut diebus ſol, præſit ſpiritualibus, Regia verò tamquã luna, carnalibus. Iam verò ſicut ſol,* inquiunt, *non eſt idem quod Luna, nec inſtituit Lunam: ita nec Pontificatus idem eſt, quod Imperium, nec vnum ab alio abſolutè pendet.* Atqui aliud eſt ὁμιότης ſeu ſimilitudo, aliud ταυτότης ſiue *Idenditas,* quam vulgò vocant. Similia, nõ niſi genere quodam ſunt eadem, id eſt, in aliquibus, non in omnibus eadem illorum eſt ratio, ſiue qualitas. *Pſal.* 123. piorum animæ conferuntur cum paſſere, ratione liberationis à periculo, neq; tamen quia paſſeres ſunt ſalaciſſimi, propterea animas piorum ſalaces eſſe oportet. Item hæretici ſimiles ſunt Lupis. Et tamẽ fuerunt oues Chriſti, denuoq; oues, ſi Hæreſin exuant, fiunt, Epiſcopi ſunt paſtores gregem, ſed ſine dubio ſimul oues Chriſti. Bonus Rex eſt Pater patriæ propter ſimilirudinẽ non generationis, ſed amoris & procurationis. Chriſtus eſt Leoni ſimilis in robore, nõ in crudelitate, neq; in rationis orbatione ſeu defectu. Baptiſmus ſimi-

Simile non eſt idem.

lis est Arcæ Noë, quod extra baptismum, sicut extra Arcam nemo seruari queat. At enim erant in Arca animalia munda & immunda: neq; pari ratione baptismo tam mali, quàm boni seruantur. Christus erat caput Synagogæ, quippe *qui heri & hodie sit, idē & in secula*, Hebr.13. *Caput nempe omnis principatus & potestatis*, Colos.2. Et tamen Saul quoque Caput Synagogæ dicitur, 1.Reg. 15. & Reges sunt suorum regnorū capita, num propterea Synagogam fuisse bicipitem dicemus, & regna singula monstrosa esse, binis quippe capitibus prædita? quod Hæretici nobis exprobrare solent, quasi qui monstrum ex Ecclesia faciamus, cùm eius caput simul Christum & Papam dicimus. Eiusdem generis infinita possent exempla, etiam ex scripturis adduci: sed hęc ad id, quod institui, sufficiunt, vt similitudinem scilicet illam, qua potestas, Papæ soli, Regia Lunæ cōparatur, nequaquam eò valere appareat, quo nonnulli volunt, satisq; sit, si quemadmodū Sol Lunæ prestat, sic Ecclesiasticam seculari potestati præstare inde discamus. Possunt tamen plures similitudinis rationes reddi: Verbi gratia Sicut Luna proprium lumen non habet, sed id à Sole mutuatur: Sic etiam sæculari potestati Spiritualis potestas auctoritatem præbet, cùm ei etiam *propter conscientiam subditos esse iubet*. Et sicut Luna videtur luminare magnū, cùm tamen multis stellarum minor sit: Similiter sęcularis potestas amplissima videtur, cùm tamē Sacerdotio longè sit inferior: quippe cui tantum adiutorij causa data dicatur, vt Ecclesiæ scilicet seruiat ac ministret, velut ex Isai.60. suprą docui, ac propterea *Opitulationem* Paulus 1. Cor.12. sęcularem Magistratum videtur appellasse *Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeātur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*, 1 Tim 5. *Qui enim ad iustitiam erudiunt multos. fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*, Daniel.12.

Quomodo Spiritualis potestas Soli, secularis Luna sit similis.

Quod porro ex eodem Innocentio nobis obijcitur, *Pontificē solum in patrimonio Ecclesiæ plenā habere in temporalibus potestatem, in alijs regionib. non item*, id distinctione adhibita à nostra facit sententia. Fatemur enim non eandem esse Pontificis in Ecclesiæ patrimonio, qua in ceteris regionibus sæcularis potestatis plenitudinem. Patrimonio enim præest non tamquam Pontifex, sed velut quiuis alius minor Princeps, & velut Episcopi ceteri sæculari iurisdictione prediti. Itaque velut vrbis Romæ Episcopus etiam minoris momenti negotia, sæcularia, puta, curare potest, quod in cæteris regionibus, quibus non nisi tamquam Pontifex summus præest, nequaq̄ ex ipsius Maiestate foret: Sicut neq; Solis præstantiam doceret, cum tam maligno lumine, quàm

Aliud argumentum.

Sæcularis potestas Pontificis in terris Romanæ Ecclesiæ peculiaribus diuersa est ab illa potestate, quàm habet in regum principumque terris.

Luna

Luna solet, orbem hunc illustrare. Sic Papa Pœnitentiario suo peccata humiliter confitetur, eiusque sententiæ velut iudicis paret, sed tamquam singularis homo priuatus, non tamquam Prorex, pro tribunali ius reddens. Quanto autem humilioris ministerij sit secularium rerum procuratio, si cum summa & absoluta illa in rebus ad salutem animarum attinentibus potestate ac παμβασιλείᾳ comparetur, quam verbis, *Pasce*, &, *Quæcumq. ligaueris aut solueris*, &, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, Pontifici Christus commisit: neminem præterire potest, qui vel vnius animæ salutem totius orbis lucro multò potiorem esse meminerit. Itaque habet quidem Pontifex summam omnium quoque secularium rerum potestatem (si enim Spiritus siue animas iudicat, quando magis secularia?) nequaquam tamen eum decet, intermissa nobilissima procuratione ad minuta ista descendere, nisi id eum facere animarum intersit. Sic Apostoli Act. 7. *Non est æquum*, inquiunt, *nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, cùm id præsertim per alios facere commodiùs queamus. Sic Paulus 1. Corin. 1. *Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare.* Et tamen Apostoli ius ac potestatem, imò mandatum baptizandi habebant, non minùs quàm euangelizandi. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes & baptizate eas.* Sed primaria ac præcipua eorum functio erat docere, alteram illam baptizandi alijs relinquere poterant. Et tamen non dubitauit Paulus etiam ipse homines baptizare, cùm ita expedire ei visum esset.

Pontificem, vt Pontificem, non decet minuta secularium cura implicari.

Aliud argumentum.

Atque hinc paret, quomodo verba illa Alexandri Papæ III. accipienda sint: *Ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare.* Humiliora nempe sunt ista secularia negotia, quàm vt eorum cura Pontifices occupentur, eaque re minùs rerum maximarum procurationi vacare queant.

Postremò nec illa quidquam nobis negotij facessunt, quę nonnulli eiusdem Innocentij Papæ verba sententię huic opponunt, quod nimirum *is, qui alium in temporalibus superiorem agnoscit, sine illius* FORSAN *iniuria, nisi ipse assentiatur, Pontificis iurisdictioni se subijcere non possit:* cum quo idem Alexander Papa facere videtur. qui rogatus an appellatio à Iudice seculari ad Papam facta, rata sit, siue teneat, respondit: *Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali iurisdictioni subiecti: in alijs verò secundum iuris rigorem credimus non tenere.* Nec enim Pontifices illi quidquam decernunt aut definiunt, sed suam coniecturam simpliciter aperiunt, nemini dissentiendi libertatem abrogantes. Itaque audiamus censeo, quid de toto hoc Appellationum genere Magnis Imperatoribus

ribus Constantino & Carolo videatur, Carolus quidem suo & Constantini nomine in libro *Capitulorum Regum Franciæ*, anno 1588. Lutetiæ edito lib.6. cap.281. hoc modo respondet:

Constantini M. & Carol. Magni de Appellationibus ad Episcopos in causis sæcularibus constitutio.

Volumus atque præcipimus, vt omnes ditioni nostrę Deo auxiliante, subiecti, tàm Romani, quàm Franci, Alemanni, Baioarij, Saxones, Turingi, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vascones, Boneuentani, Gothi, Hispani, ceterique nobis subiecti omnes, hanc sententiam, quam ex XVI. Theodosij Imperatoris libro, cap. XI. ad interrogata Ablauij Ducis, illi & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra Capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum, tàm clericorum, quàm Laicorum posuimus, lege cunctis perpetua tenendam, id est:

Lex Constantini Magni.

Quicumq; litem habens, siue possessor, siue petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporū curriculis, siue cùm negotium peroratur, siue cùm inceperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ legis Antistitis: illicò sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quę in iudicio captiosæ pręscriptionis vincula promi non patiuntur, inuestigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel Prætorio iure, vel ciuili tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur: nec liceat vlterius tractari negotium, quod Episcoporum sententijs deciderit. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cùm testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine consc ientia mentis illibatę protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, vt miseri homines longis ac pœnè perpetuis actionum laqueis implicitì ab improbis petitionibus, vel à cupiditate perpera maturo fine discedant. Quidquid itaque de sententiis Episcoporum Clementia nostra censuerat, & hac iam sumus lege complexi, grauitatem tuam & ceteros pro vtilitate omnium in perpetuum obseruare conueniet.

Hoc iure suo Episcopi vti noluerunt, quod non putarent æquum, se derelinquere Verbum Dei & ministrare mensis.

Ridiculus est Rex Anglus, qui sibi potiùs, quàm istis maximis Impp. obedire Catholicos postulet.

EA T nunc diſſertiſſimus Angliæ Rex, & phaleratis ſuis dictis in ſuam illam rationem inducere vos laboret, vt nullam proſus vllius Iuriſdictionis partem Pontifici in regnis ac prouinciis veſtris relinquatis, neque vos vllo genere inferiores illo exiſtimetis. Sed quemadmodum ipſe Ieroboami Iſraelitici Regis exemplum ſecutus facit, ſe quiſque ſupremum Eccleſię in regno ſuo caput promulgetis: Si tamen tantum in eloquentia ſua pręſidij collocat, vt quid par iſtud maximorum & feliciſſimorum Imperatorum non modò cenſuerit, ſed lege quòque lata ſanxerit, nihil vos moraturos, ſed ſtatim, rebus relictis, ipſius monitis obtemperaturos putet. qui ſi cuius exemplum recitare ſciret, cui id genus contemptus erga ſummum Pontificem atque ſacrilegij, quod vobis conſuadet, ęquè feliciter atq; iſtis Sacerdotum reuerentiam ſucceſſiſſe conſtaret, Deum immortalem! quomodo ille in eo ſe iactaret? quantum inde verbis ſuis pondus acceſſurum conſideret? quomodo illud veræ pietatis præmium diuinitùs tributum interpretaretur? In Edicto quidem, quod primo regni ſui Anglici anno, ſi ſatis rectè memini, propoſuit, Caluiniſmum Anglicum non alio magis argumento ſubditis ſuis commendauit, quàm quod continua tot annorum proſperitas, qua peſſima illa merx Eliſabetha fuiſſet vſa, eum Deo placuiſſe luculenter teſtaretur quod nihilo ſapientiùs dictum videtur, quàm ſiquis propter vnicam ſerenam diem hibernam, hiemem vniuersè apricam eſſe diceret.

Caluinismum Anglicanū Deo placere probat ex felicitate Elisabethæ Reginæ.

Verumtamen quæ eſt iſta tam inuidioſa Eliſabethæ felicitas, cuius cauſa ipſam potiùs in amplectenda tuendaque Hęreſi, & compilanda Eccleſia, quàm Conſtantinum & Carolum Magnos Imperatores in Romanę Eccleſiæ fide ſuſcipienda ac propaganda, ditandoq; clero, & Epiſcoporum auctoritatem ſacroſanctam legibus & edictis reddendo imitari debeatis? Conſiderate, ſi vobis libet, omnemque illius Furiæ fortunam, huiuſmodi quibuſdam caſibus illu-

Eam itaque potiùs imitandā putat, quàm Impp. illos.

Specimina felicitatis Elizabethæ.

1. ſtratam comperietis. *Primum* fuit matris ſuæ ſoror, & aui ſui filia,
2. quod non cuiuis feminæ contingit. *Deinde* ex carcere ad regnum adſpirauit, cùm ad reſtim aut culeum fuiſſet æquius. *Præterea* cùm ſæ-
3. pius peieraſſet, nihilominus qui ei crederent inuenit. *Adhæc* nunquam ei, quamuis iam vetulæ, quorumcumque vellet amatorum co-
4. pia defuit. *Etiamnum* piraticam claſſis eius feliciter exercuit, neque
5. vmquàm cum Neptuno iniquiùs decidere neceſſe habuit. *Hoc am-*
6. *pliùs*, tot miſerorum cædes, imò lanienas, tot excitatas in exterorum regum prouincijs ſediones, tot denique ſacrilegia impunè habuit,

buit, neque vel domesticis, & intestinis, vel aduentitijs & externis causis regnum suum pulsari sensit. *Postremò*, quod omnem, quæ vel voto concipi queat, felicitatem superat, cùm sanctissimam omnibusque animi, ingenij, corporisque dotibus præstantissimam *Mariam Scotiæ reginam* (quam Caluinianus Theologus Kekermannus, *incomparabilis quidem formæ, sed malæ naturæ Bestiam* fuisse in Systemate Politico scribit) solius Catholicæ religionis causa, capite truncasset, eius vnicum filium cùm hereseos, Regniq; heredem, tum actionum suarum prædicatorem, & encomiasten inuenit. Non est quidem obscurum, quid vel Gentilis quispiam, qui sit paulum modò rerum humanarum peritior, de isto successuum prosperorum genere iudicij sit facturus, cùm, vt exiguum eius rei specimen præteriens exhibeam, etiam Cretenses olim, pessimè alioquin Rempublicam suam gerentes, & subindè tumultuari, alijque alios per vim & factionem imperio deijcere soliti, diu nihilominus Rempublicam incolumem seruarint, quod Aristoteles tamen 2. Polit. 8. nequaquam propter bonam reipublicæ institutionem, sed ex euentu, siue *per accidens* factum monet: primùm quidem ratione situs ac loci, quod Creta esset insula, neq; ab externo hoste adiri facilè posset: deinde quòd communis metus vel inimicissimos conciliaret ac coniungeret, atque ad patriam consiliorum viriumq; consociatione ab hoste externo tuendam impelleret, cuius generis conspiratio *Syncretismus* appellabatur, atque in prouerbium abijt, eamq; causam 5. Pol. 5. Aristoteles attingit. Quamuis autem eædem prorsùs causæ Elisabethæ regnum tamdiu incolume, saluumque præstiterint (nam penitùs toto diuisos orbe Britannos non temerè, quis, si ipsi nolint, adierit, & plerosque Anglicorum procerum metus ille, ne sacrilegiorum atq; Heresios causa ad pœnam à Catholicis expeterentur, ad Syncretismum induxit, ex eoque tyrannis Iezabelæ domi forisque constabilita fuit) postulare tamen Rex Iacobus à suis subditis audet, vt id Reipublicæ laudabiliter, atque ex DEI sententia gestæ, veræque fidei ac religionis argumentum certissimum atque inuictissimum esse credant, atque hoc ampliùs vobis, Augusti Principes, vt abrogato ei imperio, quem Christus loco suo *Regem super Sion montem sanctum suum constituit, ac prædicare præceptum eius, & Reges intelligere, atque erudiri, & disciplinam eius apprehendere recusantes virga ferrea regere* iussit, in vnum omnes secum conueniatis, & Ecclesiæ thesauros sacrilegè inuadatis, *eiusque carnes comedatis* (sic enim tamquam famelicus ille loquitur

7.

Quid sapiens quispiam Gentilis de ista felicitate iudicaturus sit.

Regni Angliæ cum Creta comparatio.

Consilij Regis Angliæ stoliditas & impietas.

quitur) *ipsamq; igne comburatis*, tamquam dicat, quod Prouer. 1. Sapientia cuicumq; filio suo dicturos Hæreticos prænuntiat: *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, Veni, nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem* (iurisiurandi carmine captiosè concepto incautos populos, in errori: nostri societatē pertrahamus) *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs, sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum, Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Ipsi enim contra suum quoq; sanguinem insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.* Vsq; adeò *semitæ omnis auari* (bonis Ecclesiarum inhiantis) *animas possidentium rapiunt*, & in seruitutem sibi addicunt, vt neque verbo, neque opere Dei inde liberari possint, quemadmodum mox eosdem compellans Sapientia: *Vocaui*, (inquit) nempe *in capite turbarum*, siue, per os eius quem constitui in caput gentium, Ouesq; meas scientia ac doctrina iussi pascere, *Vocaui* verbo *& renuistis. extendi manum meam* (extento brachio mirabilia multa feci) *& non fuit qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationem meam neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm id, quod timebatis, aduenerit.* Quid illud sit, quod Rex Angliæ timet, ipse viderit: ego quidquid timet, nisi impietati suæ, alio timore concepto, nuncium remiserit, indubitatè ei euenturum presto. *Quod timet impius, veniet super eum*, Prouerb. 10. Cæterùm quàm sit nō modo impium eius, quod vobis dedit, consiliū, sed etiam singulari vesania atq; amentia plenum, ac plusquam Abderiticum, id secunda hac parabola vsq; eò declaratum arbitror, vt id nemini, quantumuis hebeti & obtuso, dubium aut obscurum esse possit. Quæ enim salus seruare regnum illud possit, in quo nemo legibus & institutis patrijs, nisi quæ scripto comprehensa sunt, obtemperet, scriptas porrò leges suo singuli modo & arbitratu interpretentur, Magistratui ac Iudicibus neq; psephismatis vllius, siue decreti aut edicti, pro necessitate rerum subinde emergente, neq; æquitatis ad legum relaxationē necessariè potestatē relinquant, vno verbo sic se gerant omnes, quemadmodum in Anglia, qui ei sit inimicissimus & extrema quæq; mala precetur, gerere se Regis Iacobi subditos & optet & gaudeat? Quare satis vos excusatos esse paret, qui consilio Regis Angliæ tam insipienti, nequaquam vtamini. *Sapientissimū esse dicunt eum* ait Cicero in Cluentiana) *cui quod opus sit facto, ipsi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperat. In stultitia contra est minùs enim stultus est is, cui nihil in mētem venit, quàm ille, qui quod stultè alteri venit in mentem, comprobat.*

Vera Religionis ad filios suos monitio.

Consilium Regis Angliæ omnium Politicorum iudicio absurdissimū videri oportet.

PARA-

PARABOLA TERTIA.

HIc autẽ rursum vobis, Augusti. Principes, in memoriam reuocatum velim, quod supra testatus fui, me stultitiam non huius mundi in Britanniæ Rege notare (quippe cui nec ingenii, nec literaturæ pœnitendum putem) sed stultitiam, quam Deus propriè *Principibus, qui vident visiones* & Apocalypsin intelligere se credunt, *Isai*.29. velut ostendi, comminatur. Atque haut scio an illa sæcularium literarum copia vel maxima tantæ cæcitatis Regi causa sit, ac propterea in illum cadat, quod *Isai*. 47. scriptum est: *Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te*. Parum certè, si quis consideret, abesse videbitur, quin quæ *Ezech*.28. in Tyri Regem dicta legimus, in hunc Insulanum Regem conueniunt: *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi in corde maris* (Ecclesiæ Anglicanæ caput) *cum sis homo & non Deus* (Ouis, & non Pastor) *& dedisti cor tuum quasi cor Dei Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum à te* (videris tibi alter Daniel, *qui spiritum sanctorum Deorum habeas in te, & omne sacramentum non sit impossibile tibi, & scientia intelligentiaque & ostensio secretorum ac solutio ligatorum in te inueniantur* velut in Daniele, quæ causa est, cur neminem ex omnibus sanctis Patribus ac Doctoribus Apocalypseos mysteria intellexisse, teque primum aut inprimis, quid iis significetur, perspexisse palàm præ te ferre audeas) *Eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam in decore tuo*. tanquam dicat: regni splendore illo fortunaque dulci dementatus, ipsum quoque sensum communem in iis, quæ ad fidei negotium pertinent, intelligendis perdidisti. Et hactenus quidem pulchrè vtrisque conuenit. Ipsius porrò Regis nostri maximè interest, prouidere, ne longius contexi comparatio isthæc possit, neu quoniam moribus suis Regem illum Tyri reddit exitum quoque similem faciat, sibique quod ibidem legimus, prædictum esse serò intelligat: *Producam ignem de medio tui, qui comedat te*.

Regi Angliæ non adimo laudem prudentiæ sæculi.

Sed cæcitatem ei, diuinitus obiectam puto.

Ob sapientiæ opinionem.

Et sensu communi in rebus sacris orbatum.

Quantum porrò in omni suo, quod vobis dedit consilio, ratiò eum fugerit & ridiculum (si quis tamen in tanti re momenti risui locus est) effecerit, id mihi XX. aliis parabolis similiter ex sacra scriptura petitis in procliui esset docere: quarum etsi supra cap. 51. 58. &

Plures parabolas supra promissa.

& 122. spem feci, cùm tamen Francofurtensis mercatus propè instet, temporis exclusus angustiis promissi fidem implere iam nequeo. Fore nihilominus confido, vt alius liber, quem *Icones Ecclesiæ* inscripsi, quorum iam dissolutio differtur, fœnerató representet. Interea quoniam hoc libro non tam officii vos commonefacere (quos eiusmodi operæ non egere sciam) quàm existimationem vestram tueri propositum habeo, vnam adhuc parabolam in medium afferam, qua si minùs pertinaciam & errorem Regis expugnabo, illud quidem certè, quemadmodum spero, conficiam, vt vos, quòd eius librum recipere noluistis & consilium repudiastis, nihil neque pietate, neque prudentia vestra alienum fecisse, omnes, nisi palàm insanos, fateri oporteat.

Alio libro repræsentabuntur.

Igitur hinc nobis parabolæ ducatur initium, quod Iob 12. scriptum extat. *Interroga iumenta, & docebunt te.* Cum enim nos Christiani, Dei iumenta, siue pecora, subiugalia simus, tanquam equi aut muli, siue Asini clitellarii, veterini, dossuarii, sarcinarii aut sagmarii, Iumentorum exemplo, quid facere nos conueniat, commonefieri debemus, Frenos nempe pacienter accipere & sequi, Iugum æquo animo sustinere, Onus aut sarcinam à Mulione aut Agasone impositam vehere aut portare, aduersus Muliones aut Iugarios stimulis nos instigantes non calcitrare neque aut frenos discutere aut iugo collum eripere, aut lorum siue vinculum, quo alligati sumus, abrumpere, aut onus excutere sarcinamque abiicere, aut procul à mulione profugere. Ista enim omnia faciunt *Onagri* seu siluestres asini, & effreni equi, aliaque iumenta effera & indomita, hoc est, Hæretici & Schismatici, qui *Pecora irrationabila* 2. Petri 2. dicuntur iumenta scilicet quibus non est intellectus. Nos autem esse iumenta cum intellectu siue intelligentia & ratione vti oportet, omem humilitatem obedientiam & patientiam erga Episcopos præstando. Illi enim sunt Homines, siue Agasones, Muliones, Iugarii, illi nos frenant, nos loro alligant, nos agunt, nos stimulant, (*Verba enim Sapientum, sicut stimuli, quæ per Magistrorum Concilium data sunt à pastore vno,* Eccles. 12.) nobis iugũ & onus imponũt, hoc est, quid credendum quidue faciendum sit, præscribunt. His qui propter superbiam esse dicto audiens recusat, est velut Asinus calcitrosus ac fugitiuus, quem Satan *freno erroris,* siue falsa scripturæ interpretatione frenat & per præcipitia periturum auertit.

Ecclesiæ cum Mandra asinorum comparatio.

Hæretici quale sint Asini Cuiusmodi Asini simus nos Catholici.

Muliones seu Vecturarii aut Vectuarii nostri

Ierem. 31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus,& ſeminabo domum Iſrael ſemine hominum, & ſemine Iumentorum] Igitur in Eccleſia alii ſunt velút *Homines* aut Muliones, nempe Paſtores & Epiſcopi, quos *Homines Dei* Paulus vocat: alii ſunt ſimiles *Iumentis*, ſed intellectu præditis, hoc eſt, manſuetis & morigeris,quæ faciant, quod Hebr. 13. præceptum eſt: *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis.* Et Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Tollite iugum meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Aliter qui faciunt, ſunt iumenta ſine intellectu, de quibus loquitur Pſal. 31. *Intellectum tibi dabo & inſtruam te in via, qua gradieris* (nempe per Homines ſiue Agaſones meos) *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, qui non approximant ad te* (ſed excuſſo freno & rupto vinculo atque onere abiecto fuga ſe proripere conantur. quorum propterea) *in chamo & freno maxillas conſtringere* (duro eos lupato coërcere &) *multa flagella peccatori infligere* ac lumbos eius fuſte iligno probè dedolare oportet. Iſai. 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui. Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit* id eſt, factus eſt aſinus ſine intellectu refractarius, calcitroſus ac fugitiuus. Iob 11. *vir vanus in ſuperbiam erigitur, & velut pullus Onagri ſe liberum natum putat.* Deuter: 32. *Impinguatus & incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: dereliquit Deum & receſsit ab eo.* Ierem. 2 *Confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam.* Tales aſini effreni, Reges ac Principes illi Pſal. 2. deſcribuntur, qui conſpiratione aduerſus Dominum & aduerſus vnctum eius facta ſic ſe mutuò cohortantur: *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* id eſt (velut ex poſterioribus Pſalmi verbis diſcimus) *ne apprehendamus diſciplinam, ne erudiamur, ne intelligamus*, ſiue, ne diſcamus ab illis, quod ſit *Præceptum Dei*, nec ſic intelligamus ſcripturas, quemadmodum ipſi præcipiunt. Quid porrò euenire ſoleat eiuſmodi aſinis, qui abrupto obedientiæ vinculo profugiunt, neque intelligere aut à Sacerdotibus, hominibus Dei, diſciplinam apprehendere volunt, id hæc comminatio ibidem ſignificat: *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via.* Fit nimirum, vt iumenta profuga à Prædone ſeu Diabolo in poteſtatem redacta, freno eius accepto, de via in auia loca ac præcipitia deducantur miſereque intererant. Frenum illud Diaboli deſcribitur Iſai. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ad perdendum*

Aſini intelligentis officium

Hæretici ſunt Aſini ſine intellectu.

Aſinitas Hæreticorum.

Regum & Principum Hæreticorum Aſinina conſilia.

Eorum Conſiliorum euentus.

frenum

frenum erroris, quod erat in maxillis populorum. Hoc verò frenum à Diabolo, ſpiritu erroris *in os eis mitti ad conſentiendum illi* (velut Iacob 3. de equis loquitur) Paulus 2. Tim 2. docet, vbi eos, *qui reſiſtunt* Epiſcopis nec veritatem poſſunt cognoſcere, *à Diabolo laqueis ait captiuos teneri ad eius vountatem.* Id quod & hæc Salomonis verba confirmant Prou. 5. quæ ſupra cap. 27. declaraui. *Quæ cauſa eſt, quod ſeduceris ab aliena & foueris in ſinu alterius?* (ſiue, quod Diabolus frenum erroris aut Hæreſin in os tuum immiſit, teque nunc regit, agit & ducit, quocumque vult? Hæc eius rei cauſa eſt, quia) *reſpicit Dominus vias hominis & omnes greſſus eius conſiderat* (ſi nempe nolit in ea via ingredi, in quam ab Epiſcopo & Doctore ſuo agitur aut dirigitur, eum à Diabolo inuadi & ligari abducique patitur) *iniquitates ſuæ capiunt* (ſiue, capi à Diabolo faciunt) *impium, & funibus peccatorum ſuorum constringitur. Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.* id eſt, velut Aſinus ſtultus & ſine intellectu noluit diſcere ab Agaſone ſuo, quæ ipſi via tenenda eſſet, ſe ipſum ſatis ſapere nec Epiſcopi doctrina opus habere credidit, quæ eſt ſumma ſtultitia. Prou. 11. *Via ſtulti recta in oculis eius: qui autem ſapiens eſt* (ſaltem ſecundo ſapientiæ genere) *audit conſilia,* nempe ab iis, qui Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum presbyterii acceperunt, vt Mulionis officio fungi, & cùm conſilium faciendi ſubiicere, tum quid credendum faciendumque ſit præcipere, quod eſt quaſi freno regere & onus imponere, cuius rei exemplo ſunt Apoſtoli 1. Cor. 7 *De virginibus præceptum non habeo conſilium autem do. Beatior erit vidua, ſi celebs permanſerit, ſecundum meum conſilium. Puto autem, quod & ego ſpiritum Dei habeã.* 1. Theſ. 4. *ſcitis quæ præcepta dederim vobis: quæ qui ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deũ, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis.* Act 15. *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vl ra imp nere vobis* ONERIS, *quam hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis, ſanguine & ſuffocato.*

Bonæ frugi & intelligens Aſinus audit conſilia & præcepta, ſiue directionẽ ſui Mulionis.

Apparet igitur quàm verè Aſinus ſine intellectu ſit Angliæ Rex, qui neque frenum mordere neque vllum onus pati ſibi imponi à Pontifice poteſt, & vobis inſuper exemplo ſuo faciendi auctor eſt, ac, niſi fallor, non mediocriter ſuccenſet, quod iſtam Aſininam ſuam Sapientiam tam pertinaciter auerſemini, neque perinde, vt ipſe calces validos in Papam & Epiſcopos extollatis, longeque aliam, quàm illi velit viam cùm ipſi inſiſtatis, tum ceteros Aſinos, qui ſonitum tintinabuli de collo veſtro pendentis perſequuntur, ingredi faciatis. Sed enim *Carolus Magnus* haut paulò maior & ſapientior Aſinus fuit quàm

Aſinitas Regis Angliæ.

Reges Catholici ſunt Aſini cum tintinabulo.

Rex noſter: minmè certe vmbraticus, quamuis omnium ætatis ſuæ Græcè & Latinè, tam verſa oratione, quàm ſoluta doctiſſimus, quo nolim tam valde ſibi Rex Iacobus placeat, vt ſe doctiorem eſſe putet. Etſi etiam idem crura minimè imbecilla habebat, nunquam tamen in Pontificem, ſed potiùs ſemper in hoſtes eius calcibus velitatus fuit, ac fortaſſe plures in prælio homines armatos, quàm Iacobus noſter, inter venandum feras confecit. Is porrò Aſinus tantus longiſſimè abeſt, vt illud Iacobi Regis carmen probet: *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* Sed potius quanta maxima poteſt voce & contentione vniuerſæ Aſinorum mandræ talis auctor eſt: *In memoriam B. Petri honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam ſedem. Seruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur IVGVM, tamen feramus & pia deuotione toleremus.* Ex quibus verbis verum Iſſachar agnoſcas, de quo eſt Geneſ. 49. *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos, non profugiens. Suppoſuit humerum ſuum ad portandum.* Itaque quamuis literarum laude Angliæ Regi pares non ſitis, neque libris edolandis hominum de ſchola plauſum clamoremque captetis, nequaquam tamen futurum dehinc videtur, vt vobis aliquanto plus Carolo Magno, quam Anglo, tribuiſſe, & illius potiùs, quam huius conſilio vſus eſſe, inſipientiæ ac ſtoliditatis notam inurat, ac non potiùs multum vos vidiſſe, ac ſumma ratione feciſſe, iumenti denique bonæ frugi & intelligentis officio functos eſſe teſtatum apud omnes relinquat.

Carolus Magnus cuiuſmodi Aſinus fuerit.

Patientia Magni illius Aſini

Catholici Reges potiùs Caroli Magni, quàm Angli conſilium ſequuntur.

CAPVT CXLVIII.

SEd hic nõnullos etiam ex Catholicis exaudire videor: Quid igitur? Si Homines illi, quos Deꝰ in honore poſuit, & Muliones, vel Agaſones aut Iugarios conſtituit, etiam ipſi non intelligant, ſintq; ſimiles iumentis, vel etiam inſipientiores, quemadmodum Pſal. 48. ſcriptum eſt: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis*: num tandem Iumentis vitio iure dabitur, ſi aduerſus illos recalcitrent, ſi frenos abrumpant nec diſcuſſos reponi ſibi patiantur, ſi iugum excutiant, ſi ſarcina, effuſa aut proiecta ſe proripiant? Opinor autem eos, qui prælatis propter ipſorum vitia debitam obedientiam negant, vt nihil aliud dicam, vel ex genere ac formula verborum, quibus rationem eorum complexus

Si Muliones ipſi ſint nullius pretii, quales erga illos Aſini eſſe debeant

Nos non ſumus Aſini Papæ & Epiſcoporum.

sui, quam absurdè disputent, intellecturos. Pontifex & Episcopi non Domini nostri sunt, sed eiusdem heri homines siue serui, cuius & nos iumenta sumus: neque nos illorum, sed Dei sarcinas vehimus, hoc est, quicquid boni facimus, non propter ipsos, sed in Gloriam Dei facimus, tantoque Deo gratiores erimus, quanto maior cuiusque sarcina fuerit, hoc est, quo plus quisque bonorum operum fecerit. *Qui parcè seminat, parcè & metet: qui seminat in benedictionibus* siue largè & liberaliter, *de benedictionibus & metet*, 2. Corinth. 9. Itaque diuites monet Apostolus 1. Tim. 6. *diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Est autem eiusmodi bonorum operũ fide factorũ thesaurus, non aliter noster, quam sicut Iumentorum Regiorũ, Gazam Regis deuehentiũ sarcinæ dicũtur, quas quæq; portant, cùm reuera oẽs illę sarcinæ ad Regis thesaurum pertineant. Itaq; Paul 1. Cor. 4 *Quid habes, inqt, q non accepisti?* Et Philip. 2. *Deus est q in nobis operatur & velle & perficere.* Et Christus Ioh. 15 *Sine me nihil potestis facere.* Et Ose 14. *Ex me fructus tuus inuentus est.* Et Isai. 26. *Omnia opera nostra, Domine, operatus es in nobis.* Nihil ergo mirandum est, opera nostra Deo grata & instar thesauri esse, cùm ipse ea operetur, nobisque velut onus suum in via sua, hoc est, in veræ fidei & sacramentorum comunione deferenda imponat: Psal. 115. *Calilicem salutaris accipiam* (id est, prompto animo sustinebo omnes calamitates, sicut Christus Matth. 20 *calicem meum bibetis, quem ego bibiturus sum,* id est, patiemini persecutiones, sicut & ego) *& nomen Domini inuocabo. Vota mea reddam Domino coram omni populo eius. Pretiosa in conspectu Domini Mors sanctorum eius.* id est, Deus mortificationes carnis, omniaque bona opera suorum seruorum grata & instar magni thesauri habet. Philip. 4. *Repletus sum Eleemosynis, quas misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Heb. 13. *Benificientiæ & communionis nolite obliuisci. talibus enim hostiis promeretur* ac propitiatur *Deus.* Sic igitur manifestum est, *Onus*, quod nos Dei iumenta vehimus, esse *præcepta Dei* de Deo super omnia, & proximo propter Deum diligendo. Non minùs autem Muliones nostri quàm nos, suum onus portant, siue, non minùs legibus Dei tenentur, atque adeò hoc amplius tàm de iumentorum sarcinis, quam de Domini Bulga, indulo aut pera ipsis commissa & imposita rationes exigũtur. Itaq; Paulus Episcopos & sibi, & gregi siue doctrinę attendere iubet Act. 20. *Attẽdite vobis & vniuerso gregi, in quo vos*

Sed Dei, cuius & thesaurum vehimus.

Sarcinæ quas vehimus pertinent ad Dei thesaurum.

Sarcinam vehere nihil est aliud, quam multa bona opera facere.

Onus nostrum.

Onus ipsorum Mulionum.

spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. 1. Tim. 5. *Attende tibi & doctrinæ. insta* seu perseuera *in illis. hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* Quod si autem doctrinæ tantùm siue Gregi, non etiam sibi attendat Episcopus, hoc est, si rectè quidem credat recteque doceat, charitate verò excidat, neque faciat, quæ facere alios docet, saluabuntur quidem qui eū audiunt eique obediunt, sed ipse reprobus efficietur .1. Cor.9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo ne fortè cum aliis prædicauerim* eosque vera fide imbutos & ad charitatis opera verbis meis impulsos saluauerim, *ipse reprobus efficiar.* Eiusmodi namque Episcopus, qui rectè quidem suos in fide & moribus instituit, ipse autem sibi parum attendit, neque doctrinæ conuenienter viuit, similis est Mulioni, qui iumenta quidem fidei suæ commissa rectè curat, & impositas eis sarcinas, quo Dominus iussit, saluas & incolumes peruehit, Bulgam verò Domini sui, quam ipse mulo Mariano, id est, tergo suo aptatam perferre iussus erat, propter pigritiam abiicit, aut ex negligentia & incuria amittit. quis huic curam iumentis impensam prodesse credat, si patroni non minùs Bulgam Mulioni creditam, quàm sarcinam cuiusque iumenti saluam esse intersit? *Quid prodest homini, si vel sibi* vel Deo *vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum faciat?* Matth 16. *Si linguis hominum loquar & Angelorum* (ait Paulus 1. Cor. 13.) *& si habuero omem prohetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem sciētiam, & si habuero* OMNEM *Fidem, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Charitas enim, siue impletio aut *plenitudo Legis* (*qui enim diligit proximum, legem impleuit,* Rom. 13.) est omnium charismatum siue donorum Spiritus sancti maximum, ac propterea, *Spiritus Principalis* ἡγεμονικὸς quasi familiam ducens dicitur, de quo Dauidi magis quàm de spiritu prophetiæ & Sapientiæ curæ erat. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi,* inquit Psal. 50. At enim hæc, nisi charitatis Spiritum habuero, nihil mihi prosunt. Itaque. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in visceribus meis. spiritu principali confirma me* Ita Balaam Spiritu Prophetiæ tam insigniter ornatus, erat, vt nullo sanctissimorum prophetarum inferior videri deberet. Numer. 28. vocatur *auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam Altissimi, & visiones omnipotentis videt.* Et Num. 22. *Noui,* ait ei Rex Moab, *quod benedictus sit cui bene dixeris, & maledictus, in quem maledicta*

Muliones non tantū Asinos onerant, sed etiam ipsi onus portant.

Si suum onus non portent, nihil eis prodest Asinorum curā habuisse.

Charitas quàm sit necessaria.

Donum charitatis est spiritus principalis.

Balaam habet spiritum prophetiæ sine spiritu charitatis.

congesseris. Spiritum tamen charitatis simul non habebat, quippe qui dono illo prophetiæ gratis accepto ad quæstum abuteretur, & Idola coleret, tum lucri causa consilium Regi Moabitarum suggereret Israëlitas per mulieres Moabiticas in fraudẽ illiciendi. Exemplo etiam nobis est Episcopus Ephesinus, ad quem sunt ista Christi verba Apocalip. 2. *Odisti facta Nicolaitarum, non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* Apparet eum Gregi & doctrinæ præclarè attendisse, qui Hæreticis tam acriter restiterit, quodque suos subditos ab illis deprauari prohibuisset, multa ab eisdem passus fuerit. Hoc erat fungi boni pastoris & boni Mulionis officio, non pati scilicet oues à lupis rapi & dispergi, neque Iumenta sua à via abduci & ab aliis frenari. Idem tamen sibi ipsi parum attendebat, & Bulgam patroni sui per indiligentiam amiserat: *Sed habeo aduersum te* (ait Christus) *quod Charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac.* Atque eandem ob rem Christus se pro Petro, non vt non deficeret Charitas eius, sed *vt non deficeret fides eius*, rogasse testatur, quod scilicet iumentorum non magnopere intersit Mulionem suum Bulgam sibi commissam non amittere, siue Pontificem summum Charitate non excidere (nam ipsius id refert maximè, neque sicut ille pro sarcinis iumentorum, sic iumenta pro Bulga Mulionis curam gerere necesse habent) sed Fides aut doctrina vera sine certissima subditorum peste ac pernicie in Pontifice deficere non potest. nam ab illo disciplinam accipere, legem, & scientiam ex ore illius requirere, ab eo scientia & doctrina pasci, & in fide confirmari, ei obedire ac subiacere iussi sunt. *Vos scitis* (ait Petrus Act. 15.) *quoniam per os meum elegit Deus Gentes audire verbum Euangelii & credere.* Si ergò possit verbum Dei ab ore eius recedere, id est, si possit ille falsum docere, certè Gentes Mendacium credere cogerentur, & frenum erroris acciperent, atq; à vera via abducerentur. Atqui est *hoc fœdus* Dei cum Ecclesia, vt *spiritus* veræ fidei, siue *veritatis, qui per os Petri Gentes in omnem veritatem deducat, ab ore eius, & seminis siue successoris eius in sempiternum non auferatur*, velut allatis in medium scripturæ verbis supra cap. 55. pag. 180. & seqq. docui. Atq; hinc etiam perspicuũ fit, quam verũ sit, quod Paulus Heb. 8. scribit. *Nouũ hoc fœdus cum*

Episcopus Ephesinus spiritum scientiæ & doctrinæ habebat recteque suos pascebat.

Sed charitate exciderat.

In Pontifice charitas deficere potest, sed non Fides: illa quã docet, quaque alios confirmat

Quia Deus vult ex ipsius ore Fidem requiri.

eum Ecclesia in melioribus repromissionibus sancitum esse, & quia vetus culpa non vacauerit, propterea inquisitum fuisse secundi locum: Cui etiam probando verba Ierem. 31. laudat: *Feriam eis fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, cum educerem eos ex Ægypto, pactum quod irritum fecerunt.* In quam eandem sententiam multo plura prophetarum verba adduci potuissent. V. g. Ierem. 32. *Feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem dabo in corde eorum, vt non recedant à me, & plantabo eos in VERITATE in toto corde meo, & in tota anima mea.* Zach. 8. *Reuertar ad Sion & habitabo in medio Ierusalem: non iuxta dies priores ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus: sed semen pacis erit.* Ezech. 36 *Replebo vos montes Israel hominibus & iumentis, & habitare vos faciam sicut à principio, bonisque donabo maioribus, quàm habuistis ab initio.* Aggæ. 2. *Implebo domum istam gloria, & magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quam primæ.* Quomodo verò irritum factum fuerit Fœdus antiquum cum Iudæis pactum, hinc discimus. Iohan. 5. ita Pharisæis & scribis loquitur Christus: *Quomodo vos potestis credere Scripturis de me testantibus, etiamsi eas scrutemini & vitam æternam in ipsis habere vos putetis, cùm gloriam ab inuicem accipiatis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæratis? Cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Et Luc. 11. *Tulistis,* siue accepistis *clauem scientiæ: ipsi nō introistis, & eos, qui alioquin introibant, prohibuistis.* Id est, accepistis quidem gratiam docendi & scripturas interpretandi, adeoque me Messiam esse ex scripturis cognoscere & in me credere poteratis. Sed quoniam auaritiæ & ambitioni dediti estis, eoque nomine à me reprehensi maximum erga me odium concepistis, adeò vos excœcauit affectus vester, vt neque clarissimas prophetias, quæ de me loquūtur, intelligere queatis. Sic nō modò ipsi nō peruenistis in cognitionem mei, sed alijs etiam, Scripturas falsò eis interpretando, ne me cognoscerent & in me crederent, impedimento fuistis. Act 13. *Principes habitantium in Ierusalem ignorarunt Iesum & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur.* Hoc autem ita eis euenturum, olim Prophetæ prænunciarant. Ezech 7. *Quærent visionem de propheta, & Lex peribit à Sacerdote & Consilium à senioribus.* Ierem. 10. *Tabernaculum meum vastatum est, filij mei exierunt à me & non subsistunt, quia stultè egerunt Pastores, & Dominum non quæsiuerunt* (dilectionem Dei in ipsis non habuerunt, sed quæsiuerunt gloriam ab hominibus & lucro inhiarunt) *propterea non intellexerunt & grex eorum dispersus est.* Sic ergo irritum factum fuit Fœdus, quod Deus cum Synagoga pepigerat: quia nimirum Consilium Sacerdotum, & ipse quoque summus

Ecclesia multò meliores promissiones habet, quam olim Synagoga.

Nā fœdus cum Synagoga factū fuit irritum.

Quia Sacerdotes simul cum charitate donū fidei & scientiæ amiserunt.

Et alios quoque perperam docuerunt.

Sicut futurum Prophetæ prædixerant.

Pontifex, auaritia & ambitione excœcati non videre neque intelligere Scripturas de Christo loquentes potuere, *volentes diuites fieri & esse Legis Doctores, inciderunt in tentationem & laqueum Diaboli, bonamque conscientiam repellentes circa fidem naufragauerunt*, 1. Tim. 1. & 6. illis etiam *Diaboli laqueis capti, Veritatem non cognouerunt & restiterunt*, 2. Tim. 2. Itaque Diabolus Luc. 22. Similibus laqueis, nominatim verò Ambitione illa queare Apostolos conatus fuit, vt idem scilicet mox Ecclesiæ, quod Synagogæ vsuueniret. *Facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse maior*, id est quis esset caput ceterorum & Christi Vicarius futurus postquam Christus è terris excessisset. Fore namq; prædixerat, vt post hac non biberet cum illis, donec regnum Dei venisset. Sperabat nimirum Satan excusso Episcopis charitatis Spiritu per rerum caducarum cupiditates, etiam de Fide illorum actum fore, ipsosq; similiter vt Leuiticos Sacerdotes Veritatẽ non cognituros & naufragio circa fidem facto simul cum illis, quos ipsi, velut naucleri naue sua veherent, pessum ituros. Sed Christus precibus suis maiora dona Ecclesię suæ, maioremq; gloriam, quàm Synagoga habuisset, impetrauit, vt nimirum summi Pastoris Fides nullo vnquam tempore deficere, neque is nauem Ecclesiæ in erroris scopulos impingere queat, velut ibidẽ Christus confirmat: *Simon, Simon, ecce Satanas* immissa contentione *expetiuit vos vt cribraret sicut triticum* (vt vos tentaret, si forte facere posset, vt excideretis, sicut Amos 9. *Concutiam domum Israel, sicut concutitur in cribro*, & illi quidem, qui sunt improbi ac leues velut puluis, excident, *sed non cadet lapillus super terrã*, siue, *Granum*, vt habent 70 nullũ ex cribro, dum concutitur, excidet.) *ego autem rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua, & tu conuersus confirma fratres tuos.* id est, tu cõuerte curam tuam ad ceteros Christianos, in primis Pastores & Episcopos, eosque in fide cõfirma, vt cum subditi eorum scierint, eos à te, cuius Fides deficere nequit, cõfirmatos esse, faciliùs verbis eorũ credant & obediant.

Diabolus sperauit se Ecclesiæ Prælatis cũ charitate simul Fidem erepturum.

Sed Christus precibus obtinuit, vt saltem Pontificis fides numquam deficeret.

CAPVT CXLIX.

CVM igitur in tanto melioribus & amplioribus repromissionibus sancitũ sit Nouum Testamentum, & culpa illa vacet, qua non vacauit Vetus (illud enim Sacerdotes irritum fecerunt, & simul cum charitate Fidem quoque siue veram Scripturæ intelligentiam amiserunt, hoc vero irritum fieri non potest, cùm summi Sacerdotis nostri Fides deficere nequeat, etiamsi à Charitate exciderit) quanto magis

Ecclesia Episcopi quamuis vitiosi in moribus, Fide tamẽ non propterea excidunt.

ita

ita nos erga noſtros Paſtores gerere debemus, quemadmodum Chriſtus turbas & diſcipulos ſuos erga ſcribas & Phariſæos gerere ſe docuit? Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt* (inquit) *ſcribæ & Phariſæi.* (id eſt, ſunt ſucceſſores Moyſis, præſunt officio illi, ꝙ Moyſes Deut. 17. inſtituit, vt nimirum faciant omnes quod illi Sacerdotes Leuitici generis dicũt, & iuxta illum ſenſum Legis, quẽ docent, vtq; nolens eis obedire, moriatur) *Omnia ergò, quæcumq; dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecũdum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant onera grauia & importabilia, & imponũt* (ipſi velut Muliones) *in humeros hominũ: digito autẽ ſuo nolunt ea mouere* (id eſt, exactiſſimam Legis obſeruantiam alijs præcipiunt, ipſi verò minimè omnium Legẽ ſeruant) *Omnia verò opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus* (id eſt, ſi tamen aliquid boni quoq; faciunt, ſuæ gloriæ cauſa faciũt, vt ꝓ ſanctis habeantur.) *Comedunt domos viduarum, orationes longas orantes* (id eſt, auari ſunt & quæſtum ex pietate faciunt) *decimant mentam & anethum & cyminum* (id eſt, decimas olerũ perſoluunt, ꝙ tamen lege pręceptũ eis non eſt) *relinquunt autẽ, quæ grauiora ſunt Leges, iudicium & miſericordiam & fidem* ſiue candorẽ & integritatẽ. *Mundant quod de foris eſt calicis & paropſidis, intus autẽ pleni ſunt rapina & immunditia, hypocriſi & iniquitate* (munditiam & ſanctitatem in externis tantùm rebus poſitam putant) *Aedificant & exornant ſepulchra prophetarũ,* ſimulantq; ſibi diſplicere, eos à patribus ſuis occiſos eſſe, cùm tamen reuera potiùs memorię patrũ ſuorũ, qui eos occiderunt, cõſulant, quibus glorioſum putant, ſi dicatur: Hoc eſt monumentũ Zachariæ, quẽ patres noſtri interfecerunt. Prętera nonnulla, quę Lege diuinę imò ſenſui cõmuni aduerſentur, pręcipiunt, cuiuſmodi eſt, ꝙ eum, qui per donaria & hoſtias, quæ in templo offerũtur, iuratus aliquid ꝓmiſerit, teneri: illum autẽ, qui per templũ aut altare iurauerit, non teneri docent: ſimiliter alimenta, quibus parentes opus habent, in ſacrificiorũ impenſas conuerti poſſe, neque parentibus deberi, & peccare ac contaminari, qui cibos alioqui lege non vetitos ſine crebra manuum lotione comedunt, tanquam natura ſua immundi forent. Huiuſmodi verò eorum error & cœcitas in doctrina ex ambitione ſiue Hypocriſi & vanæ gloriæ aucupio, partim etiam ex auaritia ortum habet, eſtque Hypocriſis inſtar fermenti, quo multa eorũ p̃cepta fermentantur & corrũpuntur. Cùm ergò vobis p̃cipio, ne faciatis ſecundũ opera, maximè Hypocriſin eorũ ſimul vt hoc eorũ fermentũ, ſiue doctrinam hypocriticam, caueatis moneo. Mat. 16. Cauete à fermẽto Phariſęorũ, id eſt, à doctrina, q̃ nempe mo-

Plus ergò eis obediendum, quã Leuiticis Sacerdotibus olim debuit.

Cuiuſmodi fuerint Sacerdotes tempore Chriſti.

Eorum errores in doctrina à moribus orti.

Pars doctrinæ eorum erat hypocriſi fermentata.

ribus ſiue exemplo ſuo tradunt. Marc. 8. *Cauete à fermento Phariſæorum & à fermento Herodis.* id eſt, nolite eorum diſcipuli eſſe in hypocriſi & ſimulatione. Herodes enim non docebat verbis, ſed moribus. *Erat vulpes* & emolumenti ſui cauſa religionem ſimulabat. Luc. 12. *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt Hypocriſis.*

Et eatenus cauenda.

Ceterùm cùm vobis non fermentum malitię & nequitiæ, ſed panes azymos ſinceritatis & veritatis manducandos anteponunt, hoc eſt, cùm vos docent ea, quæ nihil ex eorum moribus malitię trahunt (quod quidem obſcurum eſſe non poteſt) quæcumque dicunt vobis facile, & onus, quod vobis imponunt, quantumuis graue, ęquis animis recipite & portate.

In ceteris obediendum eis erat quāuis difficillima præcipientibus.

Sententia, quæ Chriſtum condemnarunt, fuit fermentata

Dicet hic quiſpiam: Summus Pontifex cum vniuerſa Synodo non multò poſt hanc Chriſti cohortationem, doctrinam eius velut blaſphemam condemnauit, eumque morti addixit: *Blaſphemauit, reus eſt mortis.* An igitur ſententiam eius ſequi turbæ debuere? Nequaquam. Conſtabat enim hanc ſententiam eſſe fermentatam inuidia & hypocriſi, quemadmodum de ipſo etiam Pilato Matth. 27. Scriptum eſt: *Sciebat, quod per inuidiam tradidiſſent eum. Quid faciemus?* (aiunt Pontifices & Phariſæi in Concilio Ioh. 11.) *quia hic homo multa ſigna facit*, adeò vt etiam mortuos ſuſcitet. *ſi dimittimus eum ſic*, nec occidimus, *omnes credent in eum.*

Fermento Inuidiæ
Et Hypocriſis.

Hic apparet inuidia. Verebantur enim, quoniam ſibi ſuorum ſcelerum conſcij erant, ne ſi omnes in eum crederent, ipſi in nullo deinceps pretio futuri eſſent. Hypocriſis verò inde elucet, quod odium prætextu vtilitatis publicę tegere ibidem conantur: *Si omnes in eum crediderint, venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem* Præterea iam tempus venerat, quo poteſtatem in Cathedra Moyſis ſedentium paulatim contrahi, minui tandemque penitus aboleri oportebat, in ijs ſcilicet, quæ ad legem ac prophetiam implendam, perficiendamque pertinerent.

Chriſti regno creſcente regnū Pontificum Leuiticorū decreſcere oportebat.

Sic enim Malachias Prophetarum vltimus futurum prædixerat: *Ecce ego mitto angelum meum* (Iohannem Baptiſtam) *& præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator* (Chriſtus) *quem vos quæritis. Et ſedebit* (in cathedra docens) *conflans & emundans argentum* (doctrinam à corruptelis vindicans) *& purgabit filios Leui* (ſiue, Sacerdotes) *& colabit* ſiue liquifaciet *eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt offerentes ſacrificia Domino in iuſtitia*, id eſt, ſine hypocriſi & ſimulatione.

Et doctrinam eorum purgari.

Quod ipſum etiam Iſai. 1. Deus facturum ſe promiſerat: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aqua. Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera. Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam*

riam tuam , & auferam omne stannum tuum, & restituam Indices tuos, & Consiliarios tuos sicut antiquitùs. Posthæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Itaque cum Iohannes Christo viam parare inciperet, ita prædicauit: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Ego quidem baptizo vos in aqua: Christus autem vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Et ex eadem causa Christus ipse Luc.16. *Lex*, inquit, *& Prophetæ vsque ad Iohannem: ex eo regnum Dei Euangelizatur*, id est, simul cum prædicatione Iohannis cœpit regnum Messiæ institui, impletis paulatim omnibus, quæ in lege & prophetis prædicta fuerant, vsque dum per mortem eius omnia consummentur. Et quoniam adueniente in regnum Rege Proregis ius ac potestas imminuitur, aut etiam ex ipsius Regis arbitrio prorsùs abrogatur, facilè existimare turbæ potuerunt, cum Iesum Regem ac promissum Dominatorem esse cùm Iohannis, tum Dei patris testimonium, siue miraculorum perpetratio fidem fecisset, penes ipsum esse Pontifici, Proregi suo, potestatem arbitratu suo minuere eumque in ordinem cogere. Quamuis autem Christus iure suo Pontificem ceterosque Sacerdotes & Scribas Cathedra Moysis penitùs deijcere, & imperium omne abrogare eis potuisset, vt tamen quantam suis Vicarijs in nouo Testamento reuerentiam præstari vellet, exemplo suo declararet, satis habuit panem, siue doctrinam eorum à fermento expurgare, & argentum à scoria excoquere, siue, corruptelas, quas alij cauerent, indicare, ita vt neque verbulo Pontificis aut Sacerdotis mentionem vsquam faceret, eisque turbas & discipulos suos dicto audientes esse, & oneri eorum humeros supponere iuberet.

Regnum Christi incepit cum prædicatione Iohannis.

Tum potestas Pontificum cœpit minui & emendari.

Non fuit asperior in eos Christus ad sanciendum Sacerdotij honorem.

Itaque non aliud hominum genus Regibus ac Principibus magis metuendum & certissima peste peius cauendum videtur, quàm qui suum ipsis ingens studium professi, maximamque pro emolumēto & auctoritate, seu maiestate, eorum solicitudinem præferentes. contemnendorum Pontificum & Episcoporum ceterorumque Clericorum eis auctores sunt, similes Samaritanis illis, quorum 1. Esdræ 4. hanc ad Artaxerxem Regem epistolam legimus: *Notum sit Regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum & vectigal & annuos reditus non dabunt, & vsque ad Reges hæc noxa perueniet. Nos autem memores salis, quod in Palatio comedimus, & quia læsiones Regis videre nefas ducimus: idcirco misimus & nunciauimus Regi, vt recenseas in libris historiarum, & inuenies scriptum in Commentarijs, quoniam Vrbs illa, Vrbs*

Aulici ac Pseudopolitici Regū Principumque pestes.

Memores salis, quod in aula comedunt,

rebellis eſt, & nocens Regibus & prouinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis. Nunciamus nos Regi, quoniam ſi ciuitas illa ædificata fuerit, poſſeſſionem trans fluuium non habebis. Similiter hodie inueniuntur, qui memores ſalis, quod in Aulis Principum comedunt, omni ope perſuadere eis conantur, auctoritatem & amplitudinem Pontificis & Eccleſiaſticorum (quæ quantum in ædificanda Eccleſia momentum faciat, ſupra cap. 106. attigi) vſque ad Regum & prouinciarum noxam peruenire, ac propterea, vt pennæ Eccleſiaſticis accidantur, in rem videri: de quo genere hominum S. Bernardus alicubi ad Conradum Imperatorem ita ſcribit: *Non veniat anima mea in conſilium eorum, qui dicunt, vel Imperio pacem & libertatem Eccleſiarum, vel Eccleſiis proſperitatem & exaltationem Imperij nocituram. non enim vtriuſque inſtitutor Deus in deſtructionem ea coniunxit, ſed in ædificationem. Si quis aliud, quàm locutus ſum tibi (quod non credimus) ſuadere conabitur, is profecto aut te non diligit, aut parum intelligit, quid Regiam deceat Maieſtatem, aut certè quæ ſua ſunt, quærit, & non valdè, quæ vel Dei vel Regis, curare conuincitur.* De quo ſi qui S. Bernardo, vt homini Eccleſiaſtico, minùs fortaſſe aſſentiendum putauerit, ei vel illa, quæ ex *Caroli Magni* libro ſupra capp. 111. & 112. laudaui verba, vt de perpetua conſtantique tam ipſius, quàm Conſtantini Magni aliorumque Regum & Impp. erga Eccleſiaſticos, in primiſque Romanum Pontificem obſeruantia & liberalitate taceam, meritò ſatisfacere debebat. Ac ſi me tempus Francofurtenſi mercatu iam imminente non deficeret, ex ipſis ciuilis ſcientiæ viſceribus, vt etiam vera nō eſſet Catholica noſtra Religio, Regibus tamen ad conſtabiliendum & amplificandum imperium ſuum nihil omnium rerum Eccleſiæ & Antiſtitum eius veneratione, cultu, obſequio & erga illos liberalitate vtilius excogitari poſſe demonſtrarem, adeò vt ſi minùs Dei metus, explorata certè emolumenti proprij ſpes Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis reuerentiam in Regum maximè Principumque animis ſancire debeat. qua de re aliàs vberiùs ac neruoſiùs diſputandi, quamque notæ iſtius Conſiliarij nihil in ea, qua ſe venditant, Politica ſcientia ſapiant, rebus maximè neceſſarijs apertiſſimè vincendi ſpatium & oportunitatem mihi euenturam confido.

Eccleſiaſticis pennas accidi ſuadent.

Sunt vel malitioſi, vel ſtolidi, vel auari, vel Athei.

Quos maximi & feliciſſimi quiq; Impp. ac Reges conſutant.

Reges vel ſui commodi cauſa Eccleſiaſticorū reuerentes eſſe deberent.

CAP.

SED quoniam omnibus ætatibus non defuerunt homines, quos alioqui minimè malos, vel dicam optimos & Ecclesiæ Reique pub. amantissimos, & acerrimos integritatis ac disciplinę vindices & exactores, luxus, ambitio, auaritia, fastus, aliaq; cleri ac præcipuè Episcoporum, Cardinalium & Pontificum vitia vsque eò stomacho & indignatione incenderent, vt animi impotentia longiùs quàm charitas Christiana pateretur abrepti, hominum improborũ odio ipsam tandem Veritatẽ odisse inciperent, & Zeli immoderatione ex amicis hostes euaderent: propterea pretium aliquod operę facturus videor, si quod eiusmodi ancipiti ac periculoso malo remedium Spiritus sanctus in sacrorum voluminum narthecijs recondidit, publicę vtilitatis causa promam, eoque pacto cum institutę Parabolę de Iumenti officio, tum ipsi libro extremam manum imponam. Psalmum igitur Dauidis LXXII, quem ille Asapho, suo Phonasco seu chori Præcentori, *vt in cithara prophetaret*, dedit (1. Paral. 25.) nequaquam de Dauidico sæculo (quo cultum diuinum Hierosolymę floruisse, & in toto Israele homines palàm impios ac nefarios, simulac exorti essent, de medio tolli consuesse, Psalmo centesimo docemur) sed quemadmodũ & alios plures, de nouissimis temporibus deque statu Ecclesiæ Christi canere, facilè quiuis legẽdo animaduertit, nec interpretũ pleriq; diffitentur. Eum hoc loco integrum recitabo ac paucis declarare conabor.

Etiã bonos Prælatorum vitia sæpe scandalizant.

Vt eorum odio ab Ecclesiæ obedientia recedant.

Ei malo remedium monstrat Psalmus 72.

Quàm bonus (inquit) *Israel Deus his, qui recto sunt corde?*] id est, verè magno eos beneficio Deus afficit, quos in recta via retinet, neq; Pręlatorum vitijs ac prosperitate perpetua plus iusto commoueri & à veritatis tramite auerti permittit.

Maximo Dei beneficio afficitur, quem vitiosorum Prælatorũ felicitas non scandalizat.

Mei autem pænè moti sunt pedes, pænè effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.] Nimia indignatio ex sceleratorum felicitate concepta pœne fecit, vt à vera religione desciscerem.

Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum est in plaga eorum.] Non cogitant vnquam se morituros, Deoque villicationis rationem reddituros esse: tum si qua nonnunquam plaga eos attingat, habent quo sibi medeantur: non subuertuntur, sed stant vsque firmiter.

In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur seu flagellari solent.] Alij homines famis, frigoris, æstus alijsq; id genus molestijs sunt obnoxij, isti autẽ omni cõmodorũ genere abundant.

Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis sui,] De Sacerdotibus

Opulentia Sacerdotum filia

eſt pietatis. Hæc verò matrem deuorare ſolet.

dotibus Eccleſiæ Ierem. 31. ſic loquitur Deus: *Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine.* Et ad eoſdem Iſai 61. *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis.* Hanc tantam felicitatem cum concoquere nequeunt, tentat cor eorum affectus ſuperbiæ, vt iam nil niſi reges atque tetrarchas, omnia magna cogitent ac loquantur, ſed & conſequantur.

Cogitauerunt & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt.] Scitis, ait ille, quid tentare ſoleat humanam ſatietatem, nequitia ſcilicet ac luxuria. Itaque non tantùm impudica cogitare, ſed etiam cum ſtupri ſequeſtris & conciliatoribus loqui audent, excelſi illius, quo à Deo poſiti ſunt, loci parum memores, neque ſcandali metuentes.

Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra] Magna ac præclara & prorsùs diuina tantùm minantur, cum Sacerdotes ac Prælati fiunt. *Domine,* inquiunt, *labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tnam.* Sed poſtea non ferè niſi rebus terrenis, v. g. litibus cognoſcendis ac iudicandis occupantur, aut animi gratia de ijs, quæ paſſim terrarum geruntur, ſermones conſerunt ac veluti lingua errant, vagantur, ac peregrinantur. *γλώσσης γὰρ περίπατός ἐστιν ἀδολεσχία. Eſt enim garrula confabulatio ſpatiatio linguæ.*

Ideò conuertetur populus meus huc, & dies pleni inuenientur in eis.] Etiam Fideles non pauci eis ſe adiungent & impietatem eorum imitabuntur, vt etiam ipſi longa proſperaque vita fruantur: ad quos ſermo eſt Prouer. 3. *Ne æmuleris hominem iniuſtum, nec imiteris vias eius.*

Prælatorum improbitas facit homines partim Atheos, partim Hæreticos.

Et dixerunt: Quomodo ſcit Deus? Et, ſi eſt in ſcientia in excelſo? Hebraicè: *Si eſt ſcientia* MAROM. quod etiam valet, *Romæ, in Roma.*] Iſte Prælatorum & Sacerdotum Epicuriſmus duorum malorum cauſam multis præbuit, Atheiſmi ſcilicet & Hæreſios. *Athei,* non credunt eſſe diuinam prouidentiam. Si enim curæ Deo eſſet de rebus humanis, (inquiũt) quomodo iſtam Sacerdotũ, qui alios pietatẽ docere volũt, impietatem tamdiu toleraret ac tanta proſperitate cumularet? *Hæretici* verò non credunt veram Dei ſcientiam, ſiue Catholicam fidem eſſe Romæ, vbi tam nulla Charitatis veſtigia in Prælatorum factis appareant. Putant enim donum ſcientię non poſſe à dono Charitatis ſeparatim obtineri. In quo eos falli paulo antè demonſtraui, & hodie longè aliam Romę rerum faciem eſſe, quàm ante Concilij Tridentini cenſuram fuerit, ſcio, & Hæreticos eò frequentes accedere, noſtrorumque Prælatorum virtutes propiùs inſpicere cupio.

Ecce

Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis] Vt enim Mimus ait: *Cum vitia prosunt, peccat qui rectè facit.*

Si dicebam, narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui] Cum iam dubitare incepissem, venit mihi in mentem, me tot sanctos viros fatuitatis condemnare, qui tantopere munditiæ studuerunt, suamque carnem ieiuniis, ciliciis & flagellis mortificarunt. id quod mihi de illis statuere religio fuit. Itaque ambiguus sententiæ adhuc fluctuaui.

Existimabam, vt cognoscerem. Sed hoc labor est ante me. Donec intrem in sanctuarium Dei, vt intelligam in nouissimis eorum] Conatus fui veritatem totius rei reperire, sed nō potui, donec mente à rebus terrenis abstracta contemplari iustitiam Dei cæpi, & finem, qui tam felices manet, consideraui.

Veruntamen propter dolos posuisti eis (Hebr. in lubrico posuisti eos) *deiecisti eos dum alleuarentur.*] Vidi & inueni hanc breuem & fugacem felicitatem, qua decipiuntur, tanto grauioris casus eis causam esse. *Stultorum exaltatio, ignominia*, Prou 3. *Prælatos improbos æterna pœna manet.*

Quomodo facti sunt in desolationē, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges] Non tantum ipsis parum diuturna fuit sua felicitas, sed etiam illi mox deleti sunt, in quos magnas opes ad perpetuandam nominis ac generis sui memoriam congesserant, nihilque ad illos pertinet, quod Isai. 65. scriptum est: *Semen benedictorum Domini est, & Nepotes eorum cum eis.* *Neque temporali prosperitate ipsi & necessarii eorum diu perfruūtur.*

Quia inflāmatum est cor meū, & renes mei cōmutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum] Fui quidem immoderato Zelo accensus & aliquandiu nimium erga scandalosos istos commotus, (*concaluit intra me cor meū*, Psal. 38.) tandem tamen collegi, humiliauique me, tanquam qui nihil sim & nihil sciam, neque clauem scientiæ, quemadmodum ipsi, acceperim. Cogitaui me tuum esse iumentum, tuum asinum, qui non possim sine tuo damno à Mulione, cui me commisisti, profugere. Si enim ille tuam Bulgam abiicit, aut pecunias tuas dilapidat, quid illud ad me? an ego propterea etiam cum sarcina tua profugere, tibique & partem gazæ tuæ mihi impositam, & me asinum tuum simul interuertere debeo? *Qualem se vir bonus in Prælatorum scandalo exhibere debeat.*

Tenuisti manum dextram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscipies me] Agnosco singulari tuo beneficio factum esse, vt in tam lubrica via non caderem, neque propter Prælatorum flagitia ab Ecclesiæ obedientia recederem. Et quamuis hoc mihi per gratiam tuam contigerit, meam tamen obedientiæ perseuerantiam summa gloria mercedis loco à te affectum iri, meq; gratiam pro gratia accepturum confido.

Deum tantum spectare & ab eo mercedem exspectare debet.

Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.] Cur ego iugum tuum non tollam & onus tuum non feram? cur propter Mulionis mei improbitatem & nequitiam ego Asinus tuus te possessorẽ meum non cognoscam, neque ad te cum onere tuo approximem, cùm tamen sciam, quanta me maneant gaudia & præmia, si sarcinam tuam saluam & incolumem ad te pertulero? Tu enim ipse Deus eris *merces mea magna nimis*: ad quem anhelo, & cui quam primum præsens adesse contendo.

Non à Deo in Episcopis etiam malis docẽte recedere.

Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt: perdes omnes, qui fornicantur abs te] Væ illis, qui ab Ecclesiæ vnitate propter Episcoporum & Pontificum peccata desciscũt, & cũ Hæresi, siue adultera, hoc est, cum adulterina & deprauata Scripturæ interpretatione rem habent. Qui enim Ecclesiam non audit, nihilo melior est ethnico & publicano. *Qui vos spernit, me spernit*, ait Episcopis Christus. Igitur à Christo se elongant, quicumque ab illis alienantur.

Sed eis adherere & in communione Ecclesiæ perseuerare,

Mihi autem adhercre Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion] Scio quàm gloriosa & fructuosa mihi sit apud Deum futura hæc mea humilitas & obedientia, quod eius Legatis, qualescumq; sint, propter ipsius honorem adheresco, neq; illorum odio, quamuis iusto, Ecclesiæ communionem deserere sustineo, sed fidem eius simul cum ceteris profiteor.

Quamuis gemens & dolens.

Nam & Ezech. 9. iussu Dei *signantur illi, qui gemunt & dolent super cunctis abominationibus, quæ fiunt in media Ierusalem*: non autẽ signantur, qui ex Ecclesia exeunt. Nam *destruentes & dissipantes te, à te exibunt*, ait Ecclesiæ Deus Isai. 49. Et Christus Matth. 12. *qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.*

LAVS DEO ET BEATÆ MATRI
MARIÆ SEMPER VIRGINI.

LECTORI S.

PARTIM operarum Typographicarum festinatione, partim Correctorum oscitantia, partim denique Auctoris absentia factum est, vt complures mendæ in vniuersum hoc opus irrepserint: quarum quæ maximè sunt insignes, Indiculo complecti visum fuit, cuius ductu antequam ad lectionem accederes, suo quasque loco, siue tuo ipse Marte, siue alio aliquo ei curæ allegato, corrigere posses. Et illa quidem, quæ in ipso opere errata fuere, mox subiicientur: quæ verò in Præfatione ac Summario corrigenda occurrunt, hic tibi repræsentamus.

a.2.b.u.8.animo affectis.
a.3.b.v.1.penitius inspecta.
a.4.b.v.32,nulla antegressa.
v.36.nescientes amici:
b.1.b.v.23.quantæcumque
b.2.b.v.8.Si eos calumnia.
v.28.enim Fauos & vespæ.
b.3.a v.23 præ se ferant.
b.3.b.v.17.Brand.Principes.
c.1.a.v.5.ἀειχές,ait Aeschylus.
v.17 posse videor.
c.4.a.v.17.malignitate abreptus.
c.4.a.v.18 Heroum illorum.
c.3.b.v.5, tibi cum libet.
v.21.creuisse te.
d.2.a.v.14 proceres regni.
v.19.tamen in re longè.
v.22 quib.reb.moueantur.
e.1.b.v.35.ex mea sententia.
v.36.& nimis contum.
e.3.a.v.18.nihilq. Regibus.
v.35 posteris suis.
v.36.quod periculosissima.
v.37.ex sua libidine.

ERRA-


ERRATA ECCLESIASTICI
sic emendabuntur.


PAG.17. vers.23. Sacerdotibus datam.
29.v.35.ab eo denominari.
31.v.18. Pacificatorio Edicto.
53.v.26. dum siue impietatis, siue.
66.v. 26.paulo penitius.
68.v.24.veram iudico.
74.v.1. adhuc aliud.
87.v. 32. reuelationes habent, quibus Deus reuelauit auriculam, 1. Reg. 15. De his 1. Cor. 14.
96.v.4.nodus occurrerit.
103.v.27. quo ipso
105.v.3.Petri cum facto.
113.v.31. nomen ei commutauit.
115.v.22. in margine: suum Dominium cum hominibus communicet.
147.v.3 peccato subiaceant.
154.v.13.siue à Tyranno.
157.v.30 arctissimo nodo d.h.a.colligariq; constet.
164.v.10. Dominio suo
167.v.26. nondum se aut suos.
168.v.31.nec se nec heredes.
173.v.21. ab hoste securi sint.
174.v.17. humiliauerant, sunt successores.
184.v.16. Spiritui sancto resistere.
189.v.37.neque sacram scripturam.
209.v.5.quadringentorum.
214.v.30. Rom.16.
v.33.alicui alteri.
231.v.14.anniuersaria indicit.
238.v. 19. ad fidē Christi couuersarū.
244.v.12. Eundem enim a. h.p. qui Lutheri.
249.v.36.quàm sese.
250.v.27.cum & ipsa.
252.v.2.vllius humanitatis.
255.v.26.is cuius in oculos.
v.32.morbus vexat.
259.v.27. qui non vident, videant, & qui vident.
261.v.24. Superare contendentis.
262.v.25. recitatur suasoria.
264.v.32.Mimi Senarius.
266.v. 30. quo igitur tandem modo.
275.v.33.& Solis radio scripta.
278.v.3.similis pœnæ.
279.v.33. in pœnæ communionem.
286.v.20. cum humanis rebus agitur.
290.v.5.prompto ac volenti.
v.19.ipsa natura.
292.v 29.apud Liuium.
294.v.33.quia generant.
295.vv.12. πρὸς τὸν ἐρωτῶντα.
296.v.16. Disputationis materia.
297.v.36.supra cap.77.
300.v.19.Iob 34.
303.v.24.quod in ipso est.
307.v.15. nisi quod Deus vult.
308.v.29. controuersam dubiamq;.
309.v.9. aberrans.
310.v. 11. non audet.
v.30. suffugia sunt infirmitatis.
312.v.1. Idololatræ.
v.22 quod non à Deo acceperit.
v.23. longeque disiuncta cognoscendi Sanctis.
313.v.2 hoc ad suam.
314.v.23. atque ipse.


ERRATA.

315.v.7.errore nos esse.
319.v.6.animis efferuntur.
320.v.30. ipsa res.
323.v.10. diductis.
v.37.non magno negotio.
327.v.8.superimpendar ipse.
v.15.hæc de abstinentia.
v.21. in hostilibus.
330.v.7.Et æger ægro.
v.20.quam ipse s.v.a.s.credit.
331.v.1.cuius rei veritas.
v.7.vidit alterum.
v.24. in originali peccato concepta fuerit] Etsi correctio non est necessaria, si textus probe consideretur.
332.v.6.in perfectiorem.
333.v.3.Erat quippe.
v.7.ignorantiæ eorum.
335.v.1.vtcunq; tractabimus.
343.v.34.explendæ auaritiæ.
344.v.21.arguentem.
345.v.21. adire turbam me pudet.
347.v.22.ad docendum missis.
348.v.18.Amaiore quippe.
352.v.32. Lutheranismum deserant.
357.v.3.sit hostis tectus.
359.v.5.Spiritus illius.
v.14.acceptum retinuerit.
361.v.36 siue verum Dei verbum.
v.37.& verbum Dei.
363.v.20.sine crimine & irrepr.
364.v.10.& munitiones.
367.v.36.ad fugandam stultitiam.
369.v.7.doctrina talium.
v.24. quippe qui naturam.
371.v.8.pro Ecclesia gestis inclita.
373.v.23.auersarentur.
374.v.37.nobiscum dissident.
375.v.2.illis autem.
v.23.nostra pertinet.
376.v.18. ac verbum suum.
377.v.33.ex inito.
384.v.19.opes Ecclesiarum.
388.v.8. comminationis auctoritate.
392.v.5.inquit Gedeoni.
v.14.qua me omnipot.
400.v.6 literis causam Ecclesiæ.
402.v.7.fecit. Quod vt tãto distinctiꝰ.
407.v. 38. si vestras vires.
409. in margine v. 8. incolumitas pacta.
410. v. 11. præclare de Ecclesia Deiq; gloria.
v.33.declarent illud Poetæ.
411.v.26.adulterio ac Reconcil.
v.38.percussoribus suis.
414.v.8. humilis erit & obediens
415.v.25. & lucem tenebras.
416.v. 4.quas Vinea Domini.
v.6.desinam populum.
418. v. 9. ad quorum munus e.c.p.p. eorumque.
v.11.conuertenda.
v.24 soluas iugum fratris.
419.v.10 Hos Ecclesia Lapidibus.
420.v.38 Huiusmodi loca in peram.
421.v.29. & quacunq; parte.
422.v.10.sententia quæpiam.
425.v.20.brachio recte.
v.37. ad nos Catholicos.
428.v.38. ne in vnico quidem capite.
432.v.8.Protest.inscripsi.
437.v.11.ad docendum.
v.36.quod maximè poterant.
438.v.7.is articulus.
439.v.8.velut duplicarios.

v.21. in margine: artes quibus eff. v.v. videantur.
v.31. in causa sua vtuntur.
440.v.10. aduersarij importunitatē eadē
441.v.1. quoniam vltio Domini.
442.v.9. Ecce alienigenæ.
v.11. populorum & Principum horū.
445.v.28. Numquid adheret tibi
450.v.22. comparari nolunt.
452.v.35. siue de opinione
453.v.6. non belluis manum.
458.v.4. recepere.
459.v.33. proposuit mensam suam.
464.v.10. pio Electoris
465.v.15. seruetur, collatum Concordiæ libro inserendum curasse. Sed
466.v.36. corruptis idem luculentissimè
v.37. Badensis non semel,
468.v.8. Caluinismo infecit.
469.v.32. homines eam ret.
472.v.9. formis mista sit
v.22 quàm vis ac sententia.
474.v.15. velut capsa, qua
475.v.3. alij enim Reip.
v.24. iracundia eos
477.v.30. seu Legum verbis
482.v.35. multa mutauerit
485.v.1. commenda fidelibus
489.v.5. meq; Messiam
v.26 Portenta quoq;
v.27. ei qui assentitur.
v.34. ab adulterinis.
487.v.6. hoc modo cum ipsi
v.15. in ea Legem Dei
489.v.34. Leges rectè latæ
490.v.18. ijs, qui Sacerdotes
v.38. rebus humanis exempto
491.v.1. Pontificem omnibus
v.19. nautis, mimis, histrionibus.
492.v.5. vtilitatem spectat.
493.v.34. Lacedæmoniorum ciuitate.
494.v.25. pectoris sui
v.26. in Protagora
496.v.23. Sermones seductorum
502.v.3. communionem non negabant
503.v.11. ad extremum
505.v.31. Incuruabit
507.v.19 & euerterent
509.v.6. meliorem secuti
511.v.32. ei malo
516.v.33. Sed qualem
517.v.18. vt hic populus
518.v.26. ædificationem siue vtilitatem
v.31. in inuidiam rapi
v.38. procedente tempore
519.v.2. vstione ac sectione
v.15. morbum suum exprobret
v.35. 1. Reg. 8.
520.v.24. vbi omnia manu regia
v.26. exterorum, sed ciuium
521.v.16. alterum at abnuit
v.21. simul ei hoc
v.28. requirere videbatur
v.33 præmij futurum
523.v.13. hereditaturum in omnibus
524.v.3. sui promulgata
525.v.32. regia maiorem
v.23. potestatem esse cogat.
526.v.33. sunt Pastores gregum
528.v.5. omnium secularium quoq; rerū
v.12. quanto magis
530.v.38. seditiones
536.v.23. imponere possent, cuius
537.v.21. visos esse
538.v 36. vidulo aut pera
539.v.4. etiam sibi attendat.







CB